STUDIO

DELL' AVVOCATO CARLO BOSI

Digitized by Google

B 17
6
38
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

737

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

LIBRI

DONATI DAL

DOTTOR ANNIBALE GIULIONI

GIURISTA

Nato a Firenze il 7 Febbraio 1807
e morto il 1° Dicembre 1895 in Firenze.

16 Maggio 1896

Digitized by Google

Digitized by Google

PHIL. REINH. VITRIARII,

Juriſconſulti & Anteceſſoris Ordinarii,

INSTITUTIONES

JURIS NATURÆ

ET

GENTIUM

in uſum

SERENISSIMI PRINCIPIS

CHRISTIANI LUDOVICI

MARCHIONIS BRANDENBURGICI &c. &c.

ad methodum

HUGONIS GROTII

CONSCRIPTÆ

& auctæ à

JOHANNE JACOBO VITRIARIO.

Accedit

JOHANNIS FRANCISCI BUDDEI

Hiſtoria Juris Naturalis, Synopſis Juris Naturalis
& Gentium juxta diſciplinam Ebræorum,
ut & Specimen Juriſprudentiæ Hiſtoricæ.

Ex Bibliotheca
Baldigiana.

LUGD. BATAVORUM,

Apud { SAMUELEM LUCHTMANS, *Academiæ Typographum* } 1734

B' 17. 6. 38

Digitized by Google

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO LUDOVICO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, BORUSSIÆ, MAGDEBURGI,

CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM ET

VANDALORUM, UT ET IN SILESIA CROSNÆ ET SCHWIBUSSII

DUCI,

BURGGRAVIO

NORIMBERGENSI,

* 2 PRIN-

PRINCIPI
HALBERSTADII,
MINDÆ & CAMINI,

COMITI
HOHENZOLLERÆ,
MARCÆ & RAVENSBERGÆ,

DOMINO
RAVENSTEINII & TERRITORIORUM
LEOBURGII & BUTOVII
&c. &c.

PRINCIPI ET DOMINO
MEO
CLEMENTISSIMO

omnem Salutem { Externam & Æternam.

SERE-

Digitized by Google

SERENISSIME

PRINCEPS,

SI qua Lugdunenſis noſtræ Academiæ felicitas eſt prædicanda, ea certe nunquam non memorandis extollenda venit encomiis, quod SERENITAS TUA illuſtri ſua præſentia eam illuſtrare,

 atque

atque celſiſſimo ſuo nomine Brandenburgico, quod omnis gloriæ omniſque decoris amplitudinem mirabili compendio in ſe concludit, poſteritati commendare clementiſſimè dignata fuerit. Unde Muſæ noſtræ Leidenſes ſibi merito gratulantur, & memoriam ſui CHRISTIANI LUDOVICI BRANDENBURGICI in omne ævum ſacram habebunt. Cumque ego ſingulari quadam fortuna delectus fuerim, ut ſtudia SERENITATIS TUAE officiis meis humillimis qualitercunque adjuvarem, obſequii mei ac reverentiæ documentum quoddam dare volui publicum, ut SERENITAS TUA, quæ nunc diſceſſum è noſtris Muſarum campis parat, ſemper haberet,

beret; quod devotionis meæ memoriam & inter ipſos aliquando armorum ſtrepitus renovare poſſet. Neque vero hoc SERENITATI TUAE diſplicere poſſe confido, ſiquidem in ejuſmodi ſtudiorum argumento hactenus verſati ſumus, ad quorum exercitium glorioſiſſimi Tui Natales ſunt deſtinati. Auguſti enim ſanguinis feliciter in Te transfuſa indoles non niſi virtutis, gloriæ, ac omnis meriti exemplar æmulandum Tibi amplificandumque commendat. Et ſi licet auſpicia captare, SERENISSIME PRINCEPS, incomparabilis ille vigor in vultu, vis in oculis, gravitas in conſpectu, decor in geſtu actuque, graviorum aliquan-

do curarum pro Patria & Republica ſuſtinendarum vel certiſſimi nuncii vel potius ſponſores ſunt. Certe nulla pars eſt hactenus ætatis, quae non indubitato ſubinde documento pleniſſime hoc aſſeveraverit. A teneris annis ſincero de divinis ſenſu animum imbuere, omneſque Tuos conatus ad Deum referre voluiſti; & recte; nam qui religioni ac pietati ſtudet, proxime ad Deum accedit, & optatiſſima quæque conſequitur; imo principes pietate & juſtitia Dii fiunt. Et cum veram laudem in ſola virtute poſitam exiſtimes, neque Majorum Tuorum laudibus ac gloriæ, niſi in virtutem incumbas, Te reſpondere poſſe, perſuaſum habeas, fa-

ves

ves ingeniis, ſuffragaris artibus, & felici ſucceſſu vividam iſtam capaciſſimi ingenii vim per omne ſapientiæ genus, qua quidem inſtrui Principes decorum & neceſſum eſt, circumfers. Civitates, provincias, regna, imo univerſum orbem animo perluſtrare hactenus Tibi voluptati fuit. Hiſtoriarum cognitionem, Principi viro & gerendis regendiſque rebus olim deſtinato neceſſariam, ab ineunte ætate Tibi commendatam habuiſti. Et cum turpe ſit, ea non comprehendere ſcientia, uſu doctrinaque percipere, in quibus patriæ res agitur, publica jura Imperii Romano-Germanici mira aviditate & audire & ſcire voluiſti. Cumque præterea divina providentia & benigni-

gnitate ex ea ſtirpe originem ducas, ex qua Deus Heroes format, ex qua tot prodeunt Heroes, quot ſurculi, Belli jura, & Pacis, raro ſed domeſtico Tibi exemplo, jungere debuiſti. Scilicet, SERENISSIME PRINCEPS, juſte non minus, quam fortiter gerunt bellum, qui à Brandenburgica ultimi Heroici ſanguinis ſtirpe procedunt, & quidem magna vi & effectu: victoria enim juſtæ cauſæ præcipue adſcribitur, & ad conciliandas quoque amicitias multum valet opinio de bello non temere, nec injuſte ſuſcepto, pieque geſto; nemo enim iis ſe facile adjungit, quibus jus, fas, fidem vilia eſſe putat. Hæc jura ut Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, exponerem, cum mi-

mihi in ſubſelliis doctorum verſanti clementiſſime injungere volueris, ſubjectiſſimi mei officii eſſe duxi, ita ea complecti, ut facili labore SERENITAS TUA perveniret, quo animum induxerat. Suſcipe igitur, CLEMENTISSIME DOMINE, hoc pignus obſequentiſſimi mei affectus; ſuſcipe illud gratioſa manu & clementiſſima Tua benevolentia illud complecti ne dedignare. Si TUA SERENITAS admiſerit pietatem meam, hominis, non niſi ſimplicis reverentiæ obſequia edocti, non eſt, quod aliorum hominum judicia vel timere vel placare contendam. Hoc tantum agam, ut precibus non deſinendis quotidie venerer Deum Ter Opt: Max: quò SERENITATEM TUAM Brandenburgi-

cæ

cæ Domus ſplendori ac incremento, Potentiſſimi FRATRIS gaudio ac commodo, totiuſque patriæ delicio ac decori quam diutiſſime ſervet.

SERENITATI TUAE

Dabam è Muſæo, Lugduni Batav. decimo quinto Natali die Principi ſacro d. 24. Maji 1692.

Devotiſſimus

PHILIPPUS REINHARDUS VITRIARIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.
L. B. S.

Niſi Sereniſſimus Princeps tanta in honeſtam animorum culturam fuiſſet propenſione, & veræ nobilitatis apicem virtutis ſublimitate metiretur, forte nec deſideraſſet, ut has Inſtitutiones Juris Naturæ & Gentium ſcriptis complecterer, nec ut prælo ſubmitterem. Quorum utrumque cum pro innata ſua & propria bonitate in omnes, quos virtutis & eruditionis amor commendat, voluerit fieri, (aliis enim neceſſarium futurum, quod ſibi recto animi judicio utile putabat) hoc mandatum non minore animi voluptate, quam jucunditate exequendum ſuſcepi. Nam licet Sereniſſimi Principis nomen omni ſcholaſtico conatu ſublimius eſſet,

cre-

credere tamen debui, non minus ſpectari ex Academia devotum obſequioſumque animum, quam ex palæſtra, non minus ex ſubſelliis doctorum, quam è tabernaculis militum oblata clementi & benigno vultu ſuſcipi. Videbam præterea, nullas hactenus Inſtitutiones Juris Naturæ & Gentium ita fuiſſe conſcriptas, ut totius legitimæ Jurisprudentiæ naturalis elementa exhiberent; id quod, ſi voto & animo conatus reſpondit, in his benevolus & æquus lector deprehendet. Secutus ſum magni Hugonis Grotii divinum opus de Jure Belli & Pacis, libros, capita, paragraphos; attamen non ſervili vel cæca quadam ſubjectione, verum ut liber in libera rep., qualis eſt hæc noſtra literarum, in qua unuſquiſque libere ſentit, libere loquitur, dummodo linguæ abſit impia & injurioſa licentia in Deum, in patriam, in proximum. Ubi ejus opinionem veram puto, quia hæ meæ Inſtitutiones continent elementa eorum, quæ, ut ita loquar, ſunt in ipſius Pandectis J. N. & Gentium; ipſa verba ubique retineo: ubi ab ipſo diſſentio, in margine notatur. Theologiam Theologis relinquo. In libro tertio, quia à capite decimo uſque ad caput decimum ſeptimum retro legit veſtigia, conjunxi cum capite quarto caput decimum & undecimum, cum cap. V. cap. XII. cum cap. VI. cap. XIII.

cum

cum cap. VII. cap. XIV. cum cap. VIII. cap. XV. cum cap. IX. cap. XVI. & *cum celeberrimus* Pufendorfius *ſit perpetuus in divinum noſtrum Scriptorem commentarius, quamvis alia methodo, ſemper ipſum comitem videbis. Diſſentientes, ſi cui forte quæſtiones maxime controverſas ſub examen revocare animus eſſet, adjeci. Et ne quid ad complementum mei compendii deeſſet, definitiones, diviſiones,* & *multa alia, ab aliis prætermiſſa, in ſingulis capitibus à me propoſita* & *explicata invenies. Cæterum cum Filius meus* Joh. Jacobus Vitriarius *primum in Heidelbergenſi, jam vero in Ultrajectina Academia juris Publici* & *Privati Profeſſor Ordinarius, in ultima harum Inſtitutionum editione an.* 1704. *Indicem locupletiſſimum* & *plurimas quaeſtiones adjecerit, alias auxerit, ſummaria ſingulis Capitibus præmiſerit, ut* & *Eruditiſſimas duas Diſſertationes Viri Excellentiſſimi* Joh. Francisci Buddei; *tunc temporis Phil. Moralis ac Civilis in Academia Fridericiana Prof. Publ. ordin. ex dictarum Inſtitutionum Editione Hallenſi in majus earum ornamentum,* & *ſtudioſorum commodum retinuerit, ea omnia hic quoque ſervata videbimus. Cumque nuperrime Vir Plurimum Reverendus* & *Celeberrimus* Joh. Wolfgangus Jægerus, *Primarius in A-*

cad.

cad. Tubingenſi Theologiæ Profeſſor, in Obſervationibus ſuis ad Hugonem Grotium de Jure Belli & Pacis, ex Collegio quodam MS. mihi opiniones aliquas affinxerit, & ut tales refutaverit, deceptus MS. cui Impoſtor aliquis nomen meum præpoſuerat, ut ipſe Vir Excellentiſſimus in Literis humaniſſimis ad me datis 21. *Febr.* 1711. *agnoſcit, ſupereſt B. L. ut Te moneam, ne vel huic, vel ſimili MS. fidem habeas, nec alias mihi opiniones tribuas, quam quas publice in hiſce meis Inſtitutionibus editas videbis. Hiſce vale, benevole lector, & ſi quaedam occurrant, quæ non placent, amice ut diſſentias, noſtriſque ſtudiis faveas, etiam atque etiam rogo.*

INDEX CAPITUM.

LIB. I.

CAP. I.

Quid bellum, quid jus? Pag. 3
II. *An bellare unquam juſtum ſit?* 16
III. *Belli partitio in publicum, privatum & mixtum. Summi imperii explicatio.* 18
IV. *De bello ſubditorum in ſuperiores.* 44
V. *Qui bellum licite gerant.* 57

LIB. II.

I. *De belli cauſis, & primum de defenſione ſui & rerum.* 59
II. *De his, quæ hominibus communiter competunt.* 72
III. *De acquiſitione originaria rerum, ubi de mari & fluminibus.* 95
IV. *De derelictione præſumpta, & eam ſecuta occupatione: & quid ab uſucapione & præſcriptione differat.* 104
V. *De acquiſitione originaria juris in perſonas: ubi de jure parentum: de matrimoniis: de collegiis: de jure in ſubditos, ſervos.* 116
VI. *De acquiſitione derivativa facto hominis, ubi de alienatione imperii, & rerum imperii.* 142

** VII.

VII. *De acquiſitione derivativa quæ fit per legem: ubi de ſucceſſionibus ab inteſtato.* 152
VIII. *De acquiſitionibus, quæ vulgo dicuntur juris Gentium.* 184
IX. *Quando imperia vel dominia deſinant.* 193
X. *De obligatione, quæ ex dominio oritur.* 202
XI. *De promiſſis.* 212
XII. *De contractibus.* 234
XIII. *De jurejurando.* 261
XIV. *De eorum qui ſummum imperium habent, promiſſis & contractibus & juramentis.* 276
XV. *De fœderibus ac ſponſionibus.* 289
XVI. *De interpretatione.* 299
XVII. *De damno per injuriam dato, & obligatione, quæ inde oritur.* 326
XVIII. *De legationum jure.* 337
XIX. *De jure ſepulturæ.* 350
XX. *De pœnis.* 356
XXI. *De pœnarum communicatione.* 383
XXII. *De cauſis injuſtis.* 396
XXIII. *De cauſis dubiis.* 402
XXIV. *Monita de non temere, etiam ex juſtis cauſis, ſuſcipiendo bello.* 410
XXV. *De cauſis belli pro aliis ſuſcipiendi.* 412

CAPITUM.

XXVI. *De cauſis juſtis, ut bellum geratur ab his, qui ſub alieno imperio ſunt.* 418

LIB. III.

I. *Quantum in bello liceat, regulæ generales ex jure naturæ: ubi & de dolis & mendacio.* 424

II. *Quomodo jure gentium bona ſubditorum pro debito imperantium obligentur: ubi de repreſſaliis.* 440

III. *De bello juſto ſolenni jure Gentium: ubi de indictione.* 448

IV. *De jure interficiendi hoſtes in bello ſolenni, & alia vi in corpus.*
X. *Monita de his quæ fiunt in bello injuſto.*
XI. *Temperamentum circa jus interficiendi in bello juſto.* 453

V. *De rebus vaſtandis eripiendiſque.*
XII. *Temperamentum circa vaſtationem & ſimilia.* 462

VI. *De jure acquirendi bello capta.*
XIII. *Temperamentum circa res captas.* 467

VII. *De jure in captivos.*
XIV. *Temperamentum circa captos.* 477

VIII. *De imperio in victos.*
XV. *Temperamentum circa acquiſitionem imperii.* 485

** 2 IX.

{IX. *De poſtliminio.*
{XVI. *Temperamentum circa ea, quæ jure Gentium poſtliminio carent.* 490
X. *ſeu* XVII. *ap. Gr. De his qui in bello medii ſunt.* 499
XI. *ſeu* XVIII. *ap. Gr. De his quæ in bello privatim fiunt.* 504
XII. *ſeu* XIX. *ap. Gr. De fide inter hoſtes.* 507
XIII. *ſeu* XX. *ap. Gr. De fide publica, qua bellum finitur: ubi de pacis pactione, de ſorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obſidibus, pignoribus.* 514
XIV. *ſeu* XXI. *ap. Gr. De fide, manente bello; ubi de induciis, commeatu, captivorum redemptione.* 540
XV. *ſeu* XXII. *ap. Gr. De fide minorum poteſtatum in bello.* 554
XVI. *ſeu* XXIII. *ap. Gr. De fide privata in bello.* 559
XVII. *ſeu* XXIV. *ap. Gr. De fide tacita.* 363
XVIII. *ſeu* XXV. *ap. Gr. Concluſio, cum monitis ad fidem & pacem.* 565

PRO-

PROLEGOMENA.

I. *An homo ad pacem, an ad bellum natus ſit.*
II. *Unde probetur, eum ad pacem natum,*
III. *Cur homo non ſit natus ad bellum.*
IV. *Cur plures homines tam proni ſint ad bellum.*
V. *Quando bellare liceat.*

I.

Status, in quo homo eſt creatus & natus, eſt ne ſtatus belli an pacis?

℟. Homo creatus & natus eſt ad pacem colendam cum omnibus, & in ſocietate particulari & univerſali omnium gentium cum ipſo viventibus. *Grot. l. 3. c. ult. §. 2. in fin. & ſeq. in Proleg. n. 16.*

II.

Unde hoc probatur?

℟. Ex appetitu ſocietatis excellente & ipſius naturæ conveniente: in bello enim nulla eſt ſocietas, ſed ſumma diſſociatio. *Grot. in Proleg. n. 7. & 8. l. 1. c. 1. §. 2. l. 3. c. 4. §. 8.*

III.

Verum homo non videtur ad ſocietatem natus, ſed ad bellum in omnes?

Hobbes de Civ. c. 9. §. 3. Puſend. l. 2. c. 2. per tot. Grot. in Proleg. n. 7. & 8.

℟. Imo ad ſocietatem natus eſt; 1. Quia homini congenita eſt facultas ſciendi & agendi ſecundum generalia

præcepta, ſc. ut honeſtè vivat, neminem lædat, & jus ſuum cuique tribuat: quorum extra ſocietatem nullus eſt uſus. 2. Quia ſolus inter animantes eſt inſtructus ſermone. 3. Quia extra ſocietatem nec naſcitur, nec conſervari, nec educari poteſt. Eſt enim 4. infirmus & multarum rerum ad vitam recte ducendam egens; imo nec ulla tam valida eſt civitas, quæ non aliquando aliorum extra ſe ope indigere poſſit, vel ad commercia, vel etiam ad arcendas multarum externarum gentium junctas inter ſe vires.

Grot. l. 2. c. 5. §. 8. c. 7. §. 4. in Proleg. n. 16. & 22.

IV.

Unde ergo eſt, quod plures homines & populi, eorumque Rectores, tam proni ſint in bellum?

℞. 1. Cauſa eſt malitia eorum. 2. effrenis augendæ propriæ potentiæ libido. 3. alienis inhians cupiditas, quibus 4. interdum accedit ſævitiæ voluptas.

Grot. l. 1. c. 1. §. 12. in med. l. 2. c. 22. §. 17. n. 2. dict. c. 22. §. 1.

V.

Quando licet bellare?

℞. Si juſta ſubſit cauſa.

Grot. l. 1. c. 2. c. 3. §. 2. & l. 2. c. 1. §. 2.

IN-

INSTITUTIONES JURIS NATURÆ ET GENTIUM.

CAP. I.

Quid Bellum, quid Jus?

I. *Quid ſit bellum.*
II. *Quotuplex ſit bellum.*
III. *An in bello jus obſervetur.*
IV. *Quotuplex ſit ſignificatio juris.*
V. *Quid ſit injuſtum.*
VI. *Quotuplex ſit juſtum.*
VII. *Unde juſti diviſio in rectorium & æquatorium probetur.*
VIII. *Quæ ſit ſecunda juris ſignificatio.*
IX. *An qualitas moralis perſonæ tantum competat.*
X. *Quotuplex ſit hæc qualitas moralis.*
XI. *Quid ſit facultas.*
XII. *Quæ ſub ea contineantur.*
XIII. *Quotuplex ſit.*
XIV. *Quid ſit vulgaris.*
XV. *Quid eminens.*
XVI. *Cur facultas eminens dicatur ſuperior vulgari.*
XVII. *Quid ſit qualitas moralis minus perfecta.*
XVIII. *Quæ juſtitia in facultate reſpiciatur.*
XIX. *Quæ in aptitudine.*
XX. *Quæ ſit tertia juris ſignificatio.*
XXI. *Quomodo in hac tertia ſignificatione dividatur.*
XXII. *Quid ſit jus divinum.*
XXIII. *Quotuplex.*
XXIV. *Quid ſit jus morale.*
XXV. *Quotuplex.*
XXVI. *Quid ſit jus divinum poſitivum.*
XXVII. *Quid ſit jus naturæ.*
XXVIII. *Quæ dicantur honeſta.*
XXIX. *Quæ turpia.*
XXX. *Cur hæc determinentur ex natura ſocietatis humanæ.*
XXXI. *Quid ſi quis negaret dari jus naturæ.*
XXXII. *Unde probetur dari jus naturæ.*
XXXIII. *Quotuplex ſit jus naturæ.*
XXXIV. *An ſit perpetuum.*
XXXV. *An mutari poſſit.*
XXXVI. *An bruta ſint capacia juris naturæ.*
XXXVII. *Quomodo probetur aliquid eſſe juris naturæ.*
XXXVIII. *Quid tandem circa jus naturæ ſit notandum.*

XXXIX. *Quid ſit jus gentium.*
XL. *Cur Deus hoc jus conſtituerit.*
XLI. *Quodnam ejus juris ſit fundamentum.*
XLII. *An jus naturæ & gentium ſint diverſa.*
XLIII. *Quomodo probetur aliquid eſſe juris gentium.*
XLIV. *In quem uſum jus divinum poſitivum in his quæſtionibus adhibeatur.*
XLV. *Quid ſit jus humanum.*
XLVI. *An hoc jus in decidendis de jure belli quæſtionibus adhibeatur.*

I. *Quid eſt Bellum?*

Grot. l. 1. c. 1. §. 2. c. 3. §. 2. l. 2. c. 23. §. 6. ſeq.

℞. Bellum eſt ſtatus per vim certantium, quà tales ſunt, i. e. quamdiu in tali ſtatu vivunt, & jus ſuum alio modo conſequi non poſſunt, quàm per bellum. Et ſic eſt ſtatus ſubſidiarius.

II. *Quotuplex eſt bellum?*

℞. Bellum eſt vel privatum, vel publicum, vel mixtum. Privatum prius eſt: quia ſocietates privatæ ſeu minores ſunt priores ſocietatibus publicis ſeu majoribus; & inter illas non minus, quàm in his & inter has juſtitia eſt adminiſtranda.

III. *An in bello jus obſervatur?*

Grot. l. 1. c. 1. princ.

℞. Jus naturæ & gentium, quia 1. hæc jura obligant omnes homines, & eos qui habent ſummum Imperium, & eos qui his obediunt. 2. Omni tempore, ſc. tempore pacis & tempore bel-

Grot. in Proleg. §. 25. ſeq.

li:

li; bella enim ſuſcipi non debent, niſi ad juris conſecutionem, nec ſuſcepta geri, niſi intra juris & fidei modum.

IV. *Quotuplex eſt ſignificatio juris?*

℞. Triplex. in prima, jus nihil aliud, quam quod juſtum eſt, ſignificat, idque negante magis ſenſu, quam ajente, ut jus ſit quod injuſtum non eſt. Grot. l. 1. c. 1. §. 3. n. 1.

V. *Quid eſt injuſtum?*

℞. Injuſtum eſt, quod naturæ ſocietatis ratione utentium repugnat. Sic alteri detrahere commodi ſui cauſa, contra naturam eſt, quia id ſi fiat, ſocietas hominum & communitas evertatur neceſſe eſt. Grot. d. l.

VI. *Quotuplex eſt juſtum?*

℞. Aliud eſt ex æquo inter ſe viventium, quod æquatorium: aliud ejus qui regit & qui regitur, qua tales ſunt, quod rectorium vocatur. Grot. l. 1. c. 1. §. 3. n. 2.

VII. *Unde hæc diviſio juſti probatur?*

℞. Quia ſocietas alia eſt æqualis, ut inter fratres, cives, amicos, fœderatos; alia inæqualis, ut inter maritum & uxorem, patrem & liberos, dominum & ſervum, regem & ſubditos. Grot. l. 2. c. 5. §. 23. l. 1. c. 3. §. 21. junct. 2. c. 5. §. 17. l. 2. c. 15. §. 6. & ſeq. l. 2. c. 5. §. 8 & 1. & ſeqq. & §. 26. 27. & ſeqq. l. 1. c. 3. §. 7. & ſeqq.

VIII. *Quæ eſt ſecunda juris ſignificatio?*

℞. In ſecunda ſignificatione, jus eſt Grot. l. 1. c. 1. §. 4.

 qua-

qualitas moralis, perſonæ competens, ad aliquid juſte habendum vel agendum.

IX. *An hæc qualitas moralis perſonæ tantum competit?*

Grot. d. l.

℞. Perſonæ tantum competit, etiamſi rem interdum ſequatur, i. e. etiamſi propter rem competat, & ad quemcunque poſſeſſorem tranſeat. Sic ſervitutes prædiorum jura realia dicuntur, comparatione facta ad alia mere perſonalia; non quia non ipſa quoque perſonæ competant, ſed quia non alii competunt, quam qui rem certam habeat.

§. 3. I. de ſervit. præd. pr. I. de uſufr.

X. *Quotuplex eſt hæc qualitas moralis?*

Grot. d. l.

℞. Duplex. perfecta, quæ facultas; & minus perfecta, quæ aptitudo dicitur.

XI. *Quid eſt facultas?*

Grot. l. 1. c. 1. §. 5.

℞. Facultas, quam Juriſconſulti nomine ſui appellant, eſt jus proprie & ſtricte dictum, quod actionem efficacem producit.

Grot. d. l. l. 1. c. 3. §. 12. l. 2. c 5. §. 1. & ſeqq. & §. 27. l. 10. 11. & 49. D. de verb. ſignif.

XII. *Quænam ſub hac facultate, ſive jure proprie dicto continentur?*

℞. Poteſtas tum in ſe, quæ libertas dicitur, tum in alios, ut patria, dominica: dominium plenum & minus plenum;

num; & creditum, cui ex adverſo reſpondet debitum.

XIII. *Quotuplex eſt hæc facultas?*

℞. Vulgaris, & eminens. Grot. l. 1. c. 1. §. 6.

XIV. *Quid eſt vulgaris?*

℞. Quæ uſus particularis cauſa comparata eſt. Grot. d. l.

XV. *Quid eminens?*

℞. Quæ ſuperior eſt jure vulgari, utpote communitati competens in perſonas earumque res, boni communis cauſa. Grot. d. l.

XVI. *Cur dicitur hæc facultas eminens ſuperior vulgari?*

℞. Quia vulgaris ab eminente dependet, quatenus regia poteſtas eminenter ſub ſe habet maritalem, patriam, & dominicam poteſtatem; & in res ſingulorum majus eſt reip. dominium, ad bonum commune, quam dominorum ſingularium: ſic reipublicæ quiſque ad uſus publicos magis obligatur, quam creditori. Plura de hac eminenti facultate vid. *l. 2. c. 2. quæſt.* 10. 11. & *ſeq.* Grot. d. l.

XVII. *Quid eſt qualitas moralis minus perfecta?*

℞. Qualitas moralis minus perfecta ſive aptitudo, eſt jus minus proprie dictum, quod jus habendi & petendi Grot. l. 1. c. 1. §. 7.

juxta alios producit.

XVIII. *Quæ juſtitia reſpicitur in facultate ſive in jure ſtricte dicto?*

Grot. l. 1. c. 17. §. 2. n. 2. §. 3. ℞. Juſtitia expletrix, ſive commutativa, qua unicuique tribuitur, quod ipſi tanquam uni ex ſingulis peculiariter debetur.

XIX. *Quæ in aptitudine ſive in jure minus proprie dicto?*

℞. Juſtitia attributrix, ſive diſtributiva, qua unicuique tribuitur, quod ipſi in civitate debetur ex rebus communibus, ideo quia civis eſt.

XX. *Quæ eſt tertia juris ſignificatio?*

Grot. l. 1. c. 1. §. 9. ℞. In tertia ſignificatione, jus idem valet quod lex, quoties vox legis largiſſime ſumitur, ut ſit regula actuum moralium obligans ad id, quod rectum eſt.

XXI. *Quotuplex eſt jus?*

℞. Eſt vel divinum, vel humanum.

XXII. *Quid eſt jus divinum?*

Seld. l. 1. c. 10. ℞. Jus divinum eſt jus, quod auctore Deo latum eſt.

XXIII. *Quotuplex eſt jus divinum?*

℞. Eſt vel morale, vel poſitivum.

XXIV. *Quid eſt jus morale?*

℞. Jus morale eſt jus, quod obligat omnes homines & omnes gentes.

XXV. *Jus morale quotuplex eſt?*

℞. Vel

℞. Vel eſt jus naturæ, vel jus gentium.

XXVI. *Quid eſt jus divinum poſitivum?*

℞. Jus divinum poſitivum eſt jus, quod obligat certam gentem, e. g. Judæos; & eſt vel forenſe vel ceremoniale.

XXVII. *Quid eſt jus naturæ?*

℞. Jus naturæ eſt jus, quod Deus per rectam rationem inter omnes homines conſtituit, propter honeſtatem & turpitudinem.

Grot l. 1. c. 1. §. 10. n. 1.

XXVIII. *Quæ dicuntur honeſta?*

℞. Honeſta dicuntur omnia, quæ cum natura ſocietatis humanæ conveniunt, & omnino requiruntur ad ejus conſervationem; ut amare Deum ex toto corde, & proximum ut ſeipſum.

Grot. l 1. c. 1. §. 10. n. 2. Puf. in ſpic. Controv. c. 5. §. 6. & 7. Grot. l. 1. c. 1. §. 3. Boecl. in Proleg. p. 60.

XXIX. *Quæ dicuntur turpia?*

℞. Quæ non conveniunt cum natura ſocietatis humanæ, ordinem in ea tollunt, & omnino eam deſtruunt; ut negare Deum vel verbis vel factis, falſos Deos colere, inobedientia erga ſuperiores, impietas in parentes, inhumanitas in proximum.

Grot. l 2. c. 20 §. 44. n. 3. 4. 5. 6. & §. 45. & §. 46. n. 4.

XXX. *Cur hæc ita determinantur ex natura ſocietatis humanæ?*

℞. Quia jus naturæ propter conſer-

vationem ſocietatis humanæ & ordinatæ eſt latum: ergo quæ cum ea conveniunt, eamque conſervant, rectè dicuntur honeſta, & quæ non conveniunt cum ea & eam deſtruunt, dicuntur turpia.

XXXI. *Quid, ſi quis negaret dari jus naturæ?*

Grot. in Proleg. n. 5. ℞. Carneades antiquus Philoſophus id olim negavit, & putavit omnia jura utilitatis tantum gratia eſſe lata: adeoque jus naturæ vel nullum eſſe, vel eſſe ſtultitiam, quia vult, ut ſibi quis noceat alienis commodis conſulens. Quæ opinio falſa eſt. 1. Quia etiamſi nulla re indigeremus, jus naturæ futurum fuiſſet, latum cum ipſa humana natura, ut in ſocietate ordinata tranquillè vitam tranſigere poſſemus. 2. Jus naturæ non vult, ut nobis noceamus & alienis commodis conſulamus; ſed ut amemus proximum ut nos ipſos, & noſtram utilitatem conjungamus cum utilitate proximi noſtri; ſeu non debemus tanti facere propriam utilitatem, ut propterea communia populorum jura negligamus: quod enim mihi licet in proximum, id ipſi licet in me. Sic populus jura naturæ & gentium violans, ſuæ tranquillitatis inpoſterum reſcin-

Proleg n. 6. & l. 1. c. 2. §. 1. n. 6. c. 3. §. 3. n. 3.

In proleg. n. 18. Puf. l. 2. c. 3. §. 10. in med.

ſcindit munimenta 3. Sapientiæ, non ſtultitiæ eſt eò ferri, ad quod à natura noſtra nos duci ſentimus.

XXXII. *Unde probatur dari jus naturæ?*

℞. 1. Quia inter homines naturales dantur ſocietates, ergo etiam naturale datur jus; nulla enim ſocietas ſine jure conſervari poteſt, nec nuptialis, nec paterna, nec herilis &c. 2. Quia omnes homines, qui male quid egerunt, etiam illi, qui vel legem à Deo expreſſe non acceperunt, vel quibus ab hominibus metus nullus impendet, vel quod Principes ſint, vel quod occultiſſimè geſta res ſit, terrentur in conſcientia, ut vocant, & metuunt pœnam, ergo propter tranſgreſſionem legis, quæ non eſt alia, quam illa, quæ nata eſt cum ipſis, & per rectam rationem à Deo in cordibus ipſorum lata.

Grot. in Proleg. n. 23 & 20. l. 3. c. 3. §. 2. n. 1.

XXXIII. *Jus naturæ quotuplex?*

℞. Aliud eſt jus naturæ abſolutum, quod omni tempore & omni loco hominem obligat; aliud eſt hypotheticum, quod præſupponit factum humanum, quo poſito obligat, e. g. Deum colere, honeſtè vivere, ſunt juris naturæ abſoluti: homines enim ſemper & omni in loco Deo cultum debent,

omnis

Grot.l.1.c. 1.§.10.n.4. omnis homo omni tempore & loco honeſte vivat: furtum non facere, eſt juris naturæ hypothetici, quod præſupponit diſtinctionem dominiorum, quâ poſitâ, obligat; ante eam furtum non eſt.

XXXIV. *Jus naturæ eſtne perpetuum, an vero mutari poteſt?*

℞. Jus naturæ eſt immutabile, adeo ut ne a Deo quidem mutari queat: licet enim libere ab initio hominem creaverit, tamen dum ipſum animal ſociale creavit, & propterea hoc jus ipſi concreavit, quamdiu hominis naturam non mutat, tamdiu jus naturæ mutare non poteſt: & Deus non poteſt velle, ut homo vivat in ſocietate ordinata, Grot.l.1.c. 1.§.10.n.5. Puf.l.2.c. 3.§.5. & tamen tollere illud jus, quod ordinem conſtituit & conſervat in ſocietate. Dei enim potentia ad impoſſibilia ſe non extendit.

XXXV. *Objectum juris naturæ an Deus mutare poteſt?*

℞. Quia Deus eſt ſupremus Dominus & auctor vitæ & rerum noſtrarum, de iis pro lubitu ſuo diſponere poteſt: & ſi jubeat hominem occidi, non erit homicidium, quia exemit hunc hominem ex numero eorum objectorum, quæ comprehendebantur ſub

ſub iſto præcepto ***non occidas:*** ſi jubeat alicui auferri res ſuas, non erit furtum, quia objectum hujus præcepti *furtum non facias*, à Deo eſt mutatum. Et hæc mutatio objecti non eſt confundenda cum mutatione juris naturæ ipſius.

XXXVI. ***An bruta ſunt capacia juris naturæ?***

℞. Non: juris enim capax non eſt, niſi natura præceptis utens generalibus. *Grot. l. 1. c. 1. §. 11. n. 1.*

XXXVII. ***Quomodo probatur aliquid eſſe juris naturæ?***

℞. 1. Si oſtendatur alicujus rei convenientia aut diſconvenientia cum natura rationali ac ſociali. 2. Quicquid apud omnes gentes, quæ ratione ſua recte utuntur, i. e. ut ipſorum ratio conveniat cum natura, creditur eſſe juris naturæ: nam univerſalis effectus univerſalem requirit cauſam, talis autem exiſtimationis cauſa nulla alia videtur eſſe, præter ſenſum ipſum communem. *Grot. l. 1. c. 1. §. 12. n. 1. aliter Seld. l. 1. c. 4. & 5. Pufend. l. 2. c. 3. §. 7. Boecl. hic.*

XXXVIII. ***Quid tandem notandum circa jus naturæ?***

℞. Quædam juris naturalis non proprie dicuntur, ſed, ut ſcholæ loqui amant, reductive, quibus jus naturale *Grot. l. 1. c. 1. §. 10. n. 3. l. 1. c. 4. §. 19. l. 3. c. 13. §. 4.*

non

non repugnat. interdum etiam per abuſionem ea, quæ ratio honeſta, aut oppoſitis meliora eſſe indicat, etſi non debita, ſolent dici juris naturalis.

XXXIX. *Quid eſt jus gentium?*

aliter Grot. l.1.c.1.§.14. aliter Boecl. c.1.§.14.p. 169.& Pufend. l. 2.c.3.§ fin. Grot. in Proleg. n. 17.

℞. Jus gentium eſt jus, quod Deus per rectam rationem inter omnes gentes, propter communem neceſſitatem & utilitatem conſtituit.

XL. *Cur Deus hoc jus conſtituit?*

℞. Quia in magna hac gentium civitate non requiruntur tantum jura, quæ ipſam conſtituunt & conſervant: verum requiruntur & alia, quæ faciunt, ut beatudinem in ea & tranquillitatem conſequamur majorem, & commodiorem.

XLI. *Quodnam ergo eſt fundamentum hujus juris?*

Str. Synt. Iur. Civ. Ex.1.th.55. Grot. l.2.c. 5.§.13.n.3.

℞. Communis inter omnes gentes utilitas & neceſſitas: ſic apud omnes gentes utile ac neceſſe eſt, ut matrimonium inter fratres & ſorores ſit prohibitum, ut conſtituantur in unaquaque civitate certi magiſtratus, ut dominia diſtinguantur, ut ſit libertas tranſeundi per territorium alterius, commercia exercendi, legatos mittendi, fœdera faciendi, ut certis ritibus & certo modo bellum geratur.

XLII.

XLII. *An ergo jus naturæ & gentium non eſt idem?*

℞. Non. 1. Jus naturæ eſt conſtitutum propter honeſtatem & turpitudinem; jus gentium propter communem neceſſitatem & utilitatem. 2. Jus naturæ omnino eſt immutabile; jus gentium mutari poteſt: vel potius non obligat, quando ceſſat ratio communis utilitatis & neceſſitatis; hinc tempore belli, quia nobis non eſt utile, ut hoſtis per territorium noſtrum tranſeat, vel commercia in eo & per illud exerceat, hoc jus gentium nos non obligat.

XLIII. *Quomodo probatur aliquid eſſe juris gentium?*

℞. 1. Si contineat communem utilitatem vel neceſſitatem inter omnes gentes. 2. Si omnes gentes, quæ ratione ſua rectè utuntur, i. e. quatenus illa convenit cum communi utilitate vel neceſſitate, aliquid dicunt eſſe juris gentium. *aliter Grot. l. 1. c. 1. §. 14. n. 1.*

XLIV. *Jus divinum poſitivum per Moſem datum, quemnam uſum habet in hac de jure belli & ſimilibus quæſtionibus?*

℞. Lex Hebræa oſtendit id, quod ea lege præcipitur, non eſſe contra jus na-

naturæ. Nam cum jus naturæ ſit perpetuum & immutabile, non potuit a Deo, qui injuſtus nunquam eſt, quicquam adverſus id jus præcipi.

XLV. *Quid eſt jus humanum?*

Grot. in Proleg. §. 17. & lib. 1. c. 1. §. 14.

℞. Jus humanum eſt jus, quod a poteſtate civili, ſeu ab eo, qui habet majeſtatem, in propriam ſuæ civitatis utilitatem & neceſſitatem eſt latum.

XLVI *Hoc jus an in decidendis quæſtionibus de jure belli adhibetur:*

Grot. in Proleg. §. 25. & 26. l. 1. c. 1. in pr. c. 3. §. 7. n. 1.

℞. Non. quia jus civile eos, qui habent majeſtatem, & inter quos bella geruntur, non obligat: ſed tantum ſubditos iſtius majeſtatis, quæ tulit jus civile.

CAPUT II.

An bellare unquam juſtum ſit.

I. *An bellare liceat.*
II. *Quid ſint prima naturæ.*
III. *An prima naturæ per ſe ſufficiant ad probandum jus naturæ.*

I. *An bellare unquam juſtum eſt?*

Grot. l. 1. c. 2. §. 1. n. 1. 4. diſſent. Feld. hic. jung. Proleg. n. 29. aliter Oſiand. h. l. Grot. l. 1. c. 2. §. 1. n. 5. & 6.

℞. Affirmatur. 1. Quia prima naturæ a recta ratione diſpoſita & determinata hoc permittunt & volunt: finis enim belli eſt vitæ membrorumque conſervatio, & rerum ad vitiam utilium aut retentio, aut acquiſitio. 2. Quia recta ratio iſtam tantum vim

vim inhibet, quæ ſocietati repugnat, i. e. quæ jus alienum tollit, qualis non eſt vis bellica, niſi ſit injuſta. 3. Quia S. Scriptura hoc permittit, & bella probat; non tantum quia Deus Iſraelitis bellare mandavit contra ſeptem populos ab ipſis exſcindendos, unde & hæc bella Dei bella in Sacris literis nominantur: verum etiam quia Deus de modo gerendi belli populo ſuo leges generales ac perpetuas præſcripſit Deut. 20. v. 10. 15. 4. Quia omnes gentes hoc ſtatuunt. 5. Quia communis neceſſitas & utilitas inter omnes gentes id exigit.

Grot. dict. loc. §. 2. n. 1. & 2. Seld. l. 6. c. 12.

dict. c. 2. §. 3. dict. c. §. 4. ſed aliter.

II. *Quia diximus de primis naturæ, quid ſunt prima naturæ?*

℞. Prima naturæ vocantur, quod ſimulatque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur ad ſe conſervandum, atque ad ſuum ſtatum & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda; alienatur autem ab interitu iiſque rebus, quæ interitum videntur afferre: hinc ſingulis animantibus vires ſunt a natura attributæ, ut ſibi tuendis juvandiſque ſufficiant:

Grot. l. 1. c. 2. §. 1. n. 1. & l. 2. c. 17. §. 2.

dict. cap. §. 1. n. 4.

Sentit enim vim quidque ſuam, qua poſſit abuti:
Cornua nota prius vitulo, quam frontibus extant.

Illis iratus petit atque infenſus inurget.

III. *An hæc prima naturæ per ſe ſufficiunt ad probandum jus naturæ?*

℟. Non, niſi conveniant cùm ipſa ratione, quæ corpore eſt potior, atque hæc convenientia, in qua honeſtum ſit propoſitum, pluris eſt facienda, quam ad quæ ſola primum animi appetitio ferebatur; quia prima naturæ commendant nos rectæ rationi, quæ nobis carior eſſe debet, quam illa, a quibus ad eam venerimus.

Grot. l. 1. c. 2 §. 1. n. 2.

CAPUT III.

Belli partitio in publicum, privatum, & mixtum. Summi imperii explicatio.

I. *Quæ ſit prima belli diviſio.*
II. *Quid ſit bellum publicum.*
III. *Quid privatum.*
IV. *Quid mixtum.*
V. *An poſt inſtituta judicia publica bellum privatum licite geri poſſit.*
VI. *Quando bellum privatum ſit permiſſum.*
VII. *Quot modis & quando ceſſet judicium.*
VIII. *Quotuplex ſit bellum publicum.*
IX. *Quid ſit bellum ſolenne.*
X. *Quid minus ſolenne.*
XI. *Quando magiſtratus poſſit bellum gerere.*
XII. *An injuriam invaſionis perſequi & vindicare poſſit.*
XIII. *An non ſufficiat conjectura voluntatis.*
XIV. *Quid ſi ipſi concedatur facultas belli incboandi.*
XV. *An ad tuendam plebem & exercendam juriſdictionem babeat jus belli.*
XVI *Quid ſit Majeſtas.*
XVII. *Cur dicatur ſumma.*
XVIII. *An actus ejus a nemine poſſint reddi irriti.*

XIX.

XIX. *Quotuplex ſit ſubjectum majeſtatis.*
XX. *Quid commune ſubjectum.*
XXI. *An populi, qui in alterius ditionem conceſſerunt, habeant majeſtatem.*
XXII. *Quid ſi plures populi unum habeant caput, an ſinguli majeſtatem retineant.*
XXIII. *Unde hoc conſtet.*
XXIV. *An durante domo regnatrice, populus habeat majeſtatem.*
XXV. *An civitates arctiſſimo fœdere junctæ ſingulæ retineant majeſtatem.*
XXVI. *Quid ſit ſubjectum majeſtatis proprium.*
XXVII. *Cur vocetur proprium.*
XXVIII. *Quot ſint jura Majeſtatis.*
XXIX. *Cur quidam admittant majeſtatem realem.*
XXX. *Unde probetur majeſtatem non eſſe populi.*
XXXI. *An hæc tantum in monarchiis obtineant.*
XXXII *An populus, quia regem conſtituit, rege ſit ſuperior.*
XXXIII. *An populus, quia omne regimen eorum cauſa quâ reguntur, eſt comparatum, ſit ſupra regem.*
XXXIV. *An rex male imperans non ſubjiciatur populo.*
XXXV. *An ex nomine & externâ adminiſtrationis ſpecie de ſummâ poteſtate judicari poſſit.*
XXXVI *An ex imperii delatione per electionem aut ſucceſſionem.*
XXXVII. *An imperium ſummum diverſo modo haberi poſſit.*
XXXVIII. *An detur monarcha temporarius.*
XXXIX. *Quomodo imperia poſſint eſſe in patrimonio.*
XL. *An populus alienari poſſit.*
XLI. *An jus regendi populum devictum ſit in patrimonio populi.*
XLII. *An regna populi voluntate delata alienari poſſint.*
XLIII. *An ſummitas imperii diſtingui poſſit ab habendi plenitudine.*
XLIV. *Quorum ſit tutela cum rex poteſtate fungi non poteſt.*
XLV. *An rex promittens aliquid Deo aut ſubditis retineat ſummum imperium.*
XLVI. *Quid ſi addatur, ſi rex fidem fallat, ut tum regno cadat.*
XLVII. *An ſummum imperium dividi poſſit.*
XLVIII. *Quid ſi populus futuro regi aliquid imperet per modum manentis præcepti, aut ſi quid ſit additum, quo intelligatur, regem cogi aut puniri poſſe.*
XLIX. *Si talis partitio inſtituatur, qualis ſit reſp.*
L. *An ex tali ſtatu bicipiti*

ti non oriantur multa incommoda.
LI. *Quid ſi reges acta ſua a ſenatu probari velint.*
LII. *An inæqualiter fœderatus ſummum imperium habeat.*
LIII. *An ipſi tale inæquale fœdus expediat.*
LIV. *An ſummum imperium habeant qui certi quid penſitant.*
LV. *An illi, qui nexu feudali tenentur.*
LVI. *An ex adminiſtrandi modo ſummum imperium ſemper dignoſci poſſit.*
LVII. *Unde probetur modum adminiſtrandi ab ipſo ſummo imperio diverſum eſſe poſſe.*

I. *Quæ eſt belli prima & neceſſaria partitio?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 1. n. 1. & §. 4. n. 3.

℟. Bellum aliud eſt privatum, aliud publicum, aliud mixtum.

II. *Quid eſt bellum publicum?*

℟. Bellum publicum eſt, quod geritur auctore eo, qui habet jurisdictionem, i. e. ſummum imperium, vel interdum imperium ſummô minus.

III. *Quid eſt privatum?*

dict. c. 3. §. 1. n. 1. c. 4. §. 1. n. 1.

℟. Bellum privatum eſt, quod geritur a privato in privatum, e. g. a viatore in latronem.

IV. *Quid eſt mixtum?*

dict. c. 4. §. 1.

℟. Quod ex una parte eſt publicum, ex altera privatum, e. g. quod privatus gerit in eum, qui ſummo utitur imperio, at non in ſe; aut quod ſummum imperium habens gerit in privatos ſibi non ſubjectos.

V. *An poſt inſtituta judicia publica bel-*

bellum privatum licitè geri poteſt?

℞. Non poteſt, niſi certis in caſibus: quia 1. fruſtra inſtituta eſſet judiciorum auctoritas. Et non eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publicè poteſt fieri, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi. 2. Quia legum nulla eſſet reverentia; ideo enim latæ ſunt, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu: quid enim a bellica confuſione pax tranquilla diſtat, ſi per vim litigia terminantur? Et vim vocant leges, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit.

Grot. dict. c. 3. §. 1. n. 2. l. 2. c. 1. §. 14. in fin..

dict. l. 1. c. 3. §. 1. n. 2. in fin.

VI. *Qui ſunt iſti caſus, ubi bellum licite inter privatos geri poteſt?*

℞. Ubi judicia ceſſant: nam lex vetans ſine judicio ſuum conſequi, intelligi commode debet, ubi copia eſt judicii: nam ubi judicia deficiunt, incipit bellum.

dict. c. 3. §. 2. n. 1. l. 2. c. 1. §. 2.

VII. *Quot modis ceſſat judicium?*

℞. Duobus: momentanee, aut continue. Momentanee, quando eo ipſo momento vel tempore, quo vi certatur, non poteſt judex exſpectari ſine certo periculo aut damno, e. g. in neceſſaria defenſione ſuæ vitæ.

dict. c. 3. §. 2. l. 2. c. 1. §. 3. & 5.

Continue, quando non tantùm eo mo-

Grot. l. 2. c 20. §. 8. n. 5.

momento, quo vi decertatur, judicis copia haberi non poteſt, verum etiam tempore ſucceſſivo: idque aut jure, aut facto; jure, ſi quis verſetur in locis, ubi nulla eſt civitas, neque ſpes ſit, adverſam partem venturam in locum, ubi civitas eſt, ut ſi verſemur in inſulis vacuis, ſolitudine, mari, aut locis non occupatis. facto, ut ſi quidem verſemur in loco, ubi judicis copia haberi poteſt, ſed ſubditi non audiant judicem, & nullo jure recuſent pati executionem fieri, vel ſi judex aperte dicat, ſe mihi non adminiſtraturum jus, aut malitioſe de die in diem, de anno in annum protrahat.

Grot. l. 2. c. 3. §. 2. n. 1.

VIII. *Quotuplex eſt bellum publicum?*

℟. Duplex: ſolenne, & minus ſolenne.

Grot. d. l. 1. c. 3. §. 4. aliter Ziegl.

IX. *Quid eſt ſolenne?*

℟. Quod geritur auctore eo, qui ſummam poteſtatem habet in civitate, & cui ritus quidam adſunt, ſcilicet denunciatio.

Grot. dict. §. in fin.

Grot. l. 3. c. 3. §. 1. n. 2. §. 3. 4. & 5. Puf. l. 8. c. 6. §. 9.

X. *Quid minus ſolenne.*

℟. Quod ritibus illis carere poteſt, & geri in privatos, & auctorem habere magiſtratum.

Grot. dict. c. 3. §. 4. n. 2.

XI. *Quando magiſtratus poteſt bellum gerere?*

℟. Si

℞. Si ita præſens ſit periculum, ut tempus non ferat eum conſuli, qui ſupremum in civitate jus habet, neceſſitas facultatem ſe defendendi concedit. Sic proreges, præſides provinciarum, præfecti caſtrorum &c, in caſu neceſſitatis contra aliorum invaſionem jure ſe defendunt, & videtur ſummum imperium habens maluiſſe civitatem quacunque ratione ſalutem ſuam procurare, quam ab hoſtibus capi.

dict. c. 3. §. 4. n. 2. Conring de fin. Imp. c. 19.

XII. ***Si rex injuriam invaſionis perſequi negligat, an eam perſequi & vindicare poſſunt?***

℞. Non, quia bellum offenſivum tantum geritur auctore eo, qui habet ſummam poteſtatem.

Grot. dict. c. 3. §. 3. n. 3. in fin.

XIII. ***An hic non ſufficit conjectura voluntatis, e. g. ſi occaſio detur eas feliciter vindicandi?***

℞. Non. quia non ſufficit videre, quid hoc rerum ſtatu ſummam poteſtatem habenti, ſi conſulatur, placiturum ſit, ſed videndum, quid ille, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, ſe inconſulto cupiat fieri: & licet hoc tempore & tali rerum ſtatu forte voluntas imperantis eſſet, ut bellum gereretur, tamen, quia ſi unuſquisque magiſtratus hujus rei judicium ad

Grot. dict. c. 3 §. 5. n. 3 Puf. l. 8. c. 6. §. 11.

ſe traheret, perpetuis periculis civitas exponeretur, quibus tamen ex natura & fine ejus eſt occurrendum, hoc permitti non debet. Imo, vel hoc ſummum imperium habenti diſpliceret, quod miniſter limites muneris ſui excederet.

XIV. *Sed ſi in imperio latè patente inferiores poteſtates belli inchoandi conceſſam habeant facultatem?*

Grot. dict. c. 3. §. 5. n. 2.

℞. Si hoc fiat, jam ſane cenſendum erit, bellum geri ex vi ſummæ poteſtatis; nam quod faciendi quis jus alii dat, ejus ipſe auctor cenſetur.

XV. *An extra hos caſus non habent poteſtatem gerendi bellum, ſcilicet ad tuendam plebem & exercendam juriſdictionem, ſi vis occurrat?*

Ziegl. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 4. n. 1. Puf. l. 8. c. 6. §. 10. aliter Grot. l. 1. c. 3. §. 5. n. 2. & 3.

℞. Ad tuendam plebem & juriſdictionem exercendam non opus habent jure belli, ſed modico imperio ſeu facultate ad coërcendos refractarios, quæ conceſſa eſt omnibus, qui habent juriſdictionem; & ſi eorum tantus ſit numerus, ut iis compeſcendis lictores aut apparitores non ſufficiant, rectè ſummæ poteſtatis judicium ſuper tali negotio exſpectant, hæc enim plebem tuetur, magiſtratus juriſdictionem exercet.

Ne-

Neque tamen propriè hæc vis coactiva, quam majeſtas rebellibus & refractariis opponit, bellum dici poteſt, quia hoc eſt inter pares, aut qui tales eſſe volunt. *in Proleg. §. 25.*

XVI. *Verum quia bellum geritur ab eo, qui habet ſummam poteſtatem ſeu majeſtatem, quid eſt majeſtas?*

℟. Majeſtas eſt ſumma poteſtas in civitate ubique, i. e. in perſonas & res.

XVII. *Cur dicitur hæc poteſtas ſumma?*

℟. Quia actus ejus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irtiti reddi poſſint. *Grot. l. 1. c. 3. §. 7. n. 1.*

XVIII. *An ergo actus ejus à nemine poſſunt reddi irriti?*

℟. Tantum ab eo, qui ſummam poteſtatem habet, cui voluntatem mutare licet, ut & ſucceſſori, qui eodem jure utitur, ac proinde eandem habet poteſtatem. *Grot. d. l.*

XIX. *Subjectum majeſtatis quotuplex?*

℟. Eſt duplex: Commune ſeu eſſentiæ, & proprium ſeu exiſtentiæ. *Grot. dict. §. 7. n. 1. & 3.*

XX. *Quid eſt commune?*

℟. Civitas, ſeu majeſtas non eſt, niſi in civitate: quæ eſt cœtus perfectus li- *Lamp. de Rep. Rom. Germ. part. 1. §. 59. & ſeqq.*

berorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus: ſeu eſt ſocietas magna ex pluribus minoribus compoſita, omnis pene ſufficientiæ finem habens.

XXI. *Populi, qui conceſſerunt in alterius ditionem, habentne majeſtatem?*

Grot. dict. §. 7. n. 2. l. 2. c. 9. §. 6. ℞. Non, quia non ſunt civitas per ſe, aut cœtus perfectus liberorum hominum, ſed membra minus digna perfectæ civitatis, in cujus ditionem conceſſerunt, ut ſunt provinciæ Romanorum, & quaſi incorporantur, ut dicunt, regno alterius.

XXII. *Si ergo plures ſint populi, qui ſinguli perfectum cœtum conſtituunt & unum caput habent, an ſinguli retinent majeſtatem?*

dict. §. 7. n. 2. l. 2. c. 9. §. 9. ℞. Affirmatur. in morali enim corpore eadem perſona poteſt eſſe caput plurium & diſtinctorum corporum diverſa ratione conſiderata; ſecus ac in corpore naturali.

XXIII. *Unde hoc conſtat?*

Grot. d. c. 3. §. 7. n. 2. ℞. Hujus rei certum indicium eſſe poteſt, ſi extincta domo regnatrice imperium ad quemcunque populum ſeorſim revertatur.

XXIV. *Ergone durante domo regnatrice*

trice civitas ipſa ſeu populus non habet majeſtatem?

℟. Qui agnoſcunt duplicem majeſtatem, realem ſcilicet & perſonalem, affirmant quæſtionem: ii, qui agnoſcunt ſaltem unam in una civitate, negant; quorum opinio verior eſt, 1. quia omne primum & ſummum debet eſſe ſolum. 2. quia in democratia hæc pluralitas oſtendi non poteſt. 3. quia jura majeſtatis realis a juribus majeſtatis perſonalis diverſa non dantur: & ſimulac à civitate tranſit in perſonam imperantis, deſinit eſſe realis: ſicut dum deſinit eſſe perſonalis, iterum fit realis; & à Deo, ad quem revertitur, tanquam ſuam cauſam efficientem proximam & ſolam, populo iterum confertur.

Limm. ad capit. Rudolph. II. art. 32. p. 533. Grot. dict. §. 7. n. 2. Boecl. Inſt. Pol. l. 2. c. 1. p. 94. & ſeqq. Frid. Hor. 2. Pol. c. 1. §. 10. aliter Pufend. l. 7. c. 3. §. 3. & ſeqq.

XXV. *Civitates arctiſſimo fœdere junctæ an ſingulæ retinent majeſtatem?*

℟. Quia manent cœtus perfectus, retinent ſua jura, leges & libertatem, etiam retinent majeſtatem.

Grot. dict. §. 7. n. 2. in fin. l. 2. c. 9. §. 9.

XXVI. *Quod eſt ſubjectum majeſtatis exiſtentiæ ſeu proprium?*

℟. Ipſi imperantes, in quibus majeſtas exiſtit, & per quos omnia in civitate diſponuntur & diriguntur proprio nomine; perſona una, pluresve, pro cu-

Grot. dict. §. 7. n. 3.

cujuſque gentis legibus ac moribus.

XXVII. *Cur vocatur proprium?*

℞. Quia ab eo reſpp: denominantur, & per illud à ſe invicem differunt: ſcilicet, ſi unus habeat majeſtatem, vocatur monarchia; ſi plures, ariſtocratia; ſi omnes, democratia; ſi & unus & plures, vel unus & omnes, vel unus, plures & omnes, reſp. mixta.

XXVIII. *Quot ſunt jura majeſtatis?*

Frid. Horn. l.2.c.2.§.2. Grot. l.1.c. 3.§.6.n.2.

℞. Quia majeſtas eſt poteſtas ſeu jus, tanquam res incorporalis, dividi non poteſt, ſed eſt indiviſa in ſe, & ſic eſt unicum jus majeſtatis, quod à varietate objectorum varia accipit nomina, e. g. vocatur jus legiſlatorium, quando leges fert: jus conſtituendi magiſtratus, quando magiſtratus conſtituit &c. Hinc pro noſtro concipiendi modo poſſunt conſtitui tria, ad quæ reliqua omnia reducuntur: imperium in perſonas, dominium in res, & regimen univerſi.

XXIX. *Diximus ſupra, quosdam admittere majeſtatem realem, in quem finem hoc ſtatuunt?*

Limn. dict. capit. vid. quæſt. 21. Grot. l.1.c. 3.§.8.n.1.

℞. Ut oſtendant, ubique & ſine exceptione ſummam poteſtatem eſſe populi, ita ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur, & coërcere & punire liceat: quæ ſententia multis malis cau-

cauſam dedit & dare etiamnum poteſt, penitus animis recepta.

XXX. *Unde probatur, majeſtatem non ſemper eſſe populi?*

℞. 1. Per ea, quæ ſupra dicta ſunt. 2. Quia populus nunquam conceſſit poteſtatem regi, quam nunquam habuit, ſed ſolus Deus: & populus liber regem ſibi eligendo, inter manus Dei, a quo proximè accepit, eam reſignat, qui poſtquam à populo rex eſt electus, eam regi confert. 3. Quia rex eſt Dei vicarius, non populi, ergo a Deo, non a populo accipit ſuam poteſtatem. 4. Populus liber ſibi poteſt eligere qualem vult gubernationis formam, ita ut regendi ſui jus ita in alium velit transferri, ut nullam ejus juris partem ſibi retineat: neque ex præſtantia hujus vel illius formæ, ſed ex voluntate jus metiendum eſt, e. g. ſi in tantum periculum adductus alia lege, qui ſe defendat, reperire non poſſit: neque ex incommodis, quæ hinc ſequuntur, aut ſequi poſſunt, judicandum; nam qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis, aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda. 5. Quia jus regendi populum bello adquiri poteſt. 6. Quia tum ſacra,

Quæſt. 24. *Frid. Horn. d. l. vid. quæſt. 24. in fin.* *Grot. l. 1. c. 3. §. 8. n. 1.* *dict. §. 8. n. 3.* *dict. §. 8. n. 1. in fin.* *dict. §. 8. n. 6. dict. §. 8, n. 8.*

cra, tum profana hiſtoria hoc teſtantur.

XXXI. *An hæc ita ſe habent tantum in monarchiis, an vero etiam in aliis rerumpp. formis?*

Grot. dict. §. 8. n. 6. & 7.

℞. Idem jus eademque ratio eſt procerum, qui plebe excluſa civitatem regunt; & populi, qui alios ſub ſe populos habet.

XXXII. *At populus, quia regem conſtituit, ergo rege eſt ſuperior?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 8. n. 13. Ziegl. ad h. l. Puf. l. 7. c. 6. §. 6. in med.

℞. Conſtituens conſtituto eſt ſuperior, quando conſtitutionis effectus perpetuo pendet a voluntate conſtituentis, ut ſi conſtituens non tantum conſtituat perſonam, verum etiam conferat poteſtatem; ſic rex conſtituens magiſtratum eo eſt ſuperior, quia non tantum magiſtratus perſonam conſtituit, verum etiam poteſtatem ei confert: ſecus quando conſtitutio quidem ab initio eſt voluntatis, ſed poſtea effectum habet neceſſitatis, quomodo mulier virum conſtituit, cui parere ſemper neceſſe habet, quia poteſtatem maritalem ei non confert, ſed Deus, qui eſt cauſa omnis ordinis inter imperantes & parentes in ſocietatibus politicis. Quo accedit, quod non omnes reges, ſcilicet imperantes, conſtituantur a populo, quod exemplis

plis gentium bello devictarum ſatis intelligi poteſt.

XXXIII. *An non ideo populus rege eſt ſuperior, quia omne regimen eorum cauſa, qui reguntur, non qui regunt, eſt comparatum?*

℞. Plures hoc affirmant ex finis nobilitate. Sed hoc univerſaliter verum non eſt, omne regimen ejus, qui regitur, cauſa eſſe comparatum; ſic imperia, quæ victoriâ parta ſunt, poſſunt eſſe comparata ad imperantium utilitatem; poſſunt quædam utilitatem reſpicere tam ejus qui regit, quam ejus qui regitur; ut cum populus impotens ſibi tuendo regem potentem imponit. *Grot. d. §. 8. n. 14. Ziegl. hic; ſed non bene.*
2. Non ſequitur quod illi inferunt, propterea populum imperantibus eſſe ſuperiorem, nam & tutela pupilli cauſa reperta eſt, & tamen tutela eſt poteſtas in pupillum. Verum quidem eſt, tutorem removeri poſſe, ſi rem pupilli male adminiſtret, non autem regem ſeu imperantes, quia tutor ſuperiorem habet, non vero rex ſeu imperantes; horum enim peccata Deus ſibi curæ peculiari eſſe teſtatur, qui ea aut vindicat, ſi ita opus judicet, aut tolerat in pœnam aut explorationem populi. Nec refert, quod populi interdum puniti le-

Grot. d. §. 8. n. 16. Puf. l. 7. c. 6. §. 6.

leguntur ob regum peccata: non enim id eo evenit, quod populus regem aut non puniret aut non reprimeret, cum enim ſit inferior, nec poteſt, nec tenetur ea prohibere aut punire, ſed Deus ſummo dominio, quod in vitam necemque ſingulorum habet, uti potuit in pœnam regis, cujus ſupplicium eſt ſubditis orbari.

Grot. l. 2. c. 21. §. 7. 14. & 17.

XXXIV. *An non tunc demum populus univerſus ſubjicitur regi, dum bene imperat, & dum male imperat rex, populo ſubjicitur?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 9. l. 2. c. 26. §. 3. Frider. Horn. l. 2. c. 12. §. 6. & 7.

℞. Si hoc diceretur, non facienda ob regis imperium mala, ſeu ea, quæ manifeſte ſunt iniqua, verum diceretur, quia Deo magis eſt obediendum, quam hominibus: ſed inde non ſequitur, ergo populus univerſus regem coërcere vel punire poteſt: & actuum bonitas vel malitia, quia concernunt virtutes vel particularia vitia, apta non ſunt, ut partes imperii diſtinguant, ſeu ut populo communicent majeſtatem: & ſi populo alicui propoſitum fuiſſet partiri cum rege imperium, fines certe poteſtati utriuſque aſſignari debuiſſent tales, qui cognoſci facile poſſent ex locorum, perſonarum, aut negotiorum diſcrimine.

Grot. d. §. 9. n. 1. in fin. & eod. c. §. 17.

XXXV.

XXXV. *An ex nomine & externa ſpecie adminiſtrationis poteſt judicari de ſumma poteſtate?*

℞. Prima cautio hæc ſit, ne decipiamur ambiguo nominis ſono, aut rerum externarum ſpecie: ſic veteri Germaniæ reges erant, quos Tacitus præfuiſſe ait auctoritate ſuadendi, non poteſtate jubendi: contra Romani Imperatores, poſtquam palam & ſine ulla diſſimulatione regnum liberrimum tenuerunt, principes tamen vocabantur: ſed & inſignia regiæ majeſtatis in liberis quibuſdam civitatibus tribui principibus ſolent. Item & comitia ordinum alibi ſunt tantum majus regis conſilium, alibi de majeſtate participant, alibi etiam jus habent de actis principis cognoſcendi, atque etiam leges præſcribendi, quibus princeps teneatur.

Grot. l. 1. c. 3. §. 10. d. §. 10. n. 2. & 3. Limn. Tom. 4. Addit. l. 2. c. 1. p. 200.

Grot. d. §. 10. n. 4. Boecl. in Comment. h. l.

XXXVI. *An diſcrimen ſummi imperii & ſummo minoris petendum ex imperii delatione per electionem aut ſucceſſionem?*

℞. Negatur. ſucceſſio enim non eſt titulus imperii, qui imperio formam aſſignet, ſed veteris continuatio, jus enim ab electione familiæ cœptum ſuccedendo continuatur; quare quantum

Grot. dict. §. 10. n. 5.

prima electio tribuit, tantum defert ſucceſſio: ſeu electio & ſucceſſio ſunt tantum modi perveniendi ad imperium, ſeu modi, quibus deſignamus perſonas, quæ imperare debent, imperium autem ipſum non conferunt.

Frid. Horn. de civit. l. 2. c. 9. §. 1. fin.

XXXVII. *An ergo imperium ſummum diverſo modo haberi poteſt?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 11.

℞. Altera cautio hæc eſto, aliud eſſe de re quærere, aliud de habendi modo: ſic alii habent ſummum imperium jure pleno proprietatis ſeu in patrimonio, ut qui juſto bello id quæſiverunt, aut in quorum ditionem aliquis populus ita ſe dedidit, ut nihil de majeſtate retineret: alii non, ſeu regnum non habent in patrimonio, ut reges tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitime ſuccedunt: alii jure temporario.

XXXVIII. *An datur monarcha temporarius?*

℞. Affirmatur, quia rerum moralium natura ex operationibus cognoſcitur: quare quæ facultates eoſdem effectus habent, eodem nomine nuncupandæ ſunt. Sic ſi quis rogatus, ut, ſi alteri naſcantur liberi, regnum iis reſtituat, ante eorum nativitatem majeſtatem habet, quia omnia in civitate inde-

aliter Grot. l. 1. c. 3. §. 11. n. 2. Boecl. in Pol. 2. c. 1. pag. 108. & comment. h. l.

independente ab hominibus poteſtate proprio nomine diſponit, neque ipſius actus ab ullo homine irriti reddi poſſunt, & dum regnum reſtituit, non vi ſuperiori ab homine coactus, ſed ad fidem quam defuncto dedit, exſolvendam hoc facit. Exempla Dictatoris Romani, curatorum qui regibus dantur dum, impuberes ſunt, aut furore aut captivitate impediuntur, nihil probant, quia Dictator Romanus & tales curatores magiſtratus ſunt, ab aliis hominibus dependent, & omnia non nomine proprio, ſed alieno agunt; imò interdum ipſorum actus poſſunt reddi irriti vel a populo, vel a rege, & ſic eos non exercent, ut rex optimo jure.

Grot. l. 1. c. 3. §. 12. n. 4. Puf. l. 7. c. 6. §. 15. in fin. Boecl. in Comment. h. l. aliter Grot. h. l. Fr. Horn. l. 2. c. 10. §. 3. Conring. de Regno §. 4. Ziegl. de jur. Majeſt. l. 1. c. 1. §. 41.

XXXIX. *Quomodo imperia poſſunt eſſe in patrimonio, cum liberi homines non ſint in commercio?*

℞. Natura quidem liberos homines conſtituit extra commercium: quia quicquid eſt in commercio, poteſt æſtimari certo pretio, & liberi homines certo pretio æſtimari non poſſunt, aut ſi æſtimentur, non amplius ſunt liberi, ſed ſunt ſervi: verum jus imperandi eſt in patrimonio & commercio.

Pufend. l. 5. c. 1. §. 5.

XL. *Atqui populus ſæpe alienatur, & quicquid alienatur ſeu venditur*

tur, eſt in commercio & certo pretio æſtimatur?

Grot. l. 1. c. 3. §. 12. n. 1.

℟. Proprie non ipſi homines alienantur, ſed jus perpetuum eos regendi, qua populus ſunt, ſeu potius, jus habendi majeſtatem alienatur.

XLI. *Imo hoc jus videtur eſſe in patrimonio populi, quia rex illud non ſine civium ſanguine ac ſudore quæſivit?*

Grot. l. 1. c. 3. § 12. n. 3. Hottom. illuſtr. quæſt. 1. Grot. l. 2. c. 6. §. 11.

℟. Fieri 1. potuit, ut rex ex ſua privata ſubſtantia exercitum aluerit. 2. aut ex fructibus ejus patrimonii quod principatum ſequitur, qui ipſius ſunt, licet patrimonium ſit populi, & ſic evenire poteſt, ut rex in quoſdam populos imperium habeat proprio jure, ita ut alienare etiam poſſit.

XLII. *Regna, quæ populi voluntate delata ſunt, poſſuntne alienari?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 13. n. 1. Alber. Gent. l. 3. c. 15. p. 608. Grot. l. 2. c. 7. §. 15. l. 2. c. 6. §. 9. in fin. l. 2. c. 6. §. 4. in fin.

℟. Non eſt præſumendum, eam fuiſſe populi voluntatem, ut alienatio imperii regi ſuo permitteretur; quia ideo hunc regem & interdum ipſius familiam elegit, ut exerceret ſummum imperium per ſe, non per quemvis alium, & ſic hoc jus ex primæva voluntate, dum in ſocietatem coiverunt, metiendum eſt.

XLIII. *Diximus, modum habendi ſummum*

mum imperium diſtinguendum ab imperio ipſo, anne ergo ſummitas imperii poteſt diſtingui ab habendi plenitudine?

℟. Dicunt hoc adeo verum eſſe, ut non modo pleraque imperia ſumma non plene, i. e. non in patrimonio habeantur, ſed & multa non ſumma habeantur plene, i. e. in patrimonio, ut marchionatus, comitatus, quæ propterea facilius quam regna vendi & teſtamento relinqui ſoleant. Nos diſtinguimus, ſi per vocabula, *plene habere*, intelligatur, ut quis non ſolus ſummum imperium, ſed commune cum aliis habeat, bene dicitur; verum, ſi intelligatur, ut non habeat omnia jura majeſtatis, falſum eſt. Quia quicquid eſt ſummum, a nemine dependet, & quicquid a nemine dependet, nullos habet limites & plenum eſt, licet interdum commune & conjunctim cum aliis qui participant de ſummo imperio; ſic Imperatoris noſtri glorioſiſſimi imperium eſt ſummum & plenum, licet non ſolus habeat majeſtatem in Imperio R. G. ſed conjunctim cum Statibus Imperii: marchionatus, comitatus &c. nec omnino ſumma ſunt, nec plena, quia ſunt feuda Imperatoris & Imperii,

Grot. l. 1. c. 3. §. 14.

Inſtit. jur. Publ. l. 1. tit. 7. in fin.

2. Feud. 10. & Bitſchius ibi. Struv. Synt. I. F. c. 13. aph. 12. & 13.

& ſic imperium in iis eſt dependens & minus plenum, nec ita facile vendi & teſtamento alienari poſſunt.

XLIV. *Quorum eſt tutela, cum rex ætate aut morbo impeditur ſua fungi poteſtate?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 15. ℞. In regnis non patrimonialibus tutela eorum eſt, quibus lex publica, aut ea deficiente, conſenſus populi eam mandat. In regnis patrimonialibus eorum, quos pater aut propinqui elegerint. *Inſt. Jur. Publ. l. 3. tit. 11. §. 4. & 5.* Quamvis & in non patrimonialibus tutela teſtamentaria locum habeat, exempla vid. in A. B. tit. 7. in tutela Sereniſſimorum Electorum I. R. G.

XLV. *Imperium deſinitne eſſe ſummum, ſi imperaturus promittat aliqua aut Deo, aut ſubditis?*

℞. Si promittat Deo aut ſubditis de obſervatione juris divini vel naturalis & gentium, ad quam omnes reges tenentur, etiamſi nihil promiſerint, e. g. juſtitiam omnibus æqualiter adminiſtrare &c. ſummum imperium nec deſinit, nec commune fit cum aliis: verum ſi promittat de regulis quibuſdam *Boecl. in Comm. h. l. Puf. l. 3. c. 6. §. 1. aliter Grot. l. 1. c. 3. §. 16. n. 2.* exercendi ſummum imperium, ad quas ſine promiſſo non teneretur, videndum an promiſſio tantum cadat in exercitium actus, e. g. nolo gerere bellum

lum ſine communicato cum Statibus regni conſilio, adhuc & ſummum manet imperium, & ſolus retinet: ſi promiſſio cadat etiam directè in ipſam facultatem, e. g. nec volo nec poſſum gerere bellum, niſi conſenſu Statuum, *Wir ſollen und wollen*, ſummum quidem manet imperium, ſed ſolus non retinet, qui facultatem communicat cum Statibus regni. Hinc ſi contra prius promiſſum faciat, actus tantum erit injuſtus; ſi contra poſterius, etiam erit nullus, propter defectum facultatis, quam ſolus non habet, non ex vi ſuperiori.

XLVI. *Quid ſi addatur, ſi rex fidem fallat, ut tum regno cadat?*

℞. Si talis lex commiſſaria in delatione regni adjiciatur, deſinit ſummum imperium habere, quia 1. ſe ſubjicit judicio populi vel Statuum regni. 2. quia pœna infligitur a ſuperiore, propter tranſgreſſionem legis, quam præſcripſit.

Boecl. b. l. aliter Grot. l. 1. c. 3. §. 16. n. 4. & 5. & l. 2. c. 20. §. 1. & 3.

XLVII. *An ſummum imperium dividi poteſt?*

℞. Summum imperium unum quid eſt ac per ſe indiviſum, quia eſt poteſtas ſeu jus, & ſic res incorporalis, fieri tamen interdum poteſt, ut dividatur

Grot. l. 1. c. 3. § 17. n. 1.

per partes, ut vocant, potentiales, ſeu objectum ejus dividi poteſt. e. g. in Imperio R. G. dignitates per univerſum Imperium conferuntur a ſolo Imperatore, leges univerſales feruntur ab Imperatore & omnibus Imperii Statibus in comitiis. Dividi etiam poteſt per partes ſubjectivas, ſeu ut ſubjectum exiſtentiæ dividatur, e. g. in imperio R. G. ſubjectum exiſtentiæ majeſtatis Imperator ſolus eſt in Reſervatis ſuis; in juribus comitialibus Imperator & Status Imperii ſimul. Etiam ratione locorum, & ratione temporis, e. g. hic in oriente, ille in occidente, hic hoc tempore, illi alio tempore imperent.

Inſtr. Pac. Oſn. art. 8. n. 2.

Boecl. in Comm. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 17. n. 1. Puf. l. 7. c. 6. §. 15. in fin.

XLVIII. *An talis partitio inſtituitur, ſi quid populus adhuc liber futuro regi imperet per modum manentis præcepti, aut ſi quid ſit additum, quo intelligatur, regem cogi aut puniri poſſe?*

R. Non, ſed populus ſolus habet ſummum Imperium, rex tantum titulum: quia is, cui præcipimus, inferior eſt, ut & is qui puniri poteſt: par enim in parem non habet imperium, ſed ſuperior in inferiorem, & coactio moralis ſeu civilis ſemper fit a ſuperiore, ſecus quam phyſica, ibi enim cogit qui for-

Kid. quæſt. 45. aliter. Grot. l. 1. c. 3. §. 3. n. 1.

Grot. l. 2. c. 20. §. 17. n. 2.

fortior eſt, non qui ſuperior dignitate aut poteſtate.

XLIX. *Quando talis partitio inſtituitur, ut ante diximus, qualis eſt reſpublica?*

℞. Eſt reſp. mixta, quia ubi ſubjecta majeſtatis exiſtentiæ miſcentur, ibi fit reſp. mixta; a ſubjecto enim exiſtentiæ reſp. denominatur. Si unus imperet, eſt monarchia &c. vid. quæſt. 27.

Boecl. Inſt. Pol. l. 2. c. 1. in Com. b l. aliter Bodinus l. 20. 1. Gaſſend. in Phil. Mor. p. 1466. Fr. Horn. l. 3. c un § 3. Puf. l. 7. c. 4. §. 13.

L. *Sed talis ſtatus biceps multa incommoda defert in civitatem?*

℞. In civilibus nihil eſt, quod omni ex parte incommodis careat, & jus non ex eo, quod optimum huic aut illi videtur, ſed ex voluntate eorum, qui in civitatem coëunt, metiendum.

Grot. l. 1. c. 3 §. 17. n. 2.

LI. *Si reges acta quædam ſua nolint eſſe rata, niſi a ſenatu aut alio cœtu aliquo probentur, eritne partitio & reſp. mixta?*

℞. Non, ſed eſt tantum ſimulacrum reip. mixtæ: quia facultas imperandi ſic non communicatur cum ſenatu, aut alio cœtu aliquo, ſed tantum modus adminiſtrandi; & quæ acta eum in modum reſcinduntur, intelligi debent reſcindi regis ipſius imperio, qui eo modo ſibi cavere voluit, ne quid fallaciter

Grot. l. 1. c. 3. §. 18. Boecl. in Com. b. l.

impetratum pro vera ipſius voluntate haberetur. Simile quid eſt, ſi rex non ſubſcribere velit, niſi prius ſubſcriptum videat a ſuo cancellario, cujus fidem in omnibus perſpectam habet.

LII. *An inæqualiter fœderatus ſummum imperium habere poteſt?*

℞. Aut fœdus conjunctum eſt cum imminutione ſummi imperii: ut ſi facultas imperandi vel plane transferatur in confœderatum, vel communicetur, e. g. ne cui bellum faciat confœderatus injuſſu alterius, facultas imperandi in ipſum eſt tranſlata: qui enim me jubet, me ſuperior eſt. Aut eſt ſine imminutione imperii, ut ſi quis promittat confœderato, ſe certis locis arces non ædificaturum, ſe non navigaturum certo loco &c. facultas enim caſtra exſtruendi & munimenta, navigandi &c. facultas penes ipſum manet, licet exercitium ex pacto reſtringatur, ut ubique hoc non poſſit. Huc refer fœdera protectionis & advocatiæ. Item, dum populus populo reverentiam & honoris ſigna quædam exhibere promittit.

Grot. l. 2. c. 15. §. 7. n. 1. & 2.

Grot. l. 1. c. 3. §. 21. n. 1.

LIII. *At ſæpe, qui ſuperior eſt in fœdere, ſi is potentia multum antecellat, ſummum imperium uſurpat?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 21. n. 10.

℞. Verum eſt, præſertim ſi fœdus

ſit

ſit perpetuum, & cum jure præſidia inducendi in oppida. Hinc ad prudentiam civilem pertinet in tractandis conſiliis circa iſtiuſmodi fœdera & clientelas cautè incedere: non enim inepte vulgo dicitur, clientelam primum ad ſervitutem eſſe gradum. *Puf. l. 8. c. 9. §. 4. in fin. Bodin. de Rep. l. 5, c. 6.*

LIV. *An ſummum imperium habent, qui certum quid penſitant, aut ad redimendas vexas, aut ad tutelam comparandam?*

℞. Quo minus ſummum imperium habere poſſint, nullam dubitandi cauſam video, cum de imperandi facultate plane nihil decedat, quamquam Infirmitatis confeſſio de dignitate aliquid delibat. *Grot. l. 1. c. 3. §. 23. Alber. Gent. l. 3. c. 4. Seld. l. 6. c. 17.*

LV. *An qui nexu feudali vinciuntur, habent ſummum imperium?*

℞. Non: quia dominus feudi retinet dominium directum ſeu ſuperius, & vaſallus tantum dominium utile ſeu inferius, & regalia conſequitur. Imo ob crimina feudalia puniri & feudum amittere poteſt. *Aliter Grot. l. 1. c. 3. §. 23. n. 1. & 2. & l. 2. c. 6. §. 9.*

LVI. *An ex modo adminiſtrandi ſummum imperium ſemper judicandum de formâ imperii aut ſummo imperio ipſo?*

℞. Negatur, aliud enim eſt jus, aliud uſus *Grot. l. 1. c. 3. §. ult.*

aliter Eim. l. 1. c. 10. §. 24. & in tom. addit. ad h. lib.

uſus juris. ſive, modus adminiſtrandi ſummum imperium poteſt eſſe diverſus a ſummo imperio. ſic modus adminiſtrandi poteſt eſſe ariſtocraticus, imperium autem monarchicum, e. g. dum rex infans eſt, furioſus, captivus &c. jus ſeu ſummum imperium habet, ſed exercere non poteſt, verum ſæpe exercetur per ſenatores regni, & ſic modus adminiſtrandi eſt ariſtocraticus, imperio monarchico exiſtente.

LVII. *Unde hoc cognoſcitur?*

℞. Si ſalvis imperii legibus fundamentalibus hic modus adminiſtrandi a ſummum imperium habente mutari poſſit, diverſus eſt ab imperio ipſo, ſeu a forma ipſius reip. & ſi ſalvis imperii legibus fundamentalibus mutari non poſſit modus adminiſtrandi, hic & imperium ipſum, ſeu forma reip. conveniunt, & non ſunt diverſa; ut in Imperio R. G. & modus adminiſtrandi & forma ipſa reip. ſunt mixta.

CAPUT IV.

De bello ſubditorum in ſuperiores.

I. *An ſubditi adverſus imperantes licitè arma ſumant.*
II. *Unde probetur, eos id non poſſe.*
III. *An 1 Sam. 8. v. 11 deſcribatur verum jus regium.*
IV. *An magiſtratus inferior non poſſit contra imperantem arma ſumere.*
V. *An lex de non reſiſtendo*

do nos obliget in gravisſimo & certiſſimo diſcrimine.
VI. *Cur perſonæ regis ſit parcendum.*
VII. *An ergo injurias pati utile ſit.*
VIII. *An regiis miniſtris & iniqui mandati executoribus ſit parcendum.*
IX. *Quibus in caſibus detur jus belli adverſus regem.*
X. *Quid ſi rex imperium abdicaverit, aut pro derelicto habuerit.*
XI. *Quando cenſeatur imperium derelictum.*
XII. *Quid ſi regnum alienet, aut alii ſubjiciat.*
XIII. *Quid ſi hanc regni alienationem tentet.*
XIV. *Quid ſi vere hoſtili animo in totius populi exitium feratur.*
XV. *Quis de ejus hoſtili animo judicare debeat.*
XVI. *Quid ſi Rex regnum committat ex felonia, vel ipſe per clauſulam in imperii delatione appoſitam ſubditos ſuos certo caſu obedientiæ vinculo ſolverit.*
XVII. *Quid ſi rex in partem ſummi imperii, quam populus habet, involet.*
XVIII. *Quid ſi hoc in caſu belli poteſtas penes regem ſit.*
XIX. *Quid liceat in invaſorem imperii.*
XX. *An talem invaſorem occidere liceat ex mandato ejus, qui verum jus imperandi habet.*
XXI. *An ex lege antecedente.*
XXII. *Quid ſi rex in tyrannum degeneret.*
XXIII. *Quid ſit tyrannus.*
XXIV. *Quid in eum liceat.*
XXV. *In controverſo jure quid privatus facere debeat.*

I. *An ſubditi adverſus ſummam poteſtatem, aut inferiores agentes, quod agunt, ſummæ poteſtatis auctoritate, licite arma ſumunt?*

Grot. l. 1. c. 4. §. 1. n. 2. & 3.

℞. Si quid imperent naturali juri aut divinis præceptis contrarium, non eſt faciendum quod jubent: quia Deo magis, quam hominibus obediendum; at, ſi qua ex tali cauſa, aut alioqui, quia ſummum imperium habenti ita li- Grot. l. 2. c. 26. §. 3.

libet, injuria nobis inferatur, quamdiu non eſt tyrannus, & vinculum inter imperantes & parentes non ſolvit, toleranda eſt potius, quam vi reſiſtendum.

II. *Unde hoc probatur?*

Grot. dict. c. 4. §. 2. n. 1. ℞. Probatur 1. quia alias civitas, quæ jus majus in nos & noſtra conſequitur, quam ipſi habemus, finem ſuum, qui eſt, ut quiete & tranquille vivamus, non poſſet conſequi. Unde enim ſanitas ægrotantibus, ſi non per omnia medicis pareant? quid tuti navigantibus, ſi plebs nautica gubernantium juſſa contemnat. 2. Non eſt civitas, ſed diſſociata multitudo & confuſa turba, nemo ubi audit neminem. 3. Fruſtra ma-

Grot. dict. §. 2. n. 3. jeſtas ſive populi, ſive unius, qui ſummo fungitur imperio, tot legibus & tot pœnis defenditur, ſi maneat reſiſtendi

dict. c. 4. §. 3. licentia. 4. In lege Hebræa mortis ſupplicio damnatur, qui inobediens fuerit aut ſummo Pontifici, aut qui extra ordinem rector populi a Deo eſt conſti-

Frid. Horn. l. 2. c. 4. §. 8. Boecl. Inſt. Pol. 2. c. 2. & in Comment. Oſiand. h. l. aliter Grot. dict. §. 3. tutus. Deut. XVII. v. 14. 1 Sam. VIII. v. 11.

III. *An 1 Sam. 8. v. 11. deſcribitur verum jus regium?*

℞. Aff. 1. quia populus regem petiit, & Deus promiſit regem talem, qua-

qualem alii populi habebant. 2. Quia omnes actus ibi deſignati per ſe vitium nullum continent. 3. Poſita neceſſitate reip. neceſſario a quocunque rege, ſi ſalvam velit remp. ſuſcipiuntur. 4. Recenſentur ibi jura regis ordinaria & extraordinaria ſeu eminentis dominii: inſtruit enim Samuel populum, eique regis poteſtatem & imperii amplitudinem exponit, ſecus quam Moſes, qui regis officium deſcribit. *Puf. l. 7. c. 8. §. 3. & 6.*

IV. *An hæc tantum locum habent in privatis, an vero etiam in magiſtratibus inferioribus?*

℞. Inventi ſunt noſtro ſæculo viri, eruditi quidem illi, ſed temporibus & locis nimium ſervientes, qui putabant, hæc tantum locum habere in privatis, non etiam in magiſtratibus inferioribus, quibus jus eſſe putant reſiſtendi injuriis ejus, cujus ſummum eſt imperium; imo & peccare eos, ni id faciant. Quæ opinio admittenda non eſt: quia quidem magiſtratus illi, inferiorum ratione habita, ſunt publicæ perſonæ, ſed ad ſuperiores ſi conſiderentur, privati ſunt. Nam omnis facultas gubernandi, quæ eſt in magiſtratibus, ſummæ poteſtati ita ſubjicitur, ut quicquid contra voluntatem ſummi impe- *Grot. dict. c. 4. §. 6. n. 1.*

rantis faciant, id defectum ſit ea facultate, ac proinde pro actu privato habendum; & quicquid imperii cenſentur habere, id omne debent principi, qui ſi detrahat manum & repoſcat poteſtatem, nudi adſtabunt, nihil priſtinæ dignitatis retinentes. Quo accedit, quod in populo Hebræo, ubi tot fuere reges divini humanique juris contemptores, nunquam inferiores magiſtratus, in quibus plurimi fuere viri pii & fortes, id ſibi juris ſumſerunt, niſi ſi qui a Deo, cujus in reges ſummum jus eſt, mandatum ſpeciale acceperant.

dict. c. 4. §. 6. n. 3.

V. *An lex de non reſiſtendo nos obligat in graviſſimo & certiſſimo diſcrimine?*

dict. c. 4. §. 7. n. 1.

℞. Leges etiam Dei quædam, quanquam generaliter prolatæ, tacitam habent exceptionem ſummæ neceſſitatis, ut lex de ſabbatho ſanctificando, & non edendis panibus propoſitionis: non quod Deo jus non ſit ad certam mortem ſubeundam nos obſtringere, ſed quod leges quædam ejus ſint argumenti, ut non credibile ſit, datas ex tam rigida voluntate. An autem lex de non reſiſtendo regi talis ſit? plures dubitant: quia natura turpe eſt ſummo reſiſtere imperio, & quemadmodum jus na-

naturæ, ita & hoc præceptum de non reſiſtendo regi immutabile eſt. Verum non videntur damnandi vel ſinguli, aut pars populi minor, ſi ita utantur ultimo neceſſitatis præſidio, ut interim communis boni reſpectum non deſerant, & in tali periculo perſonæ regis vel principis ſemper parcant.

Ziegl. O-ſiand. h. l.

dict. §. 7. n. 4. 6. & 7.

VI. *Cur perſona regis excipitur?*

℞. Quia 1. eſt ſancta, propter majeſtatem, quæ eandem perſonam inhabitat, quæ impias nobis infert manus, eamque ſemper comitatur, ita ut ejus reverentiam nunquam nobis deponere liceat, & nec voce lædendus ſit, multo minus manu. Nam cum ſummum imperium non poſſit non multorum odiis patere, ſecuritas fungentis peculiariter a Deo eſt munita, & regium nomen gentes, quæ ſub regibus ſunt, pro Deo colunt. 2. Quia multis eſt utilis; niſi enim rectores civitatum eſſent, feriorem feris viveremus vitam, non mordentes tantum, ſed & vorantes alios alii.

dict. c. 4 §. 7. n. 6. Horn. de Civ l. 2. c. 12. §. 11. & 13.

Grot. d. l. & l. 2. c. 1. §. 9. Puſend. l. 2. c. 5. §. 2.

VII. *At utile non eſt pati injurias?*

℞. Hæc injuria interventu meliorum penſatur, tranquillitate ſcilicet publica, in qua & ſingulorum comprehenditur; & ſi quando nimia iracundia aliiſve

dict. c. 4. §. 4. n. 2. & 3.

affectibus tranſverſi agantur rectores, quo minus rectam ineant viam, quæ ad tranquillitatem ducit, id inter minus frequentia habendum eſt; vel ſi non utile videatur huic, qui patitur injuriam, ejus tamen patientia utilis eſt univerſitati, ad cujus conſervationem eſt natus, etiam cum amiſſione vitæ, ſi aliter fieri non poſſit.

Boecl. in Inſt. Pol. l. 1. c. 6. p. 84.

VIII. *An idem dicendum de miniſtris quos adhibet?*

℞. Si miniſtros adhibeat, ut iniqui mandati executores, hos malitia regis non præſtabit ſacro-ſanctos, & ab imperio injuſti regis & tyranni nullam facultatem injuſte agendi conſequuntur; ſed abſiſtere debent ab executione præcepti iniqui, miniſterium enim eſt crimen; & ſi quis aut patri, aut magiſtratui, aut domino turpia aut iniqua facta imperanti, non paret, is nec inobediens eſt, nec injuriam facit, nec peccat. Et hinc ſi malitiam malitiæ conjungant, inque executione pergant, quin a læſis omnes, tanquam latrones trucidari poſſint, non dubitamus.

Grot. l. 2. c. 26. §. 1. n. 1. in fin. & n. 2.

Horn. l. 2. c. 12. §. 11. med.

IX. *An igitur nullo in caſu datur jus belli adverſus regem aut principem?*

℞. Qui principes ſub populo ſunt, ſive ab initio talem acceperunt poteſtatem,

dict. c. 4. §. 8.

tem, ſive poſtea ita convenit, ſi peccent in leges reip. non tantum vi repelli poſſunt, ſed ſi opus ſit, puniri morte. Confer tamen ſupra c. 3. q. 45. ubi oſtendimus, tales principes majeſtatem non habere.

X. *An jus belli datur in eum, qui abdicavit imperium, aut habet pro derelicto?*

℞. Affirmatur; quia poſt id tempus habetur pro privato, & omnia in eum licent, quæ in privatum. *dict. c. 4. §. 9.*

XI. *Quando habetur imperium pro derelicto?*

℞. Pro derelicto habet imperium, qui ſciens volenſque patitur illud perire, aut in ſummum diſcrimen adduci, nec in ſalutem ejus quicquam movet dignum memoratu. Qui illud per fugam manifeſte derelinquit, qui è regno ejectus illud ab alio præſcribi patitur, nec armis, nec proteſtatione interpoſita ſibi conſulit, cum invaſore paciſcitur, nulla juris ſui mentione facta, ipſum regem vel principem illius regionis nominando, titulo & inſignibus regiis abſtinendo. Nec enim ita ſe gerit circa rem, quam pro ſua vindicat vir bonus, aut prudens. Minime autem pro derelicto habere imperium cenſendus eſt, *Conring. de fin. Imp. c. 19. §. 5. Boecl. in Comment. ad Grot. l. 1. c. 4. §. 9.*

qui id tractat negligentius.

XII. *Quid ſi rex regnum alienet, aut alii ſubjiciat?*

dict. c. 4. §. 10. ℞. Amitti ab eo regnum exiſtimat Barclajus. verum ſine ratione; nam talis actus, ſi regnum electione aut ſucceſſoria lege deferatur, nullus eſt, propter defectum facultatis; quæ autem nulla ſunt, nullum habent juris effectum.

XIII. *Si tamen id etiam tradere aut ſubjicere moliatur?*

Grot. d. c. 4. §. 10. in fin. l. 2. c. 7. §. 27. n. 1. in fin. ℞. Quin ei reſiſti poſſit, non eſt dubitandum. Modus enim habendi imperium ne mutetur, obſtare poteſt populus; id enim ſub imperio comprehenſum non eſt, ſed ex primæva in civitatem coëuntium voluntate metiendum eſt, ubi nullum fuit imperium. Et ſi ſibi ipſi defendendo ſufficiat, ſeparatam poteſt inſtituere civitatem: parendum enim in omnibus patri, in eo autem non eſt parendum, quo efficitur, ne pater ſit.

XIV. *An bellum in eum eſt licitum, qui vere hoſtili animo in totius populi exitium fertur?*

dict. c. 4. §. 11. ℞. Affirmatur. conſiſtere enim ſimul non poſſunt voluntas imperandi & voluntas perdendi. Quare qui ſe hoſtem po-

populi totius profitetur, is eo ipſo abdicat regnum. Sed vix videtur id accidere poſſe in rege mentis compote, qui uni populo imperat: ſi enim pluribus imperet, accidere poteſt, ut unius populi in gratiam alterum velit perditum.

XV. *Quis judicabit, an ſit hoſtis?*

℞. 1. Multæ hic ſe ingerunt difficultates, nec enim hoc ſimpliciter populi judicio permittendum, qui forte rerum præſentium pertæſus facile regem hoſtem pronunciaret. 2. Notæ ſæpe tales ſunt, ut non ſtatim hoſtem, ſed peſſime imperantem oſtendant. Hinc ſubditi neceſſitate obſequii tamdiu non ſunt liberati, quamdiu reip. eſſentia non eſt interciſa, & conſtat ejus compages. Et ſi pluribus populis imperet, & alterum velit perditum, videndum, an hoc faciat ex cauſa pœnali, an odio tyrannico.

Boecl. in Comment. l. 1. c. 4. §. 11. Lampad. de Rep. R. G. part. 1. §. 11. 12. 13.

XVI. *An in eum bellum eſt licitum, qui Regnum committit ex felonia, aut ex clauſula in imperii delatione appoſita, quâ ſubditi obedientiæ vinculo ſolvuntur, ſi rex hoc aut illud fecerit?*

℞. Affirmatur; quia tunc recidit in privatam perſonam: vel potius, quia nun-

Grot. d. c. 4. §. 12. & 14. Con-

ring. in theſ. Rerump. part. 1. p. 180. & 181. nunquam majeſtatem habuit. vid. ſupra c. 3. q. 45.

XVII. *An ſi rex partem habeat ſummi imperii, partem alteram populus aut ſenatus, regi in partem non ſuam involanti vis juſta opponi poterit?*

dict. c. 4. §. 13. ℞. Affirmatur, quia eatenus imperium non habet.

XVIII. *Quid ſi belli poteſtas penes regem eſſet?*

dict. c. 4. §. 13. Boecl. in Comment. h. l. Conring. ad Lamp. part. 1. §. 11. conf. Grot. l. 2. c. 16. §. 14. & l. 3. c. 3. §. 4. ℞. Si belli poteſtas eſt penes regem, intelligendum eſt de bello externo, non de bello in coimperantes, qui non poſſunt non jus habere partem ſuam tuendi, adeô ut & rex ſuam imperii partem belli jure amittere poſſit: in mixta enim rep. ille juſtam bellandi cauſam habet, qui ſuam partem defendit.

XIX. *Quid licet in invaſorem imperii?*

℞. Quamdiu durat cauſa invadendi, ſeu quamdiu imperium non eſt plane arreptum, videtur manere belli jus, ac proinde in eum licere, quod in hoſtem licet, qui à quolibet etiam privato poteſt interfici: ſi autem imperium omnino ſit acquiſitum, vel quia pactio eſt ſecuta, aut fides illi data, aut victoria in populum obtenta, adeò ut cogatur arma omnino ponere, nullum in ejus per-

Horn. l. 2. c. 9. §. 2. 3. 4.

perſonam jus ſupereſt populo. Ad imperium enim nihil attinet, quocunque modo ſit adquiſitum, ſemper enim & ubique ſibi reſpondens poſtulat obſequium, quod à Deo majeſtati conjunctum eſt; & ſimul ac invadenti victoriam conceſſit, è populo in invaſorem omne imperium, citra ullam iſtius pactionem, tranſtuliſſe dicendum eſt. Imperia enim armis quæruntur, victoriis propagantur, neque voluntas Dei, qui reges imponit & deponit, ex belli cauſa æſtimanda eſt. Grot. l. 3. c. 8. §. 1. & 4.

XX. *An ergo talem tyrannum occidere non licet, ſi diſerta auctoritas accedat ejus, qui verum jus imperandi habet, ſive is rex ſit, ſive ſenatus, ſive populus?*

℟. Licet, ſi nulla pactio interceſſit, & victoria nondum omninò eſt obtenta; alias non licet, quia ſummum imperium non ampliùs eſt penes eum, qui fuit rex. Grot. l. 1. c. 4. §. 18. *aliter.*

XXI. *Quid ſi ante invaſionem lex exſtiterit, ut unusquiſque invaſorem occidere poſſit?*

℟. Quamdiu in actu occupandi & invadendi conſtitutus eſt, licet; non autem poſtquam occupavit. Grot. l. 1. c. 4. §. 17. *aliter.*

XXII. *Quid ſi aliquis etiam ab initio legitimus rex degeneraret in tyran-*

 num,

num, ſeu fieret tyrannus exercitio?

Boecl. in Com. ad §. 14.

℞. Quid ſit tyrannus, non ſatis eſt definitum; nec hîc Philoſophi auctoritate abuti debemus, & deſcriptiones quaſdam pro veris definitionibus arripere; nec ex notis tyrannicis 5. Pol. 11. eam exſtruere, ſunt enim quædam 1. nec bonæ nec malæ per ſe. 2. quædam ita comparatæ, ut optimo cuique principi competere poſſint. Nec ſtatim ad mores patrios confugere & illum tyrannum dicere licet, qui facit contra mores patrios, quos interdum populus ementitur, & titulo legis adornat, vel qui jam aliquot ſæculis in uſu non fuerunt; contra primævas enim leges reip. tempus multa innovat. Et hinc ſicut in definiendo tyranno, ita & in eo, quid in illum liceat, non ita faciles ſimus oportet.

XXIII. *An ergo definiri non poteſt?*

℞. Fortè non male deſcribitur tyrannus, quod ſit is, qui nec eo, quo decet, ordine & modo imperat, ſed omni honeſtatis, virtutis, juris ratione, inprimis patrii, inſuper habitâ, in tractanda rep. libidinem animi pro lege habet. Requiritur ergo hîc regni cujuſque ſolida cognitio.

XXIV.

XXIV. *Si hæc omnia certa ſint, quid in ipſum licet?*

℞. In remediis adverſus tyrannum conquirendis nullus temeritati & feſtinationi locus eſt. Quia tamen ſic omnino diſſolvitur vinculum inter imperantes & parentes, quin in tali neceſſitatis caſu, quando reip. aliter conſuli non poteſt, deponi poſſit, non dubitamus. *Frid. Horn. l. 2. c. 9. §. 3. & 4. aliter.*

XXV. *Si dubium ſit ad quem imperandi jus pertineat?*

℞. In re controverſa judicium ſibi privatus ſumere non debet, ſed poſſeſſionem ſequi. Sic tributum ſolvi Cæſari Chriſtus jubebat, quia ejus imaginem nummus præferebat, i. e. quia in poſſeſſione erat imperii. *Grot. l. 1. c. 4. §. 20. conf. hic Becman. in not.*

CAPUT V.

Qui bellum licite gerant.

I. *Quæ ſit cauſa principalis effectrix in bello.*
II. *An pro aliis bellare liceat.*
III. *Quæ ſint hominum inter ſe vincula, quæ ad mutuam opem invitant.*
IV. *Quæ ſit cauſa inſtrumentalis.*
V. *An ſubditi ad bellum cogi poſſint.*

I. *Quæ eſt cauſa principalis effectrix in bello?*

℞. Is, cujus res agitur: in privato privatus; in publico poteſtas publica, maximè ſumma. *Grot. l. 1. c. 5. §. 1.*

II. *An & pro aliis bellum movere poſſumus?*

Grot. d. c. §. 2. n. 1.

℞. Alteri prodeſſe, non licitum modo, ſed & honeſtum eſt.

III. *Quæ ſunt hominum inter ſe vincula, quæ ad mutuam opem invitant?*

Grot. d. c. §. 2. n. 1. & 2. in fin.

℞. Diverſa ſunt: nam & cognati ad opem ferendam coëunt, & vicini inclamantur, & qui ejuſdem ſunt civitatis participes. Et hiſce vinculis deficientibus, ſufficit humanæ naturæ communio. Deus enim præter cætera, homini dedit hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat & præſtet auxilium.

IV. *Quæ eſt cauſa inſtrumentalis?*

Grot. d. c. §. 3.

℞. Filius patri eſt inſtrumentum, pars quippe ejus naturaliter; ſervus domino; ſubditus imperanti; qui ita agunt ſua voluntate, ut ea ab altero pendeat.

V. *An omnes ſubditi naturaliter bello poſſunt adhiberi?*

Grot. d. c. §. 4. l. 2. c. 25. §. 1. c. 26. §. 5.

℞. Dubium non eſt, propter ſummum imperium in ipſorum perſonas: & quia ſunt quaſi pars rectoris; hinc etiam in caſu neceſſitatis cogi poſſunt.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS NATURÆ ET GENTIUM

LIBER II.

CAPUT I.

De belli cauſis, & primum de defenſione ſui & rerum.

I. *Quid ſit cauſa belli.*
II. *Quotuplex ſit.*
III. *An in omni bello cauſa juſtifica requiratur.*
IV. *Quid ſit cauſa juſtifica.*
V. *An is, qui injuriam nec paſſus eſt, nec metuit, juſtam habeat belli cauſam.*
VI. *An detur bellum pœnale.*
VII. *Quæ ſit prima juſta belli cauſa.*
VIII. *Quid ſi corpus impetatur vi præſente.*
IX. *Quid ſi invaſor peccato careat.*
X. *Quid ſi innocentes interpoſiti fugam aut defenſionem impediant.*
XI. *Quale periculum requiratur, ut alium licite occidere poſſim.*
XII. *An quis cogatur exſpectare primum ictum.*
XIII. *Quid ſi quis conjuraverit, aut alias inſidias ſtruat.*
XIV. *An pro integritate membrorum bellum ſit licitum.*
XV. *An pro pudicitia conſervanda.*
XVI. *Quando occidi potius, quam occidere debeamus.*
XVII. *An rex innocentem inſultans; ipſo facto rex eſſe deſinat.*
XVIII. *An unuſquiſque ſalutem propriam anteponere debeat ſaluti reip.*
XIX. *An interfectio licita ſit ad arcendam alapam aut malum ſimile.*
XX. *Talem injuriam patienter ferens an honorem ſuum augeat.*
XXI. *In periculo vitæ conſtitutus an fugere debeat.*
XXII. *An fuga ignominioſa ſit.*
XXIII. *An occidi poſſit, qui male de nobis loquitur.*
XXIV. *An pro rebus defendendis interfectio ſit licita.*
XXV. *An fur interdum occidi poſſit.*

XXVI.

XXVI. *An lex civilis, interfici aliquem permittens, jus det, an ſolam impunitatem.*
XXVII. *Quando licita eſſe poſſit ſingularis dimicatio.*
XXVIII. *Quid ſi magiſtratus duos mortem meritos inter ſe committat.*
XXIX. *An ad vindicandas privatas injurias duella ſint permittenda.*
XXX. *An hactenus dicta de jure ſe & ſua tuendi etiam ad bellum publicum aptari poſſint*
XXXI. *An ad imminuendam potentiam vicini arma licite ſumantur.*
XXXII. *Quid ſi de ejus animo hoſtili conſtet.*
XXXIII. *An licita ſit defenſio in eo, qui juſtam bello cauſam dedit.*
XXXIV. *An oblata ſatisfactio ſemper acceptari debeat.*

I. *Quid eſt cauſa belli?*

Grot. l. 2. c. 1. §. 1. c. 22. §. 1. n. 1. & 2.

℞. Cauſa belli, quæ & principium vocatur, licet inter ſe diverſa ſint, eſt, propter quod quis bellum gerit.

II. *Quotuplex eſt cauſa belli?*

Grot. dict. loc. Boecl. ad 1. Annal. Tac. c. 10. Puf. l. 8. c. 6. §. 4. & 5.

℞. Duplex: juſtifica, quæ movet ſub ratione juſti, & bellum juſtum reddit; & ſuaſoria, quæ ſub ratione utilis movet. Illæ dicuntur etiam prætextus, quia plerumque in publicum edi ſolent: hæc in pectore bellantium latent, ut gloriæ cupido, metus vicinæ potentiæ, odia &c. cauſæ juſtificæ propriè noſtri ſunt argumenti.

III. *An in omni bello cauſa juſtifica requiritur?*

Grot. d. §. 1. n. 3.

℞. Non minus de bello publico, quam privato verum eſt. Licet enim bella

bella publicâ auctoritate ſuſcepta habeant aliquos effectus juris quos bella privata non habent, non tamen vacant peccato, niſi juſta cauſa ſubſit, & qui ea gerunt, vocantur latrones, prædones, dicuntur alios fraude latronum ac ſcelere regnis ſpoliare &c.

IV. *Quæ eſt cauſa juſtifica?*

℞. Nulla eſſe alia poteſt, niſi injuria, aut facta, aut non facta. Propter injuriam factam, aut reparamus quod noſtrum eſt vel fuit, aut punimus. Propter injuriam nondum factam defendimus aut corpus, aut rem. Hinc plerique tres bellorum cauſas juſtas ſtatuunt, defenſionem, recuperationem rerum, & punitionem. *Grot. d. §. 1. n. 4. & §. 2.* *Grot. d. §. 2. n. 2.*

V. *Qui ergo injuriam paſſus non eſt, vel eam non certè metuit, an habet juſtam cauſam?*

℞. Non, & ab omni jure abhorret perperam ſic dicta Ratio belli, *raiſon de Guerre*, quâ putant omne eſſe licitum, quod ſtatus belli feliciùs perficiendi depoſcere videtur, poſthabito omni æquitatis reſpectu; quo referuntur populationes in territorio amico vel neutrali, militum excurſiones, deprædationes, hoſpitationes &c. an etiam caſtri occupatio in ſolo neutrali, *Text. in Syn. J. G. c. 17. §. 2.*

ne

XXVI. *An lex civilis, interfici aliquem permittens, jus det, an ſolam impunitatem.*
XXVII. *Quando licita eſſe poſſit ſingularis dimicatio.*
XXVIII. *Quid ſi magiſtratus duos mortem meritos inter ſe committat.*
XXIX. *An ad vindicandas privatas injurias duella ſint permittenda.*
XXX. *An hactenus dicta de jure ſe & ſua tuendi etiam ad bellum publicum aptari poſſint*
XXXI. *An ad imminuendam potentiam vicini arma licite ſumantur.*
XXXII. *Quid ſi de ejus animo hoſtili conſtet.*
XXXIII. *An licita ſit defenſio in eo, qui juſtam bello cauſam dedit.*
XXXIV. *An oblata ſatisfactio ſemper acceptari debeat.*

I. *Quid eſt cauſa belli?*

Grot. l. 2. c. 1. §. 1. c. 22. §. 1. n. 1. & 2.

℞. Cauſa belli, quæ & principium vocatur, licet inter ſe diverſa ſint, eſt, propter quod quis bellum gerit.

II. *Quotuplex eſt cauſa belli?*

Grot. dict. loc. Boecl. ad 1. Annal. Tac. c. 10. Puf. l. 8. c. 6. §. 4. & 5.

℞. Duplex: juſtifica, quæ movet ſub ratione juſti, & bellum juſtum reddit; & ſuaſoria, quæ ſub ratione utilis movet. Illæ dicuntur etiam prætextus, quia plerumque in publicum edi ſolent: hæc in pectore bellantium latent, ut gloriæ cupido, metus vicinæ potentiæ, odia &c. cauſæ juſtificæ propriè noſtri ſunt argumenti.

III. *An in omni bello cauſa juſtifica requiritur?*

Grot. d. §. 1. n. 3.

℞. Non minus de bello publico, quam privato verum eſt. Licet enim bella

bella publicâ auctoritate ſuſcepta habeant aliquos effectus juris quos bella privata non habent, non tamen vacant peccato, niſi juſta cauſa ſubſit, & qui ea gerunt, vocantur latrones, prædones, dicuntur alios fraude latronum ac ſcelere regnis ſpoliare &c.

IV. *Quæ eſt cauſa juſtifica?*

℞. Nulla eſſe alia poteſt, niſi injuria, aut facta, aut non facta. Propter injuriam factam, aut reparamus quod noſtrum eſt vel fuit, aut punimus. Propter injuriam nondum factam defendimus aut corpus, aut rem. Hinc plerique tres bellorum cauſas juſtas ſtatuunt, defenſionem, recuperationem rerum, & punitionem.

Grot. d. §. 1. n. 4. & §. 2.

Grot. d. §. 2. n. 2.

V. *Qui ergo injuriam paſſus non eſt, vel eam non certè metuit, an habet juſtam cauſam?*

℞. Non, & ab omni jure abhorret perperam ſic dicta Ratio belli, *raiſon de Guerre*, quâ putant omne eſſe licitum, quod ſtatus belli felicius perficiendi depoſcere videtur, poſthabito omni æquitatis reſpectu; quo referuntur populationes in territorio amico vel neutrali, militum excurſiones, deprædationes, hoſpitationes &c. an etiam caſtri occupatio in ſolo neutrali, ne

Text. in Syn. J. G. c. 17. §. 1.

ne hoſtis illud occupet? videbimus in cap. 2. ad §. 10.

VI. *Cur diximus, plerique admittunt tres juſtas cauſas?*

Feld. ad Grot. l. 2. c. 1 §. 2. n. 2. Boecl. in Com. h. l. Grot. in Proleg. §. 25.

℟. Quia plures bellum pœnale non agnoſcunt, & quidem recte: pœna enim exigitur ab inferiore, bella ſuſcipiuntur inter æquales.

VII. *Quæ eſt prima juſti belli cauſa?*

Grot. d. l. 2. cap. 1. §. 2. n. 3. in fin. aliter Text. in Syn. J.G. c. 17. §. 9. Grot. d. c. §. 3. Ziegl. ad l. 1. c. 3. §. 3. Puf. l. 2. c. 5. §. 5.

℟. Injuria nondum facta, quæ petit aut corpus aut rem.

VIII. *Si corpus impetatur vi præſente cum periculo vitæ non aliter evitabili, an bellum eſt licitum?*

℟. Licitum eſt, etiam cum interfectione periculum inferentis: imo jure naturæ præceptum, ita ut nec lege civili tolli poſſit, & is, qui ſe non defendit, ſe ipſum occidiſſe videatur.

IX. *Quid ſi is, qui me invadit, peccato careat?*

Grot. d. l. & Puf.

℟. Etiamſi peccato careat, puta quod bonâ fide militet, aut alium me putet quam ſim, aut quod inſaniâ aut inſomniis agitetur, non eo tolletur jus ſe tuendi, cum natura quemque ſibi commendet, & ſufficiat, quod ego non tenear id, quod ille intentat, pati, non magis quam ſi beſtia aliena periculum in-

intentaret. Imo propter naturalem à-
morem ſui ipſius homo in pari cum al-
tero periculo conſtitutus ſibi potius, *Grot. l. 1.*
quam alteri conſulere & poteſt & de- *c. 3. §. 3.*
bet: quia alias non eſſet caritas in pro- *n. 3.*
ximum, ſed crudelitas in ſe ipſum.

X. *Quid ſi innocentes interpoſiti, infantes ſcilicet, claudi &c. defenſionem aut fugam, ſine qua evadi mors non poteſt, impediant?*

℞. Impelli & proſterni poſſunt, etiamſi mors inde ſequatur: ad jus enim agendi multa conſequi poſſunt indirectè & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet. hi enim non occiduntur ex intentione, quum illa mors non eligatur ut quiddam primario intentum, ſicut in punitione judiciali, ſed ut unicum quod eo tempore ſuppetit. Sic navis piratis plena, aut domus latronibus, tormentis peti poteſt, etiamſi intra eandem navem aut domum ſint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum.

Grot. l. 3. c. 1. §. 4. aliter l. 2. c. 1. §. 4. n. 2. Boecl. in Comment. l. 2. c. 1. §. 4. & Ziegl. aliter Puf. l. 2. c. 6. §. 4.

XI. *Quale periculum hîc requiritur ut alium occidere poſſimus?*

℞. Præſens & quaſi in puncto. *Grot. l. 1. c. 1. §. 5. n. 1.*

XII. *An quis cogitur exſpectare primum ictum?*

Grot. d. l. Alber. Gent. l. 1. c. 13.

℞. Si inſultator arma arripiat, & quidem ita, ut appareat eum id facere occidendi animo, occupari poteſt facinus; & melius eſt prævenire, quam præveniri; in moralibus enim non invenitur punctum ſine aliqua latitudine. multum autem falluntur & fallunt, qui metum qualemcunque ad jus occupandæ interfectionis admittunt, talis enim requiritur, de quo moraliter certi ſimus, & qui in virum conſtantem cadere poſſit.

XIII. *Quid ſi quis vim non jam præſentem intentet, ſed conjuraſſe aut inſidiari compertus ſit, ſi venenum ſtruere, ſi falſum teſtimonium, iniquum judicium moliri?*

aliter Grot. l. 2. c. 1. §. 5. n. 2. & Ziegl. b. l.

℞. Si aliter periculum evadi non poteſt, conjuratos, inſidiatores, aut venenum ſtruentes occidi poſſe verius eſt: quia ex ſignis externis animus occidendi omnino apparet, propter quem facinus occupari poteſt. In falſa accuſatione, falſo teſtimonio, iniquo judicio res aliter ſe habet: aliis enim remediis corrigi hæc poſſunt, & ſic periculum evitari.

XIV. *Quid dicemus de periculo mutilationis membri?*

℞. Si membrum ſit è præcipuis, & vitæ quaſi æquiparabile, cujus abſciſſio periculum mortis poſt ſe trahit, ſi aliter vitari nequeat, intentantem periculum occidi poſſe putem: mutilatio enim talis membri non minoris æſtimatur, quàm ſi vita adimatur. l. 4. §. 2. D. ad leg. Corn. de ſicar.

Grot. l. 2. c. 1. §. 6. Boecl. ibi. Puf. l. 2. c. 5. §. 10. aliter Feld. h. l.

XV. *An pro pudicitia conſervanda?*

℞. Pudicitia quidem ſemel ablata naturaliter ſeu phyſice reſtitui non poteſt: verum quia inter offenſionem & defenſionem debet eſſe æqualitas, vitæ vero nullum periculum imminet, & moraliter ſeu civiliter pudicitia poteſt reſtitui, vita autem ſemel amiſſa reſtitui non poteſt, interfectionem illicitam quidem, ſed ſi injuriæ atrocitate commota violentum ſtupratorem occidat, eam excuſandam eſſe putamus: appetitus enim declinandi mali maximè eſt naturalis, ideoque inter appetitus honeſtiſſimus; unde quæ mortis, carceris, doloris aut ſummæ egeſtatis vitandæ cauſa, aut ad pudicitiam conſervandam injuſtè fiunt, maximè excuſabilia videri ſolent.

Ziegl. ad Grot. l. 2 c. 1. §. 7. aliter Grot. d. l. & l. 1. c. 2. §. 5. n. 7. l. 2. c. 17. §. 15. l. 8. §. 2. D. quod metus cauſa.

Grot. l. 2. c. 20. §. 29. n. 1.

XVI. *An non interdum præceptum eſt, occidi potius, quam occidere?*

℞. Si invaſor ſit rex, aut princeps, qui ſimilem habet poteſtatem, ſine pecca-

Grot. l. 1. c. 4. §. 7. n. 6. & 7. & l. 2. c. 1. §. 9. n. 1.

E to

to occidi non poteſt: 1. quia eſt perſona ſancta, vid. ſupra c. 4. q. 6. (2.) quia multis utilis.

XVII. *An non vero rex innocentem inſultans ipſo facto rex eſſe deſinit?*

Grot. l. 2. c. 1. §. 9. n. 2. c. 8. §. 20. aliter Puf. l 2. c. 5. §. 14. in fin.

℞. Sicut dominia, ita & imperia non amittuntur delinquendo, niſi lex id ſtatuat: delictum enim eſt factum improbum a lege puniendum. Talis autem lex, quæ hoc de imperiis ſtatueret, ut delicto in privatum (ſi enim ſit in ipſam remp. rex ſit hoſtis & deſinit eſſe rex) amitterentur, nuſquam reperta eſt, nec repertum iri credo; ſummam enim rerum confuſionem induceret, & ex imperantibus parentes & inferiores efficeret.

XVIII. *Atqui unuſquiſque reip. & regis incolumitatem deſiderat propter propriam ſuam ſalutem, & hinc eam anteponere debet & ſaluti reip. & regis?*

Grot. d. §. 9. n. 2. in fin. l. 1. c. 4. §. 4. n. 5.

℞. Noſtri quidem cauſa remp. ſalvam eſſe volumus, ſed non tantum noſtri, verum & aliorum, vid. ſupra cap. 4. q. 7.

XIX. *Si cui periculum immineat accipiendæ alapæ, aut mali ſimilis, e. g. ictus fuſtis?*

Feld. ad Grot. l. 2.

℞. Defenſio modum accipit ab offenſione,

ſione, & vero inæqualia ſunt mors & alapa; hæc civiliter reparari poteſt, contra mortem vero nulla remedia ſuperſunt. Si tamen ab alapâ inflicta ſtatim ferrum ſtringatur ab utroque, & quis invaſorem occidat, non ſine ratione mitius puniri debet. *c. 1. §. 10. n. 1. aliter Grot. d. l. jung. Puf. l. 2. c. 5. §. 12.*

XX. ***At vero qui fert talem injuriam, auget ſuum honorem, quia ſe excellenter patientem oſtendit?***

℞. Grotius ſic exiſtimat; verum ejus philoſophiam mos vitæ civilis non fert, neque propterea excellenter patiens cenſendus eſt: nam quævis ferre & a quovis, virtus non eſt, ſed ignavia. *l. 2. c. 1. §. 10. n. 2. Feld. h. l.*

XXI. ***An in periculo vitæ conſtitutus fugere cogitur?***

℞. Si in fugâ periculum non ſit, fugiendum, quia fuga eſt modus ſe & ſuum proximum conſervandi. *Grot. d. §. 10. n. 3.*

XXII. ***At fuga ignominioſa eſt, præſertim nobili homini?***

℞. Eſt falſa quædam ignominiæ opinio, aſpernanda ab omnibus iis, qui virtutem & ſapientiam ſectantur: quia non ſuſcipitur ex ignaviâ aut neglectu officii; ſed quia ratio hic nullam fortitudinis materiam invenit. *Grot. d. §. 10. n. 3. Puf. l. 2. c. 5. §. 16. in med.*

XXIII. ***An occidi poteſt is, qui male de nobis loquitur & talia dicit, quæ cre-***

dita noſtram exiſtimationem apud bonos delibarent?

Grot dict. §. 10. n. 3. in fin. l. 5. §. 1. D. de extr. cogn. ℞. Non. quia interfectio iſta non eſt modus aptus ad tuendam exiſtimationem; ſed ſtudium virtutis, & alia remedia jure nobis conceſſa.

XXIV. *An ad res noſtras conſervandas raptor poteſt occidi?*

aliter Grot. l. 2. c. 1. §. 11. & 13. jung. l. 1. c. 2. §. 8. n. 4. in fin. Puf. l. 2. c. 5. §. 16. Boecl. in Comment. ℞. Si ſit talis res, ex quâ vita noſtra & familiæ noſtræ pendeat, quæque judicio recuperari non poſſit, fortè quia fur eſt ignotus & in fugâ conſtitutus, occidi poteſt. Alter enim non plus juris ad res meas, quàm ad vitam eripiendam habet, & cum citra res vita non poſſit conſervari, hanc quoque conſequenter impugnat, qui illis me ſpoliare nititur. Quo accedit, ſecuritatem & tranquillitatem ſocietatis civilis ac generis humani non poſſe ſubſiſtere, ſi rerum raptores occidere non liceret, imprimis judiciis ſublatis. Imo pleraque bella geruntur, non ut aliis vita, ſed res eripiantur.

XXV. *An fur interdum occidi poteſt?*

℞. Occidi poteſt, inprimis ſi ipſe in periculum vitæ adducar: nec obſtat mihi, quod me in id diſcrimen adduxerim, dum rem meam cupio retinere, aut occupatam extorquere, aut furem

Grot. l. 2. c. 1. §. 12. Puf. l. 2. c. 5. §. 18.

capere; nam in his omnibus mihi nihil poteſt imputari, qui verſor in actu licito, nec cuiquam injuriam facio, cum utar meo jure.

XXVI. *An lex civilis, interfici aliquem permittens, jus dat, an ſolam impunitatem?*

℞. Interdum jus dat, interdum tantum impunitatem.

Grot. l. 2. c. 1. § 14. c. 20. § 17. junct. Puf. l. 8. c. 3. § 23.

XXVII. *Quando ergo ſingularis dimicatio eſt permiſſa?*

℞. Quando invaſor alteri concedit licentiam dimicandi, alioquin eum occiſurus ſine dimicatione. vid. quæſt. 8.

Grot. l. 2. c. 2. § 15.

XXVIII. *An etiam ſi magiſtratus duos mortem meritos inter ſe committat?*

℞. Affirmatur; & tunc unicuique licet arripere ſpem ſalutis, vel alter alterum occidere poteſt. At, qui id juſſit, forte minus rectè officio functus videbitur, cum ſatius fuiſſet, ſi unius ſupplicium ſufficere videbatur, forte eligi moriturum, ut fieri ſolet in decumatione, cujus uſus frequens eſt in bello.

Grot. d. c. § 15.

XXIX. *An præter hunc caſum, magiſtratus duella poteſt concedere, ad vindicandas privatas injurias?*

℞. Negatur. quia hoc eſt tentare Deum,

Boecl. in Comment. ad Grot. h.

Deum, & incerto eventui rem minime incertis rationibus definiendam permittere. Quod tamen Germanis ante Chriſtianiſmum in more poſitum, nunc autem optima ratione mutatum.

Grot. l. 2. c. 20. §. 8. n. 5.

XXX. *An quæ hactenus dicta ſunt de jure ſe & ſua tuendi, ad bellum privatum tantum pertinent, an vero etiam ad publicum aptari poſſunt?*

Grot. l. 2. c. 1. §. 16.

℞. Aptari poſſunt, habita aliqua ratione diverſitatis, nam in privato bello jus bellandi ceſſat, ſimul ac eſt judicii copia; publicum, quia non oritur, niſi ubi aut non ſunt, aut ceſſant judicia, tractum habet & perpetuo fovetur, accedentibus novis damnis & injuriis. In bello privato fermè defenſio mera conſideratur: in publico, præter defenſionem, etiam injuriæ vindicta intenditur, & ſi fieri poteſt, ut vires hoſti adimantur, ne inpoſterum nocere nobis poſſit.

Grot. l. 2. c. 20. §. 8.

XXXI. *An ergo arma rectè ſumuntur ad imminuendam potentiam creſcentem, quæ nimium aucta nocere poteſt?*

Grot. l. 2 c. 1. §. 17.

℞. Licet hoc in conſultationem venire poſſit, vim tamen pati poſſe, jus non tribuit ad eam inferendam; & ita vita

vita humana eſt, ut plena ſecuritas nunquam nobis conſtet. Adverſus incertos metus à divina providentia & ab innoxia cautione, ut exercitum conſcribendo, caſtella muniendo &c. non à vi, præſidium eſt petendum. *Alber-Gent. l. 1. c. 13.*

XXXII. *Quid ſi non tantum de potentia, ſed & de animo nocendi conſtet, & quidem ita, ut certum id ſit ea certitudine, quæ in morali materia locum habet?*

℞. Occupari poteſt bellum: imò ſi magnæ adſint metus conjecturæ, metuens poterit exigere cautionem, ut ſuſpectus ſe contineat intra ſuam regionem, qui ſi hoc recuſet, manifeſtum ſuæ hoſtilitatis argumentum edit, & ille alter quocunque modo defenſionem adornare poteſt. *Schwarock. de off. c. 3. n. 9. & 10.*

XXXIII. *An juſte defenduntur bellum promeriti?*

R. Non. ſed qui bellum promeritus eſt, primum offerre debet ſatisfactionem ei, quem læſit, viri boni arbitratu: quâ rejectâ, pia demum erunt arma. *Grot. l. 2. c. 1. §. 18.*

XXXIV. *An, ſi uterque jam in bello conſtitutus ſit, ſatisfactio oblata acceptari debet?*

℞. Plures negant; quia ei qui pium bellum gerit, injuriæ vindicta permiſſa *Ziegl. b. l. Puf. l. 2. c. 5. §. 19.*

 eſt,

eſt. Alii affirmant; quæ opinio æquior videtur, pœnitenti enim parcendum, & iniquum eſt, hoſtem non audire, ubi nocere adhuc poteſt, ſed non vult.

CAPUT II.

De his, quæ hominibus communiter competunt.

I. *Quæ ſit altera belli cauſa.*
II. *Quot modis aliquid noſtrum ſit.*
III. *Quotuplices ſint res a proprietate vacuæ.*
IV. *Proprietatis quale ſit exordium.*
V. *An homo ſtatim acceperit dominium, an potius facultatem res vacuas occupandi.*
VI. *Ante multiplicatum genus humanum, an nullum fuerit dominium.*
VII. *Quomodo poſtea introductum fuerit.*
VIII. *An in primo ſtatu labore & induſtria opus fuiſſet.*
IX. *Quid ſit dominium.*
X. *Quotuplex.*
XI. *Unde probetur, majeſtatem habere dominium eminens.*
XII. *An majeſtati tale concedi dominium tuto & vere poſſit.*
XIII. *Quæ res propriæ fieri non poſſint.*
XIV. *An mare poſſit eſſe in dominio.*
XV. *In quibus partibus mare occupari poſſit.*
XVI. *Unde hoc probetur.*
XVII. *Mare ergo per ſe non eſt incapax dominii.*
XVIII. *Quæ res propriæ nondum factæ, propriæ fieri poſſint.*
XIX. *Quotuplex ſit occupatio.*
XX. *An feræ, piſces & aves per univerſitatem occupatæ ſint.*
XXI. *An princeps feras ex ſuo in aliud territorium fugientes vindicare poſſit.*
XXII. *Lex civilis de venatione lata an etiam obliget peregrinos.*
XXIII. *An hominibus jure naturæ competat aliquod jus in res jam proprias factas.*
XXIV. *An invito domino res poſſint auferri.*
XXV. *An hoc in caſu committatur furtum.*
XXVI. *An ceſſante neceſſitate reſtitutio debeat fieri.*
XXVII. *Quando locus in ſolo pacato ſitus occupari poſſit.*

XXVIII. *Quid ex tali loco ſumendum ſit.*
XXIX. *An præter caſum extremæ neceſſitatis aliud jus hominibus competat in res jam occupatas.*
XXX. *An flumen poſſit eſſe in propriotate.*
XXXI. *Quale jus homines alii in illud habeant, ut & in partem maris, & in terras jam occupatas.*
XXXII. *An jus tranſeundi competat iſti, qui bellum pium gerit.*
XXXIII. *An dictum jus ipſi competens metu alieno tollatur.*
XXXIV. *Quæ rationes cavendi de innoxio tranſitu adhiberi poſſint.*
XXXV. *An mercibus debeatur tranſitus.*
XXXVI. *An ipſis hoc in caſu vectigal imponi poſſit.*
XXXVII. *Quis ſit modus exigendi vectigalis.*
XXXVIII. *An tranſeuntes vel prætervehentes jus morandi ad tempus habeant.*
XXXIX. *An exteris ſedibus ſuis pulſis concedi debeat perpetua habitatio.*
XL. *An habeant jus petendi loca deſerta & inculta.*
XLI. *Quotuplex ſit jus quod homines habent ad actus quos vita humana deſiderat.*
XLII. *Quod ſit ſimplex ſeu abſolutum jus ad dictos actus.*
XLIII. *Quid ſi ipſi, a quibus petitur, ejus rei indigeant.*
XLIV. *An hoc jus exteris competat ad res ſuas vendendas.*
XLV. *Quo in caſu hoc jus habeant.*
XLVI. *An hoc jus ad quærenda matrimonia pertineat.*
XLVII. *Quomodo hobeamus jus ex ſuppoſitione ad actus aliquos.*
XLVIII. *An licitus ſit contractus cum populo, ut is fruges ſuas eis, quibuscum jam contraxit, non aliis vendat.*

I. *Quæ eſt altera belli cauſa?*

℟. Altera belli cauſa eſt injuria facta adverſus id, quod noſtrum eſt. *Grot. l. 2. c. 2. §. 1.*

II. *Quot modis aliquid noſtrum eſt?*

℟. Noſtrum aliud eſt communi hominum jure, aliud jure ſingulari. Jus illud commune directe eſt in rem cor- *Grot. d. c. §. 1.*

poralem, aut ad actus aliquos. Res corporales aut vacuæ ſunt à proprietate, aut jam aliquorum ſunt propriæ.

III. *Quotuplices ſunt res à proprietate vacuæ?*

℞. Aut tales ſunt, ut in totum ſeu integræ propriæ fieri nequeant, aut ut poſſint.

IV. *Quale ergo eſt exordium dominii ſeu proprietatis?*

Grot. Proleg. n. 16. *l.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 1. *l.* 2. *c.* 5. §. 5. *in fin. l.* 3. *c.* 1. §. 2. *n.* 1.

℞. Deus creavit hominem infirmum & multarum rerum indigum, & ſimul ipſum ſibi commendavit ad ſe conſervandum, adeoque ipſi conceſſit jus in omnia ea, quæ ad ipſius conſervationem erant vel neceſſaria vel utilia.

V. *An homo accepit ſtatim ipſarum rerum dominium, an vero jus ſeu facultatem res vacuas occupandi?*

Ziegl. ad Grot. l. 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 1. & *ſeq. aliter.*

℞. Dominium præſupponit factum humanum & plures homines, ideoque Deus conceſſit ſaltem jus ſeu facultatem res vacuas occupandi, & poſt multiplicatum genus humanum eas dividendi.

VI. *Antequam ergo fuerunt plures homines, an non fuit dominium?*

Puf. 4. *c.* 4. §. 3. *Grot. l.* 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 1. &

℞. Antequam plures fuerunt homines, nihil proprium vel commune fuit: quia communio involvit ſocium poſſeſſio-

ſeſſionis & dominii; proprietas autem notat excluſionem alterius à jure ad iſtam rem quam ſolus ut propriam habeo; ſic ut utraque non poſſit intelligi, niſi poſtquam plures uno homines eſſe cœperunt. *ſeq. aliter Text in Syn. J. G. c. 8. §. 7. & 8.*

VII. *Poſtquam genus humanum eſt multiplicatum, quomodo dominium eſt introductum?*

℞. Res, quæ immediate ſui uſum hominibus præbent, vel ad nutrimentum, vel quæ corpori tegendo inſerviunt, primum in proprietatem venerunt, & quod quisque ſic arripuerat, id ei alter niſi per injuriam eripere non poterat: cumque plurima labore & induſtria opus habebant, inconveniens fuiſſet, ſi æquale jus ad ea habuiſſet, qui nihil operæ contulerat ad eorum productionem, ideoque producenti cedebant. Deinde res immobiles, quæ immediate uſum nobis præſtant, uti ſunt domus, & tandem res per naturam citra induſtriam humanam productæ, ut ſunt agri, ex uſu & neceſſitate uniuscujusque occupatæ ſunt: reliquæ vero vacuæ manſerunt, ut eas inpoſterum occupare potuerint, quibus id viſum erat. Unde videtur factum, ut qui agri alicui eſſent aſſignati, *Puf. l. 4. c. 4. §. 6.*

ti,

ti, aut quibus cæteri tacite ceſſiſſent, quod unum ſolum iſtis frui quietè paterentur, ii ad eum ſolum pertinerent; & qui reliqui eſſent, illis cederent, qui deinceps eos occupaturi eſſent.

VIII. *An in primo ſtatu etiam labore & induſtriâ opus fuiſſet?*

Oſand. l. 2. c. 2. obſ. 2. Grot. l. 2. c. 2. §. 2. n. 4. aliter.

℞. Non admittendum, primos homines terram non coluiſſe, & citra artium exercitionem & uſum exegiſſe vitam, aut in ſylvas excurriſſe inſtar brutorum, ut veſcerentur tantum ſponte natis & antra habitarent; eadem enim tunc fuit artium neceſſitas & utilitas, ut & judicium humanum & induſtria, quibus inventæ ſunt, quæ nunc eſt; & ut ſcriptura ſacra loquitur, Adamus non debuit tantum hortum Paradiſi inhabitare, ſed & colere, ut ex cultura viveret. Gen. 2. v. 15.

IX. *Poſt introductam proprietatem quid eſt dominium?*

℞. Dominium eſt jus de rebus pro arbitrio proprio nomine diſponendi, & eas à quocunque alio poſſeſſore vindicandi.

X. *Quotuplex eſt dominium?*

Grot. l. 1. c. 1. §. 5. & 6. Boecl. ibi. Fr. Horn. l. 2. c. 4.

℞. Duplex. vulgare ſeu commune, quod privatis; & dominium eminens, quod reip. competit in res privatorum,

ad

ad reip. utilitatem & neceſſitatem.

XI. *Unde probatur majeſtatem habenti in res privatorum competere dominium eminens?*

℟. Probatur 1. quia Deus majeſtati, quæ eſt vicaria ejus poteſtas, illud jus tribuit, quod ex creatione in perſonas & res eſt conſecutus. 2. Majeſtas de rebus privatorum pro utilitate & neceſſitate reip. proprio nomine & pro arbitrio diſponere poteſt. 3. Majeſtas producit effectus dominii in rebus privatorum, eas optimo jure alienando, dum negligentibus aufert, vel indignis, ut in uſucapionibus, confiſcationibus; iis, qui vel abutuntur vel adminiſtrare non poſſunt, curatores conſtituit, in prodigis, minoribus &c. 4. Sacra ſcriptura hoc teſtatur 1 Sam. 8. vſ. 10. & ſeqq. Matth. 22. vſ. 20. & 21. ubi dicitur, reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, quando tributum erat ſolvendum. Pr. Hor. l. 2. c. 4.

XII. *At vero, ſi majeſtas haberet dominium in rebus privatorum, ipſi daretur facultas in iis graſſandi; vel etiam unius rei duo eſſent domini, & à privatis Rex nihil acquirere poſſet, quia quod meum eſt, amplius meum fieri non poteſt?*

℟.

℞. Hoc dominium Rex non exercet, niſi ubi reip. utilitas & neceſſitas id exigit. 2. Majeſtas habet dominium ſummum & eminens, privati ſubalternum, & ſic ſunt domini diverſo modo. 3. Acquirere poteſt à privatis hoc dominium ſubalternum; non autem acquirit eminens, quod jam ejus eſt.

XIII. *Quæ res non poſſunt fieri propriæ in totum ſeu integræ?*

Grot. l. 2. c. 2. §. 3. n. 1. & 2.

℞. Res, quarum tanta eſt magnitudo, ut ad uſum omnibus populis ſufficiant, v.g. mare, ad aquam hauriendam, ad navigationem: idem dicendum de aëre, ſi quis ejus uſus eſſe poſſet, ad quem terræ uſus non eſſet neceſſarius, ut eſt ad aucupia: nec aliud cenſendum de Syrtibus, ubi nihil eſt, quod cultum ferat, & uſus unicus petendarum inde arenarum exhauriri nequit.

XIV. *An ergo mare non poteſt eſſe in dominio?*

Puf. l. 4. c. 5. § 9. & 10. Boecl. ad Grot. d. c. 2. §. 3.

℞. Vaſtus oceanus, magnis continentibus Europæ, Aſiæ, Africæ, Americæ, terræ Auſtriali & incognitæ interjectus, uni ſoli in univerſum, aut paucis, excluſis reliquis, acquiri non poteſt: quia ab ejus promiſcuo uſu alios arcere moraliter impoſſibile eſt, imò illicitum; neque enim Deus uni vel alteri,

ſed

ſed univerſo hominum generi terrarum orbem conceſſit, ſimulque naturaliter homines æquales eſſe voluit; unde gravis eſſet injuria & dura ſervitus, ſi quis dominium maris univerſale ſibi ſoli vindicaret.

XV. *Mare, in quibus partibus poteſt occupari & in domino eſſe?*

R. Diſtinguendus eſt uſus maris in iis, ubi exhauſtus eſſe poteſt, ut in certis piſcium generibus, gemmis, & ſi quæ ſint alia, & in his occupari & in dominio eſſe poteſt; & ubi eſt inexhauſtus ſeu exhauriri non poteſt, & omnibus innoxius eſt, ut in navigatione, commerciis exercendis, in quibus in proprietatem unius venire non poteſt. *Puf. d. c. 5. §. 7.*

XVI. *Cur hoc ita?*

℞. Quia illud demum eſt in dominio, quod 1. uſum aliquem mediatum vel immediatum hominibus præbere, & 2. cuſtodiri poteſt; quod ultimum in priori uſu, non autem in poſteriori obtinet.

XVII. *An ergo ex ſe mare non eſt incapax dominii?*

℞. Non. cuſtodiri quidem univerſum ab uno populo non poteſt, tamen magnitudo ejus in omnibus non obſtat, quo minus in quibuſdam alii poſ- *Becman. in hiſt. orb. part. 2. c. 4. §. 2.*

ſint

ſint ab uſu ejus arceri, vel ex terra, ubi per anguſtum fretum in noſtras terras ſinus maris infunditur, vel per naves armatas. Quo accedit, quod conceſſioni divinæ, qua hominibus in terram capeſſere imperium permittitur, etiam mare jungatur. Æque enim dicitur, dominamini piſcibus maris, quam animalibus terreſtribus; in animalia autem imperium non competit, niſi ſimul jus in illud elementum, quod inhabitant, concedatur.

Oſiand. l. 2. c. 2. §. 3.

XVIII. *Quæ ſunt res, quæ in totum ſeu integræ propriæ fieri poſſunt, ſed nondum factæ ſunt?*

Grot. l. 2. c. 2. §. 4.

℞. Sunt loca multa inculta adhuc, inſulæ in mari, feræ, piſces, aves. Vide tamen quæſt. 20.

XIX. *Quoniam, ut diximus, propriæ fiunt res per occupationem, quotuplex eſt occupatio?*

Grot. d. c. 2. §. 4.

℞. Occupatio eſt duplex: alia per uniſitatem, quæ fit per populum aut eum, qui populo imperat; & per hanc occupationem omnia ſibi acquirit, quæ in ſingulos dominos deſcripta non ſunt, ut flumina, lacus, ſtagna, ſylvæ, montes aſperi: alia per ſingulos, quando à populo ſingulis vel expreſſe aſſignatur, quantum debeant occupare,

re, vel tacitè, dum permittit, ut unusquisque occupet, quantum excolere poteſt.

XX. *Feræ, piſces & aves, annon videntur per univerſitatem occupatæ?*

℞. Verius eſt, per occupationem, quæ facta eſt per univerſitatem in elementis, quæ inhabitant, etiam dominium earum beſtiarum eſſe acquiſitum populo, vel ei, qui habet jus in populum; adeo ut ſi quis contra legem ipſorum eas capiat, furtum committat. Et ſic lex civilis non tantum dominium ipſarum naturaliter acquirendum antevertit, ſed per univerſalem occupationem jam adquiſitum defendit & tuetur.

Fr. Horn. l. 2. c. 3. §. 5. aliter Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 5. & Puf. l. 5. c. 6. §. 11.

Grot. d. c. 2. §. 5. in fin.

XXI. *At, ſi princeps haberet dominium ferarum, eas poſſet vindicare, ſi ex uno territorio in aliud aufugerent?*

℞. Dominium eſt reſtrictum ad territorium principis, ergo ſimul ac tranſeunt in aliud territorium, deſinunt eſſe principis, & cedunt occupanti ſeu domino iſtius territorii; ſicut quando fera beſtia evadit cuſtodiam privatorum.

aliter Ziegl.

XXII. *Quando lex civilis lata eſt de venatione, an etiam obligat exteros?*

℞. Aff. quia ad gubernationem populi

Grot. l. 2. c. 2. §. 5. c. 11. §. 5. n. 2.

puli moraliter neceſſarium eſt, ut qui ei vel ad tempus ſe admiſcent, quod fit intrando territorium, ii conformes ſe reddant ejus populi inſtitutis, tanquam ſubditi temporarii.

XXIII. *An hominibus jure communi ſeu jure naturæ competit aliquod jus in res eas, quæ jam factæ ſunt propriæ?*

Grot. d.c.2. §.6.aliter. ℞. Quia jus naturæ præcipit, ut proximum diligamus, uti nos ipſos, eumque juvemus, in graviſſima neceſſitate habet jus in meas res, perinde ac ſi à me occupatæ non eſſent.

XXIV. *An ergo me invito eas mihi poteſt auferre?*

Grot. d.c.2. §.7.Seld.d. I.N.& G.l.6.c.6. in fin. ℞. Non ſemper. primo enim omni modo tentandum eſt, an alia ratione neceſſitas poſſit evadi; puta magiſtratum adeundo, aut etiam tentando, an rei uſus à domino poſſit precibus obtineri, inprimis laborando; ſubveniendum enim neceſſitati, non inſtruenda eſt pigritia. Grot. d.c.2. §.8.& ibi Boecl. ſed aliter. 2. Requiritur, ut ſi rem ipſi concedam, poſtea non tenear pari neceſſitate; melior enim eſt cauſa ſuum non tradentis, quàm poſcentis alienum; & prima cauſa eſt ſui ipſius, ſecunda proximi.

XXV. *Si mihi invito hoc in caſu rem*

auſ-

auferat, an committit furtum?

℟. Non, quia dominus negando officium humanitatis, ſuo dominio ipſo jure excidit, & ſic res, ut vacua, occupatur. *Puf. l. 2. c. 6. §. 8.*

XXVI. *Si ceſſante neceſſitate poſſit fieri reſtitutio, debetne fieri?*

℟. Verius eſt, jus hic non fuiſſe abſolutum, ſed reſtrictum ad onus reſtituendi, ubi neceſſitas ceſſat: tale enim jus ſufficit ad juvandum proximum, & ad ſervandam naturalem æquitatem, quæ vult, ut alius cum meo damno non fiat locupletior. *Grot. d. c. 2. §. 9. & c. 10 §. 2. Ziegl. h. l. aliter.*

XXVII. *An is, qui bellum pium gerit, poteſt locum occupare, qui ſitus eſt in ſolo pacato, ſi certum ſit periculum, ne hoſtis eum locum invadat, & inde irreparabilia damna det?*

*℟. Si omnino periculum ſit certum, & aliter hoſtis impediri non poſſit, neceſſitas jus facit; alias adverſus incertos metus à divina providentia & innoxia cautione, non â vi præſidium petendum: inprimis cum ſic transferatur bellum in ejus territorium, qui hoſtis non eſt, & nec læſit, nec lædere voluit. *Grot. d. h. 2. §. 10. Boecl. in Com. h. l. Feld.*

XXVIII. *Quando talis locus occupatur, quid ſumitur?*

Grot. d. c. 2. §. 10. ℞. Nihil quod ad cautionem non eſt neceſſarium; puta nuda loci cuſtodia, relicto domino vero juriſdictione & fructibus, & ceſſante neceſſitate redditur cuſtodia.

XXIX. *An præter caſum extremæ neceſſitatis, homines habent aliquod jus in res, quæ aliis factæ ſunt propriæ, jure naturæ?*

Grot. d. c. 2. §. 11. ℞. Affirmatur, ſcilicet jus innoxiæ utilitatis: neque enim ſocietatis debitum quis exhauſerit, qui infeſto aliquo facto me à ſe non protelavit, ſed qui etiam aliquid proficui mihi præſtitit. l. 3. D. de juſtitia & jure. Natura enim neceſſitudinem & cognationem quandam inter homines conſtituit mutuis officiis exercendam. Hinc neque alimenta noſtra perdere fas eſt, ubi ipſi plus ſatis habemus, neque fontem, poſtquam inde, quantum libet, potaverimus, obturare aut occultare, neque ſigna navigationis aut itineris abolere, quæ nobis uſui fuerunt.

XXX. *An flumen eſt in proprietate?*

Grot. l. 2. c. 2. §. 4. in fin. §. 12. ℞. Flumen, qua flumen dicitur, per occupationem, quæ fit per univerſitatem, factum eſt ejus populi, intra cujus fines fluit, vel ejus, cujus in ditione eſt populus, atque ei licet molem in flumen injicere; quæ in flumi-

ne

ne naſcuntur, ejus ſunt. At idem flumen, qua aqua profluens vocatur, commune manſit, nimirum ut bibi hauririque poſſit.

XXXI. *Si terræ & flumina, & ſi quæ pars maris in proprietatem alicujus populi venerit, an alii homines in ea adhuc jus habent?*

℞. Quia ex lege humanitatis & jure ſocietatis univerſalis alter alteri debet præſtare uſum rei ſuæ innoxium, ergo tranſitus patere debet his, qui eo opus habent ad juſtas cauſas, qui, ubi neceſſitas adigit, etiam vi poſſunt vindicare eum, ſi quidem ex inani diffidentia aut animi malignitate denegetur. Quamvis de hac re aliter diſputent philoſophi, & aliter ſentiant populi genteſque in ipſo uſu vitæ humanæ; nemo enim dubitat, quin liceat ſibi armatorum tranſitum impedire, ſi poſſit, ſicut omnes ex diverſo credunt, licere ſibi, ſi poſſint, tranſitum vi aperire, adeò ut hodie non tàm juris controverſia, quam tranſactionis eſſe videatur.

Grot. d. c. 2. §. 13. Puf. l. 3. c. 3. §. 5.

Boecl. in Comment. l. 2. c. 2. §. 13.

XXXII. *Si ergo quis quod ſuum eſt, juſto bello petat, an ipſi tranſitus patere non debet?*

℞. Quamvis juſtum bellum alteri inferri poſſit, tamen hoc non ſtatim fieri debet

Puf. l. 3. c. 3. §. 5. in med. aliter

Grot. d. c. 2. §. 13.

debet per meum territorium: tranſitus enim mihi debet eſſe innoxius, & vero ſic facile ſedes belli in meum territorium transferri poteſt; idem enim jus tranſitus hoſti tuo ex altera parte competit, qui tibi, & ſic in meo territorio tibi occurrere & reſiſtere poteſt.

XXXIII. *An non ſic jus meum metu tuo tollitur?*

Feld. b. l. Text. de J. G. c. 26. §. 36. & ſeqq. inſtantia Ziegl. b. l. non concludit.

℞. Multitudo tranſeuntium eſt juſta metus cauſa, inprimis armatorum: tutum enim non eſt tot hoſpites in ædes ſuas admittere, ut ab ipſis quis ejici poſſit. Hinc tibi jus quæſitum nullum eſt, ubi tranſitus mihi poteſt eſſe noxius, vel quia ipſe ſubjugari poſſum; vel quia hoſtem tuum mihi hoſtem facio, & bello me implico.

XXXIV. *At vero ſunt rationes cavendi contra hunc metum, ut ſi diviſis manibus tranſmittantur copiæ, ſi inermes, ſi impenſâ tranſeuntis præſidia idonea conducantur?*

Puf. d. l. aliter Grot. d. c. 2. §. 13. n. 4.

℞. Cautiones de hoſte intermi tranſmittendo, & ut præſidia idonea conducantur, non ſunt tales, quæ facile impetrari poſſunt: altera enim à viro militari, ut arma ponat, vix exigi debet, altera nimis ſumptuoſa eſt; ut verô agminibus diviſis tranſeant, facillimum qui-

quidem & tutiſſimum eſt,ſed tamen hoſtis tuus adhuc in ſolo meo tibi occurrere, & iter impedire poteſt.

XXXV. *Eſtne juſta tranſeundi cauſa, ſi commercia velim exercere cum gente ſepoſita, an & mercibus debetur tranſitus?*

℞. Etſi prohibere non poſſim, ſi nullum pactum cum tali gente, ſcilicet, ut ſolus cum ea commercia colam, interceſſit, quominus commercia cum ea exerceas, tamen ſi utilitas reip. propriæ hoc ſuadeat, prohibere poſſum, ne iſta per meum territorium exerceantur: nec intereſt, quod forte aliter exerceri non poſſint, propter tuum enim commodum jus in meo meum mihi non tollitur. Quo accedit, quod nullo jure humanitatis cogar concedere tranſitum aliis mercibus, quam quæ ad vitam aliorum omnino ſunt neceſſariæ; ſi autem ad luxum faciant, aut ad exuberans lucrum, ut ſint potentiæ nimis creſcentis inſtrumenta, prohibere poſſum. Et licet propriè nullo afficiar damno, dum lucrum ſperatum & incertum mihi intervertitur, tamen cum mihi ſemper propriæ reip. ſalus potior ſit, merces in meo territorio mihi ſiſtendi jus eſt; id quod hodie vocamus

Grot. d. c. 2. §. 13. n. 5. & §. ult.

Puf. d. l.

jus ſtapulæ, ut à meis civibus poſtea divehantur in loca remotiora.

XXXVI. *An ita tranſeuntibus mercibus terra, aut amne, aut parte maris, vectigalia imponi poſſunt ab eo, qui in terra imperium habet?*

Grot. d.c 2. §. 14 n. 1 & 2. c. 3. §. 14. ℟. Quæcunque onera ad illas merces nullum habent reſpectum, ea mercibus iſtis imponi, nulla æquitas patitur, ut capitatio civibus impoſita ad ſuſtentanda reip. onera; ſi autem pertineant ad præſtandam ſecuritatem mercibus, aut ad onera ſuſtinenda, e. g. ubi ſigna brevium, aut portus, aut naves ſtationariæ in excubitu ſunt, vel ſi ripæ arcibus, munimentis, præſidiis &c. adverſus piratica auſa inſtruendæ, ad ea compenſanda vectigal aliquod imponi mercibus poteſt, dum modus cauſæ non excedatur: inde enim pendet juſtitia ut tributi, ita & vectigalis.

XXXVII. *Quis eſt modus exigendi vectigalis?*

Grot. d.c. 2. §. 14. n. 3. Boecl. b. l. ℟. Adeo facile æſtimari non poteſt, quis ſit æquus modus vectigalis exigendi: & qui æſtimant, non ſolas expenſas conſiderare debent, ſed tempora reip. naturam mercium, emendi vendendique facultatem, pecuniarum copiam

piam inopiamve &c. Hinc eſt, ut, qui jus habet vectigal exigendi de mercibus, habeat etiam jus, ſi natura mercium hoc admittat, & commerciorum libertas non impediatur, reſignandi, refringendi, aperiendique vaſa, inſpectionis cauſa.

XXXVIII. *An prætervehentes aut tranſeuntes aliquantisper poſſunt morari valetudinis aut alia qua juſta de cauſa?*

℟. Prius conſtare oportet, quam faciem ipſa claſſis præ ſe ferat, hoſtes an amicos vehat? an à contagioſis morbis immunis ſit? & his omnibus obſervatis & aliis, quæ requiruntur ad utilitatem innoxiam, humanitatis eſt, ut non ſolùm exſcendere, ſed & ut in littore tuguriolum momentaneum exſtruere poſſint, modo littus non reddatur deterius. Æquitas tamen vult, ut hoc non ſemper fiat gratis, ſicut enim afflicto afflictio non eſt addenda, ſi ex naufragio appellat, aut alia cauſa miſeratione digna, forte quia propter religionem pulſus aufugit; ita ſi lucri ſui gratia in littore noſtro exſcendat, durum eſſet, ſi pro compenſatione impenſarum vel præſtitæ ſecuritatis, nihil ſolveret: hinc eſt, ut in locis quibuſ- dam

Puf. l. 3. c. 3. § 8.

Grot. d. c. 2. § 15. n. 1. & 2.

Boecl. b. l.

Seld. de mar. cl. p. 319.

dam pro jactis anchoris aliquid ſit præſtandum.

XXXIX. *Exteris, qui ſedibus ſuis pulſi receptum quærunt, concedendane perpetua eſt habitatio?*

Bœcl. ad Grot. h. l.

℞. Quoslibet recipere peregrinos in civitatem, non modo periculoſum eſt, ſed nec civitatis cujusque ſtatus id admittit; finis enim ejus eſt civium beatitudo, quæ impeditur promiſcua omnium receptione & barbarorum morum introductione. Hinc miſericordia ita eſt temperanda, ut nos ipſi aliis non fiamus miſerabiles; & probe conſiderari debet, an ea ſit agri noſtri fertilitas, ut commodè eos alere poſſit, ſolers an ignava turba, quæ recipi debet, an advenæ ita diſtribui poſſint & locari, ut hinc civitati periculum nullum immineat &c.

Puf. l. 3. c. 3. §. 10.

XL. *An, ſi quid intra territorium populi ſit deſerti ſoli, poſtulantibus id concedendum eſt?*

Bœcl. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 17.] aliter Grot. d. l.

℞. Contenti debent eſſe iis, quæ iſtis aſſignamus, & fortuna ejuſmodi exulum non ſtatim dat ipſis jus à quocunque populo, & ubi placuerit, expoſtulandi ſedes, ſed circumferendæ preces, ad extremum non futuræ ubique inefficaces, ſi vel religionis cauſa, vel

alio

alio infortunio expellantur: conjurati enim & deſperati latrones merito nobis ſunt ſuſpecti.

XLI. *Jure naturæ omnes homines etiam habent facultatem ad actus aliquos exercendos apud nos, quotuplex eſt iſta facultas?*

℟. Duplex, ſecundum quoſdam: alia eſt ſimplex ſeu abſoluta, quæ ipſis ſemper competit; alia ex ſuppoſitione, quæ ipſis competit, ſi eam etiam aliis concedamus. *Grot d. c. 2. §. 18.*

XLII. *Quæ eſt ſimplex ſeu abſoluta?*

℟. Simpliciter & ſemper habent facultatem ad actus tales, quibus comparantur ea, ſine quibus vita duci nequit, puta alimenta, veſtimenta, medicamenta. Hinc aut lege lata, aut conſpiratione hoc impedire non licet: eſt enim tale impedimentum naturæ ſocietatis contrarium. *Grot. d. §. 18.*

XLIII. *Quid ſi ipſi ejus rei indigeamus?*

℟. Impediri poſſunt; & in ſumma penuria frumenti venditio recte prohibetur. Hinc ſi urbem aliquam tanta multitudo peregrinorum impleverit, ut ſuſtinere eos nequeat, ſi ſalva eſſe velit, peregrini ſemel admiſſi recte ejiciuntur; alias enim indigenæ eſſent ejiciendi, cum tamen propriæ civitatis *Grot. d c. 2. §. 11. aliter.* *Boecl. b. l.*

tis

tis cura potior eſſe debeat.

XLIV. *An exteri ad ſua vendenda apud nos eandem habent facultatem?*

Grot. d. c. 2. §. 20. ℞. Negatur. cuilibet enim liberum eſt ſtatuere, quid velit acquirere, aut non: & ſi domeſticis copiis quis ſit contentus, qua fronte aliquis alienas merces ipſi invito obtruſerit, inprimis ſi damnum aliquod civitati inde oriri poſſet, forte ſi ſubditorum noſtrorum induſtria impediretur, aut opes ipſorum ad exteros tranſportarentur.

XLV. *Si populus aliquis, undique alterius territorio circumdatus, merce aliqua abundaret, rebus autem aliis ad vitam ducendam neceſſariis indigeret, an non ipſo invito eas in ejus territorio vendere poſſet?*

Boecl. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 20. ℞. Ad minimum facultas ipſi eſſet concedenda vendendi eas aliis per territorium; alias juſtam adverſus me haberet bellandi cauſam.

XLVI. *An ad hoc jus libertas matrimonia ambiendi & contrahendi refertur?*

Grot. d. c. 2. §. 21. & Boecl. ibi. Alber. Gent. l. 1. c. 17. aliter Oſiand. h. l. Puf. l. 3. c. 3. §. 13. ℞. Si cætera paria ſint, ſi eandem religionem profiteantur, iiſdem ſint moribus, ſceleſtum vitæ genus non ſequantur &c. iis facultas comparandi uxores adimi non debet, aut ſi conſpiratio-

ratione quadam ad excidium civitatis hoc fiat; populus enim virorum eſt unius tantum ætatis. Hinc ſi aliunde copia mulierum, quam ab iis, à quibus petitæ ſunt, haberi non poſſit, neceſſarium propterea bellum inferre permiſſum eſſe videtur, & leges civiles aliquorum populorum, quæ connubia exteris negant, non de quibuſvis connubiis agunt, ſed de iis tantum, quæ ſpeciales quoſdam effectus juris civilis producunt.

XLVII. *Quomodo jus habemus ex ſuppoſitione ad actus aliquos?*

℞. Si aliquis populus promiſcue permittat externis aliquos actus in ſuo territorio, e. g. venari, piſcari, aucupari, margaritas legere, ex teſtamento capere, res vendere, conjugia contrahere &c. alii populo, niſi delictum præceſſerit, ſine injuria, ſecundum aliquos, denegare eosdem non poteſt. *Grot. d.c. 2.§.22.* Verum merito de hoc dubitaveris: aut enim conceſſio facta eſt expreſſe, idque vel precario, vel per modum pacti, aut promiſſionis perfectæ; & impudens eſſet, ſi quis ignotus hæc tanquam jure ſibi debita prætenderet: aut iſta notis & ignotis precario & per diſſimulationem conceſſimus, tunc muta- *Boecl. b.l. & Feld. ſed aliter.*

tis

tis noſtris rationibus, aut propter immodeſtiam utentium, aut neceſſitatem noſtræ reip. revocari & prohiberi merito poſſunt. Reip. enim propria ſalus prima eſt.

XLVIII. *Licetne alicui populo cum alio paciſci, ut is ſibi ſoli vendat certos fructus, qui alibi non naſcuntur?*

Grot. l. 2. c. 12. §. 16. & c 2. §. 24. Ziegl. h. l. ſed aliter, contra quem diſputat Puf. l. 3. c. 3. §. 6.

℞. Sicut privata monopolia interdum ab iniquo pravoque conſilio liberantur, ita & in hoc publici monopolii genere non eodem ſemper modo erit judicandum; poteſt enim vitium ex tempore, locorum conditione, populorum utentium neceſſitate &c. accedere, quod tamen regulam non ſubvertit: talia enim pacta per ſe juri naturæ non repugnant, ſi is, qui emit, paratus ſit aliis vendere æquo pretio: nam aliarum gentium non intereſt, à quo emant, quod ad deſideria naturæ attinet; & ſic impedimentum nullum fit naturæ ſocietatis humanæ, inprimis ſi populus, qui id ſtipulatus eſt, alterum populum in ſuam tutelam receperit, ſumtuſque eo nomine faciendos habeat.

CA-

CAPUT III.

De acquiſitione originaria rerum, ubi de mari & fluminibus.

I. *Quot modis aliquid noſtrum fiat jure ſingulari.*

II. *Originaria acquiſitio quot modis fiat.*

III. *An hodie adhuc per diviſionem originarie acquiri poſſit.*

IV. *An per conceſſionem ſervitutis, & conſtitutionem pignoris.*

V. *An per ſpecificationem.*

VI. *Quænam occupari poſſint.*

VII. *Quæ materiæ imperio ſubjaceant.*

VIII. *An retento imperio, dominium aliis aſſignari poſſit.*

IX. *An occupatio rerum mobilium lege civili anteverti poſſit.*

X. *An requiratur nova prohibitio.*

XI. *Quid requiratur in eo, qui dominium vult acquirere.*

XII. *An infantes & furioſi dominium acquirere poſſint.*

XIII. *An dominio per ſe utantur.*

XIV. *Flumina & maria an occupari poſſint.*

XV. *An ſolum mare internum.*

XVI. *An animi actu ſolo.*

XVII. *Quot modis talis occupatio fiat.*

XVIII. *Pactiones, quæ populum aliquem ultra certos terminos vetant navigare, an doceant maris occupationem.*

XIX. *Fluminis curſus mutatus an imperii terminum mutet.*

XX. *Quid ſi alveus mutatus ſit.*

XXI. *An totum flumen uni populo accedere poſſit.*

XXII. *Res derelictæ, aut quarum defecerunt domini, an originarie acquiri poſſint.*

I. *Quot modis aliquid noſtrum fit jure ſingulari?*

℞. Acquiſitione originaria vel derivata. Grot. l.2.c 3. §. 1.

II. *Quot modis res originariè nobis acquiruntur?*

℞. Jure ſingulari res originarie ſeu primum à nobis acquiruntur, quando Grot. l.2.c. 3. §. 1.

alii

alii homines, extra caſum extremæ neceſſitatis, & innoxiæ utilitatis, nullum amplius jus commune nobiſcum habent in res: idque duobus modis, ſcil. occupatione & diviſione.

III. *At verò originaria acquiſitio per diviſionem fieri potuit tantum, quando genus humanum coivit in civitates?*

diſt. l. 2. c. 3. §. 1.

℞. Hodie adhuc acquiſitio primum à nobis poteſt fieri per diviſionem, quando ſcilicet novæ occupantur terræ à populo, & ſingulis privatis per diviſionem aſſignantur: tunc enim reſpectu dominii privati, diviſio eſt modus acquirendi illud originarius.

Ziegl ad Grot. l. 2. c. 3. §. 1.

IV. *Annon conceſſione ſervitutis, & conſtitutione pignoris, originarie acquiritur?*

Grot. l. 2. c. 3. §. 2.

℞. Non. hæc enim jura nova non ſunt, niſi modo, & virtute ipſa jam inerant in dominio domini.

V. *An ſpecificatio eſt modus acquirendi originarius?*

Grot. l. 2. c. 3. §. 3.

℞. Cum naturaliter nihil fiat, niſi ex materia prius exiſtente, ſpecificatio ad originarium acquirendi modum referri non poteſt, niſi materia, ex qua nova ſpecies facta fuit, nullius fuerit, tunc enim ad occupationis genus hæc ac-

acquiſitio pertinebit; ſin noſtra fuerit, continuabitur dominium ſpecie introducta.

VI. *Quænam poſſunt occupari?*

℞. In iis, quæ nullius ſunt, duo ſunt occupabilia; imperium ſeu jus imperandi, & dominium, quatenus ab hoc jure imperandi diſtinguitur. Grot. diƈt. l. 2. cap. 3. §. 4.

VII. *Quæ ſunt materiæ ſubjacentes imperio?*

℞. Primaria ſunt perſonæ, quæ materia ſola interdum ſufficit; ut in exercitu virorum, mulierum, puerorum, quærente novas ſedes, ſeu uno verbo, coloniæ: ſecundaria locus, qui territorium dicitur. Sic jure belli in victos originarie acquirimus & jus imperandi ſeu imperium, & dominium: ea enim, quæ hoſtium ſunt, à nobis habentur ut res nullius; quia quæ ex jure ſocietatis fluunt, ſeu ex jure naturæ, in quantum faciunt ad finem in bello obtinendum, non debemus hoſtibus, qui per belli denunciationem ſocietati ejusque juribus renunciarunt. diƈt. loc. l. 3. c. 6. §. 8. inf. Puf. l. 4. c. 2. §. 8. in fin.

VIII. *Poſſumusne retinere imperium, & dominium aſſignare aliis?*

℞. Quanquam plerumque uno actu quæri ſolent imperium & dominium, ſunt tamen diſtincta, ideoque domi- Grot. l. 2. c. 3. §. 4. n. 2.

nium non in cives tantum, ſed & in extraneos tranſit, manente, penes quem fuit, imperio; ſic advenis poſſumus aſſignare dominium in agris & retinere imperium.

IX. *In loco, cujus imperium jam occupatum eſt, anne jus occupandi res mobiles, ut metalla, aurum, argentum, feras beſtias &c. anteverti poteſt lege civili?*

Grot. l. 2. c. 3. §. 5. aliter Puf. l. 4. c. 6. §. 7. ℞. Non tantum jus occupandi has res anteverti poteſt lege civili, ſeu non tantum prohiberi poteſt lege privatis, ne has res occupent, etiam in proprio ſolo; ſed & per univerſitatem jam à populo, ſeu ab eo, qui jus in populum habet, occupatæ videntur, & ſunt in ejus dominio. vid. ſupra c. 2. q. 20.

X. *At ſi viderentur jam occupatæ, vel à populo, vel ab eo, qui jus habet in populum, quid opus eſſet nova prohibitione?*

Grot. l. 2. c. 8. §. 7. ℞. Quia primis temporibus, & hodie adhuc plurimis in locis, occupatio harum rerum privatis tacite permittitur à populo, vel ab eo, qui jus habet in populum, ideo, ut de contraria voluntate & animo has res ſibi retinendi omnibus conſtet, prohibitiones & interdicta fieri ſolent: non autem ideo, quod non

vi-

videantur occupatæ aut in dominio eſſe.

XI. *Quid requiritur in eo, qui dominium vult acquirere?*

℞. Uſus rationis: opus enim eſt intentione acquirendi, quod rem iſtam inpoſterum velit habere pro ſua; & intellectu, ut ſciat iſtum actum aptum eſſe, ut ipſi inde jus naſcatur. *Grot. l. 2. c. 3. §. 6.*

XII. *An ergo infantes, furioſi &c. dominium non poſſunt acquirere?*

℞. Jus gentium ob utilitatem communem conſtituit, ut & infantes & furioſi dominia accipere & retinere poſſint, perſonam illorum interim quaſi ſuſtinente humano genere: nec intereſt, an ab alio jam acquiſitum accipiant, an originarie acquirant: ſi enim jus & legiſlator, propter eorum utilitatem & præſumtum conſenſum, quo ſcilicet non præſumuntur reſpuere id, quod ipſis expedit, ipſorum perſonam hic ſuſtinet, cur non etiam in dominio noviter acquirendo, ſi e. g. novæ terræ occuparentur, & ipſis forte à legislatore aliqua portio, citra ipſorum occupationem, aſſignaretur; & ſicut jus & legiſlator ipſis poſſunt acquirere per tutores, cur non immediate ſine tutoribus iidem acquirerent? *Grot. l. 2. c. 3. §. 6.* *aliter Puf. l. 4. c. 4. §. 15.*

XIII. *An dominio per ſe uti poſſunt?*

 ℞. Non.

Grot. d. l. ℞. Non. dominium enim eorum ſtat intra actum primum, nec ad actum ſecundum pertingit, id eſt, ad habendi, non ad per ſe utendi jus pertinet, & alienatio, quæque huic ſunt ſimilia, in ipſa ſui natura includunt actum voluntatis ratione utentis, quæ in talibus non exiſtit.

XIV. *Flumina & maria poſſuntne occupari?*

Grot. l. 2. c. 3. §. 7. & 8. ℞. Affirmatur; quia 1. natura & fluminum & marium dominii capax eſt. 2. utilitatem nobis præſtare, & cuſtodiri poſſunt. vid. ſupra cap. præced. q. 16.

XV. *An mare internum tantum poteſt occupari?*

Grot. d. l. ſed aliter. ℞. Non tantum incluſum ad populum adjacentem, ſed & omne mare alluens ad dominum continentis pertinet: & quidem quivis populus maritimus, & cui ullus navigandi uſus eſt, *Puf. l. 4. c. 5. §. 8. in fin. Alber. Gent. c. 8. & 14. Seld. in mar. cl. l. 2. c. 20. 21. & 22. jung. Ziegl. h. l.* præſumitur dominium maris littoribus ſuis prætenſi occupaſſe, quouſque illud munimenti rationem habere cenſetur: inprimis autem portus, & ubi alias commoda in terram exſcenſio fieri poteſt, ſinus quoque maris, freta, lacus &c. ad populum pertinent, qui territorium ibi occupat: & ſi ſint diverſi ab utroque

la-

latere, pro latitudine terrarum, ad medium uſque ad eos ſpectant: niſi vel per conventionem indiviſim imperium contra exteros exercere, & promiſcue inter ſe iſto æquore uti placuerit, vel uni ſoli in totum cedat, acquiſitum ex pacto expreſſo vel tacito, jure victoriæ, aut quia is prior ad maria ſedes fixerit, illudque ſolus ſtatim occupaverit, & contra alios actus imperii exercuerit.

XVI. *An ſolo animi actu mare occupari poteſt?*

℞. Dum quis territorium occupat, ſtatim intelligitur mare occupaſſe, in quantum hoc ad territorii ſui utilitatem & neceſſitatem, ut quæſt. præced. dictum, requiritur; ad exemplum occupationis rerum immobilium, in quibus non eſt opus, ut quis ſingulas glebas terræ circumambulet, ſed dum quis fundum intrat animo eum occupandi, ſtatim totum occupaſſe intelligitur. *Grot. l. 2. c. 3. §. 11. ſed aliter.*

XVII. *Quot modis imperium in portionem maris acquiri poteſt?*

℞. Acquiri poteſt & ratione perſonarum, & ratione territorii: ratione perſonarum, ſi claſſis, qui maritimus eſt exercitus, aliquo in loco maris ſe habeat eo tempore, quo de maris impe- *Grot. d. c. 3. §. 13. n. 2. Boecl. & Ziegl. h. l.*

rio vindicando agitur, & iſta claſſis perpetuo ibi ſubſiſtat: ratione territorii, quatenus ex terra cogi poſſunt, qui in proxima maris parte verſantur, nec minus, quam ſi in ipſa terra reperirentur.

XVIII. *Quando populus alteri populo ſe obſtringit, ne ultra certum terminum naviget, an hoc docet maris occupationem, aut juris navigandi?*

Grot. d.c.3. §.15. n.1. & 2. aliter Ziegl. h.l. ℞. Negatur. populi enim pactis decedere poſſunt de jure, quod ſibi competit, & quod cum omnibus habent commune, in gratiam ejus, cujus intereſt. Imo, ſi occupatum fuiſſet ab altero populo, talis pactio non requireretur.

XIX. *Cum flumen mutat curſum, an ſimul imperii terminus mutatur, & quæ flumen adjecit, an ea cedunt iis, quibus adjecta ſunt?*

Grot. d.c.3. §.16. Text. in Syn. J.G. c.8. §.36. ℞. Si territorium ad flumen ſe extendat, curſu fluminis paulatim mutato, mutantur & fines territorii: & quicquid alteri parti adjectum eſt, ſub ejus eſt imperio, cui adjectum eſt: quia eo animo populus imperium occupaſſe primitus creditur, ut flumen ſua medietate dirimeret eos, tanquam natu-

ralis

ralis terminus, quia imperiis diſtinguendis nihil eſt aptius, quàm quod non facile tranſitur, ut ſunt flumina & montes.

XX. *An idem dicendum, ſi alveum mutaverit amnis?*

℞. Non. nam flumen, etiam qua imperia determinat, non conſideratur nude, qua aqua eſt, ſed qua aqua alveo tali fluens ripiſque talibus incluſa: at ſi alveo veteri deſerto alià irruperit flumen, non idem erit, quod fuit ante, ſecus quàm quando paulatim curſum mutat, ſed novum vetere extincto, & ſicut, ſi exaruiſſet flumen, imperii terminus maneret medietas alvei, qui proxime fuiſſet, ita mutato alveo idem obſervandum. Hæc enim mens populorum fuiſſe cenſenda eſt, ut flumine quidem naturaliter dirimi vellent, attamen ſi flumen eſſe deſiiſſet, ut tum teneret quiſque quod tenuiſſet. *Grot. d. c. 3. §. 17. & ibi Boecl.*

XXI. *An totum flumen uni populo poteſt accedere?*

℞. Aff. ſi alterius imperium in ripam ſerius & occupato jam flumine cœperit, aut eum in modum res pactionibus definita ſit. *Grot. d. c. 3. §. 19.*

XXII. *Si quædam dominum habuerunt, ſed habere deſierunt, aut quia*

dereliĉta ſunt, aut quia defecerunt domini, an hæc originarie poſſunt acquiri?

c. §. 19. n. 3. ℞. Privati ea originariè acquirere poſſunt, ſi populus ſeu univerſitas, aut dominus ſuperior, à cujus dominio generali pendent, eorum occupationem privatis aut concedat, aut ea privatis aſſignet; alias enim, ſi quid domino particulari carere incipiat, non fit occupantis, ſed ad univerſitatem, aut ad dominum ſuperiorem redit.

CAPUT IV.

De dereliĉtione præſumta, & eam ſecuta occupatione: & quid ab uſucapione & præſcriptione differat.

I. *Quæ res dicantur dereliĉtæ.*

II. *Quomodo alicui de alterius animo conſtare poſſit.*

III. *Quæ ſint ſigna ejus externa.*

IV. *Quomodo factis aliquid habeatur pro dereliĉto.*

V. *An ſub factis comprehendantur non facta.*

VI. *Quæ in ſilentio requirantur, ut id valeat ad præſumendam dereliĉtionem.*

VII. *An conjectura, ſcire aliquem & velle quid, ex tempore poſſit deſumi.*

VIII *An tantum temporis inter præſentes, quantum inter abſentes, requiratur.*

IX. *Quot anni faciant tempus memoriam excedens.*

X. *An actus negativi ad conjecturam præſumtæ dereliĉtionis ſufficiant.*

XI. *An idem obtineat in imperiis.*

XII. *Quomodo res pro dereliĉta habita acquiratur.*

XIII. *Quid ſit uſucapio ſeu præſcriptio.*

XIV. *An obtineat in regnis.*

XV. *An ad reges pertineat, cum ſit juris civilis.*

XVI. *An reges ea opus habeant, cum omnia acquirant aut jure belli, aut titulo pacifico.*

XVII. *An nondum natis jus*

jus ſuum tali derelictione decedat.

XVIII. *Lex de uſucapione & præſcriptione lata ab eo, qui habet ſummum imperium, an ad ſummum imperium ipſum & ejus partes pertineat.*

XIX. *Quicquid juris eſt in integro, an non obſervandum ſit in parte.*

XX. *An populus in delatione imperii præſcribere poſſit modos illud amittendi per non uſum.*

XXI. *Ea, quæ non ſunt de natura ſummi imperii, an legibus populi de uſucapione latis ſubjaceant.*

XXII. *An ſemper liceat ſubditis ſe in libertatem vindicare.*

XXIII. *An actus meræ facultatis præſcribi poſſint.*

I. *Quæ res dicuntur derelictæ?*

℟. Res derelictæ dicuntur, quas quis non amplius vult habere in numero rerum ſuarum. *Grot. l. 2. c. 3. §. 19.*

II. *At vero hoc pendet ab alterius animo, quomodo mihi de iſto conſtare poteſt?*

℟. Non quidem congruum eſt naturæ humanæ, nudis animi actibus efficientiam juris tribuere; quia animus cognoſci non poteſt, niſi ex ſignis externis: tamen natura humanæ ſocietatis, quæ vult, ut officiorum inter nos & rerum fiat commutatio, etiam non patitur, ut actibus animi ſufficienter indicatis nulla ſit efficacia, quia alias nullum eſſet medium hæc negotia expediendi inter homines. *Grot. l. 2. c. 4. §. 3. c. 2. §. 2. n. 5.*

III. *Quæ ſunt ſigna externa, ex quibus mihi conſtat de alterius animo?*

℟. Verba vel facta: & quidem de ver- *d. c. 4. §. 3. in fin.*

c.6. §.2. c. 11. §. 11. bis rem abdicantis expedita res eſt, dummodo non ſint vaga, ambigua, obſcura, & rem non ſatis exprimentia.

IV. *Quomodo factis aliquid habetur pro derelicto?*

d. c. 4. §. 4. n. 1. & 2. ℞. Quod abjicitur aut deſeritur; niſi ea ſit rei circumſtantia, ut temporis cauſa & requirendi animo aut repetendi ſit abjectum aut deſertum; ut ſi quis navis levandæ gratia aliquid abjiciat, aut fundum deſerat ob metum hoſtium. Et hoc non tantum inter privatos, verum & inter reges locum habet & populos liberos; venit enim ex jure naturali, quo quiſque ſuum poteſt abdicare; & ex naturali præſumtione, qua voluiſſe quis creditur, quod ſufficienter ſignificavit.

V. *An ſub factis comprehenduntur non facta?*

d. c. 4. §. 5. Ziegl. b. l. ℞. Moraliter ſub factis veniunt & non facta, conſiderata cum debitis circumſtantiis: ſic qui ſciens & præſens tacet, quando agitur de ejus commodo, videtur conſentire: quando autem agitur de ipſius præjudicio vel obligatione, tum demum, ſi actum impedire potuit, & non fecit: ſæpe enim circumſtantiæ oſtendunt, metu aliquem vel alio caſu impediri, quo minus loquatur. Sic à

po-

populo poteſt ſubito introduci conſuetudo ex eo, quod ab imperium habente toleratur per tempus, quantum ſatis eſt ad ſignificandum conſenſum,

VI. *Quæ requiruntur in ſilentio, ut valeat ad præſumendam dereli-ctionem?*

℞. Duo. 1. ut ſit ſilentium ſcientis, nam ſilentium neſcientis jure naturæ caret effectu 2. ut ſit libere volentis: ſi enim alia cauſa appareat, ceſſat conjectura voluntatis. vid. quæſt. 4. *d. c. 4. §. 5. n. 3.*

VII. *Hæc conjectura, ſcilicet ut aliquis præſumatur ſcire & velle, poteſtne etiam ſumi ex tempore?*

℞. In utrumque temporis magna vis eſt: nam primum fieri vix poteſt, ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliqua via ad ejus notitiam perveniat, cum multas ejus occaſiones ſubminiſtret tempus: deinde incuſſus ſemel metus durare quidem nonnihil creditur, ſed non perpetuo, cum tempus longum multas occaſiones adverſus metum ſibi conſulendi per ſe, vel per alios ſuppeditet, etiam exeundo fines ejus, qui metuitur, ſaltem ut proteſtatio de jure fiat, aut quod potius eſt, ut ad judices aut arbitros provocetur. *d. c. 4. §. 6. Puf. l. 4. c. 12. §. 8. in fin.*

VIII.

VIII. *An tantum temporis requiritur inter præſentes, quantum requiritur inter abſentes?*

§. 6. Puf. l. l. ℞. Non. etiam jure naturæ inter præſentes minus temporis ſpatium ad hanc conjecturam ſufficit, quam inter abſentes: in omnibus autem tempus memoriam excedens, quaſi moraliter infinitum, ad rei derelictæ conjecturam ſemper ſufficere videtur, niſi validiſſimæ ſint in contrarium rationes; ut ſi quis propter impotentiam jus ſuum ſibi vindicare non potens, proteſtatione illud conſervet.

IX. *Quot anni faciunt tempus memoriam excedens?*

℞. Anni centum non longe abeunt à tempore memoriam excedente, quia d. c. 4. §. 7. communem humanæ vitæ terminum conſtituunt: quamvis non ſint plane idem, propter interventum famæ & Boecl. b. l. pag. 118. & 119. auditionis à parentibus & avis. Monumenta ſcripta hic non attenduntur, quia alias nullum eſſet tempus memoriam excedens.

X. *Cum non ſit credendum, homines jactare quod ſuum eſt, ideoque ad conjecturam præſumtæ derelictionis actus negativi non videantur ſufficere, etiam cum magno temporis*

poris ſpatio conjuncti, quid ergò?

℟. Cum homines ſe ſuaque ament, non quidem præſumuntur id facile quod ſuum eſt jactare, verum tamen credibile etiam non eſt, quemquam ejus quod vult, longo tempore nullam plane edere ſignificationem idoneam. d. c. 4. §. 8. n. 4.

XI. *An idem obtinet in imperiis?*

℟. Affirmatur. quanquam enim hæc magni fieri ſoleant, ſcire tamen debemus, ea magna eſſe onera, & diligentem atque perpetuam requirere adminiſtrationem; quæ ſi deficiat, facit, ut qui rex fuit, deſinat eſſe rex. d. c. 4. §. 8. n. 2. l. 1. c. 4. quæſt. 13.

XII. *Si itaque interveniat actus negativus, ſeu ſi aliquis nihil faciat circa ſuam rem, eamque alius interea poſſideat, quomodo eam acquirit?*

℟. Hæc præſumta derelictio facit, ut eam uſucapiat aut præſcribat.

XIII. *Quid eſt uſucapio ſeu præſcriptio?*

℟. Uſucapio ſeu præſcriptio eſt modus, quo propter prioris domini negligentiam, & præſumtam derelictionem, poſſeſſori per tempus idoneum res acquiritur.

XIV. *An ea obtinet in regnis?*

℟. Affirmatur; quia 1. derelinqui poſ- Grot. l. 2. c. 4. §. 9. l. 2. c. 4. §. 8. n. 3.

poſſunt. 2. Hæc tandem aliquando in certo & extra controverſiæ aleam conſtitui, humanæ ſocietatis intereſt, propter pacem communem, quam quæ adjuvant conjecturæ, favorabiles putandæ

d. c. 4. §. 9. ſed aliter.

ſunt. Et hinc 3. communis neceſſitas & utilitas inter omnes gentes induxit hanc legem, ut poſſeſſio memoriam excedens non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata, omnino dominium transferat; ita ut non tantum regi adverſus regem, populo libero

d. c. 4. §. 11. aliter Vaſq. l. 2. c. 51. n. 28. vid. Grot. d. c. 4. §. 1.

adverſus populum liberum, jus imperandi acquiri poſſit, ut expreſſo conſenſu, ita derelictione & eam ſecuta, aut ex ea vim novam accipiente apprehenſione; ea enim, quæ ab initio vitioſa ſunt, ſi nova cauſa ſuperveniat, convaleſcere poſſunt: verum etiam alicujus populi rex verus amittere poſſit regnum, & populo ſubjici; & qui revera non rex, ſed princeps erat, rex ſummo cum imperio fieri, & ſummum imperium, quod penes populum, aut penes regem, in ſolidum erat, inter eos dividi.

XV. *Uſucapio cum ſit juris civilis, quomodo ad reges pertinet?*

Boecl. l. 2. c. 4. p. 122. & ſeqq.

℞. Uſucapio eſt juris naturæ, propter fundamenta, quibus nititur, ſcilicet de

de re derelicta, de voluntate idoneis ſignis declarata, de ſocietate non perturbanda: eſt juris gentium, ratione definiti certo modo temporis & perpetuæ poſſeſſionis: & juris civilis, propter ſpecialem formam, quæ pro conditione variarum rerumpp. varie deſcripta eſt.

aliter Feld. ad Grot. d. c. 4. §. 1. Cujac. ad l. 1. de uſucap. aliter Conring. de fin. Imp. c. 19.

XVI. ***Quamvis ſit juris naturæ, tamen non videtur pertinere ad reges, quia quicquid hi poſſident, id acquiſiverunt aut jure belli, aut titulo pacifico, & nullo caſu opus eſt præſcriptione?***

Puf. l. 4. c. 12. §. ult.

℟. Verum eſt, quod quando jure belli & victoriæ acquirunt, non opus eſt præſcriptione; ſed quando titulo pacifico aliquid nacti ſunt, facile accidere poteſt, ut vel detentor, ſæpe etiam verus poſſeſſor, jus ad regnum in alium transferat, vel venditionis vel alio titulo, in præjudicium agnatorum ſuorum, qui ſi per tempus idoneum ad præſumtam derelictionem ſileant, præſcriptioni ſine dubio locum faciunt: vel ſi pax fiat, & de locis quibuſdam reſtituendis tractatus differantur in aliud tempus, e. g. in viginti annos, quibus elapſis tractatus reaſſumi debeant; ſi hoc non fiat, & iſti, quibus poſſeſſio eſt ademta, inter idoneum tempus eam non

Thuanus. l. 59. p. 43.

non repetant, per præſcriptionem dominium & imperandi jus recte amiſiſſe dicuntur.

XVII. *An nondum natis jus ſuum tacite tali derelictione poteſt decedere?*

Grot. l.c.4. §. 10. Puf. l.4.c.12. §. 10. Boecl. h.l.

℟. Ejus qui nondum conceptus & natus eſt, nullum eſt jus; quare, ſi populus, à cujus voluntate jus habendi imperium proficiſcitur, voluntatem mutet, accedente conſenſu parentum, è quibus naſci poſſunt, qui jus ſuo tempore eſſent habituri, ſive expreſſe, ſive tacite & per præſumtam derelictionem hoc fiat, nullam facit injuriam iis, qui nondum nati ſunt, ut quibus jus quæſitum nondum eſt: licet jure civili, ut aliæ fictiones, ita & hæc introduci poſſit, ut eorum, qui nondum ſunt, perſonam lex interim ſuſtineat, atque ita impediat, ne quid adverſus eos poſſit occupari: quod tamen leges velle non temere cenſendæ ſunt, quia iſta privata utilitas publicæ valde repugnat, & facit, ut aliquo modo imperia ſint in incerto & non extra controverſiæ aleam.

XVIII. *Si lex de uſucapione aut præſcriptione ſit condita ab eo, qui habet ſummum imperium, pertinetne ad ipſum jus imperii & ejus partes neceſſarias?* ℟. Ne-

℞. Negatur 1. quia is ſe non poteſt obligare per modum legis, quæ fertur à ſuperiore; nemo autem ſe ipſo ſuperior eſt. 2. Nec præſumitur velle, quia legum auctores non cenſentur ſe velle comprehendere ſub lege, niſi ubi & materia & ratio legis ipſis ſunt communes cum ſubditis ſuis, ut cum hominibus, e.g. in æſtimandis rerum pretiis, ſeu quando aliquid emunt, oportet, ut æque ſolvant pretium juſtum, ac ſi ſubditi emant; natura enim æqualitatem imperat inter contrahentes: jus autem imperandi non eſt paris rationis cum aliis rebus, imo nobilitate ſua res alias multum excedit, & imperantibus proprium eſt. Unde ſequitur, neque tempus lege definitum ſufficere ad acquirendum ſummum imperium, aut partem ejus neceſſariam, ſi deſint conjecturæ naturales, neque tantum temporis ſpatium requiri, ſi intra id tempus eæ conjecturæ, quantum ſatis eſt, adſint. Grot. l. 1. c. 3. §. 7. n. 2. l. 2. c. 4. §. 12. Grot. l. 2. c. 12. §. 8. d. c. 4. §. 12. n. 8.

XIX. *At vero æquitas naturalis vult, ut pars ſe componat ad rationem integri, & ut quicquid juris eſt in integro, illud etiam obſervetur in parte, inprimis cum integrum ſeu totum habeat jus in partem?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 8. & 9. d. c. 4. §. 12. n. 1.

℞. Rex quidem pars eſt integri, ſeu eſt pars civitatis, in qua rex eſt, ſed talis pars, in quam tota civitas voluit jus ſuum transferri, ita ut nullum amplius, nec in ſe, nec in ipſum regem, retineret; ideoque ſua lege, ne quidem ut pars integri ſeu civitatis, Rex obligari poteſt; nam integrum, ſeu civitas, ipſo non eſt ſuperior.

XX. *Sed annon in delatione imperii populus ſuam voluntatem exprimere poteſt, quo modo ac tempore imperium non utendo amitti velit?*

Grot. d. c. 4. §. 12. n. 2. in fin. c. 7. §. 27. in fin. l. 1. c. 3. §. 16. n. 1. & 2.

℞. Affirmatur; & hæc voluntas haud dubie ſequenda eſt, nec infringi poteſt à rege, etiam ſummum imperium habente, quia ad hoc in imperii acceptatione pacto ſe obſtrinxit, & præterea pertinet ad modum habendi imperium, qui pendet ex primæva voluntate, quando in civitatem coiverunt, nec comprehenditur ſub imperio; quia tunc adhuc nullum fuit.

XXI. *Ea, quæ non ſunt de natura ſummi imperii, nec ut proprietates ad eam pertinent, ſed ſeparari ab ea naturaliter poſſunt, aut cum aliis communicari, an legibus populi de uſucapione latis ſubjacent?*

℞. Sub-

℞. Subjacent, quia comprehenduntur ſub ſummo imperio, & ab eo dependent, ut ſunt omnia jura, quæ in feudum conceduntur, & alias vocantur regalia; ſic videmus, ſubditos eſſe qui præſcriptione acquiſiverunt, ut appellari ab iis non poſſit.

d. c. 4 §. 13. aliter Struv. in Synt. J. F. c. 14. §. 6. aliter Ziegl. h. l. Vaſq. l. 2. c. 82. n. 3.

XXII. *An ſemper licet ſubditis, ſi poſſint, ſe in libertatem, quæ eſt populi, qui nulli ſubjicitur, vindicare?*

℞. Non: quia poſt conſtitutum imperium regi à Deo tale jus confertur, quod inpoſterum à voluntate populi non dependet; & ſi vi partum ſit imperium, olim pro libertate pugnare honeſtum erat, at qui victi ſemel ſunt, & longo tempore paruerunt, ſi jugum excutiant, faciunt quod deſperatorum hominum eſt, non quod libertatem amantium. Imo contraria ſententia juri divino, naturæ & gentium eſt adverſa, & omnibus rebuſpp. evertendis idonea, ideoque impia & non toleranda.

d. c. 4. §. 14.

Conring. de fin. Imp. c. 19. §. 7.

XXIII. *An actus meræ facultatis præſcribi poſſunt?*

℞. Jura, quæ non habent quotidianum exercitium, non amittuntur, niſi ex quo tempore interceſſit prohibitio

d. c. 4. §. ult.

 aut

aut coactio, eique paritum eſt, cum ſufficienti conſenſus ſignificatione. Sic ſi quis per centum annos cum uno duntaxat vicino ſocietatem habuerit, etiam cum aliis eam habere poterit; id quod obtinet quoque in omnibus aliis meræ facultatis actibus.

CAPUT V.

De acquiſitione originaria juris in perſonas: ubi de jure parentum: de matrimoniis: de collegiis: de jure in ſubditos: ſervos.

I. *Quomodo jus originarie acquiratur in perſonas.*
II. *Cui Deus conferat jus propter generationem.*
III. *Quid ſi imperia patris & matris inter ſe contendant.*
IV. *Quid ſit patria poteſtas.*
V. *Quomodo patria poteſtas differat ab imperio paterno.*
VI. *An patria poteſtas recte diſtinguatur per certa temporis intervalla.*
VII. *Quibus temporibus jus coërcendi competat.*
VIII. *An pater filium oppignorare, vendere, aut alteri in adoptionem dare poſſit.*
IX. *An habeat jus interficiendi liberos.*
X. *Hoc jure patri denegato, an non delicta manerent impunita.*
XI. *Quomodo propter conſenſum Deus jus conferat in perſonas.*
XII. *Quomodo differat conſociatio à ſubjectione.*
XIII. *Quæ ſit conſociatio maxime naturalis.*
XIV. *Cui competat imperium in ſocietate maritali.*
XV. *Quid ſit conjugium.*
XVI. *An permiſſa ſit polygamia.*
XVII. *An divortia jure naturæ ſint licita.*
XVIII. *Conſenſus parentum, an abſolute ſit neceſſarius.*
XIX. *Nuptiæ an ſint permiſſæ cum eo vel ea, qui jam in matrimonio vivit.*

XX.

XX. *Quæ nuptiæ probibeantur propter cognationem & affinitatem.*
XXI. *An hæc probibitio etiam obtineat in linea collaterali.*
XXII. *Concubinatus an ſit verum & ratum matrimonium.*
XXIII. *An inter civem & peregrinam, ſenatorem & libertam, liberum & ſervam, ſervum & ancillam &c. verum contrabatur matrimonium.*
XXIV. *An conjugia inter certas perſonas à lege civili vetita, ſemper ſint irrita.*
XXV. *An matrimonium ad morganaticam verum & ratum ſit conjugium.*
XXVI. *Quæ rationes civiles talia matrimonia ſuadeant.*
XXVII. *Quæ ſint aliæ conſociationes præter maritalem.*
XXVIII. *Quæ ſint communia omni conſociationi.*
XXIX. *Quid ſi in deliberationibus pares ſint ſententiæ.*
XXX. *Quomodo ſententiæ, licet diverſæ appareant, conjungantur.*
XXXI. *Quid ſi ſocius abſit,*
XXXII. *Quis ſit ordo naturalis inter ſocios.*
XXXIII. *Si non omnes æqualiter participent de re, quæ fundamentum eſt ſocietatis, quomodo ſint ferendæ ſententiæ.*
XXXIV. *Conſociatio in populum, quale jus conferat.*
XXXV. *An populus liber habeat par jus regibus.*
XXXVI. *An civibus de civitate abſcedere liceat.*
XXXVII. *Facultas migrandi an probiberi poſſit.*
XXXVIII. *Quid ſi majeſtas ſubditos invitos detineret.*
XXXIX. *An gregatim poſſint diſcedere.*
XL. *An quovis tempore.*
XLI. *An civitas jus babeat in exſules.*
XLII. *Quotuplex ſit ſubjectio,*
XLIII. *Quotuplex ſubjectio privata.*
XLIV. *Quæ ſit ignobiliſſima ſubjectionis ſpecies.*
XLV. *An æquitas naturalis ſervitutem ex conſenſu permittat.*
XLVI. *Quouſque ſe extendat jus dominorum in ſervos.*
XLVII. *Unde oriatur jus in prolem ſervilem.*
XLVIII. *An ſervis aufugere liceat.*
XLIX. *Quid ſit ſubjectio publica.*
L. *Quomodo jus oriatur ex delicto.*

I. *Vidimus, quomodo jus originarie acquiratur in res; quomodo originarie acquiritur in perſonas?*

Frid. Horn. l. 1. c. 2. §. 1. aliter Grot. l. 2. c. 5. §. 1.

℞. Deus, qui eſt unica cauſa efficiens poteſtatis & ordinis neceſſarii in ſocietatibus inter imperantes & parentes, eam confert, vel propter intercedentem generationem, vel conſenſum, vel ob delictum.

II. *Cui confert jus propter generationem?*

Grot. l. 1. c. 1. §. 3. n. 2. aliter Hobbes. de Cive, c. 9. aliter Pufend. l. 6. c. 2. §. 4.

℞. Quamvis liberi parentibus ſint æquales naturâ, non tamen iis ſunt æquales poteſtate, ſed ſunt ſub parentum imperio; liberi enim cum parentibus vivunt in ſocietate inæquali, quæ rectoria dicitur: & Deus & natura, quia parentibus præcipiunt educationem, ſimul iis concedunt imperium in liberos, hiſque injungunt obedientiam & reverentiam erga parentes.

III. *Quid ſi imperia patris & matris inter ſe contendant?*

Grot. d. c. 5. §. 1. Frid. Horn. d. l. 1. c. 2. §. 6. ſed aliter.

℞. Patris imperium præfertur, quia propter ſexus præſtantiam, Deus præter imperium paternum, quod ipſi commune eſt cum matre, in eum ſolum contulit patriam poteſtatem.

IV. *Quid eſt patria poteſtas?*

℞. Pa-

℞. Patria poteſtas eſt poteſtas, quam pater in liberos habet & in bona eorum, ad communem familiæ utilitatem.

V. *Quomodo patria poteſtas differt ab imperio paterno?*

℞. Patria poteſtas 1. eſt in perſonas & bona, imperium eſt tantum in perſonas. 2. Imperium patri & matri eſt commune, & manet patria poteſtate ſoluta, adeo ut ſi filius reverentiam debitam exhibere recuſet, durioribus mediis ad hoc cogi poſſit. 3. Poſita patria poteſtate, hæc ſocietas eſt perfecta; poſito autem imperio tantum, vel quia liberi exiverunt familiâ, vel quia pater mortuus eſt, hæc ſocietas eſt imperfecta, ad eum modum, quo mortuo domino, domina ſocietatem herilem, ratione effectus, conſervat & continuat.

Grot. d. c. 5. §. 3. & 6.

VI. *Poſſumuſne patriam poteſtatem & imperium paternum diſtinguere per certa temporis intervalla?*

℞. Diſtinguenda ſunt tria tempora: primum eſt tempus imperfecti judicii, & in hoc omnium liberorum actiones ſunt ſub parentum dominio; æquum enim eſt, ut qui ſe regere non poteſt, regatur aliunde, & vero naturaliter alius inveniri non poteſt, cui regimen com-

Grot. d. c. 5. §. 2. & ſeqq. aliter Ziegl. h. l. & Feld. hunc refutat Boecl. h. l. illum Puf. l. 6. c. 2. §. 7.

Horn. d. c. 2. §. 6. Grot. d. c. 5. §. 2. n. 2. c. 3. §. 6. competat, quam parentes, quorum pars liberi eſſe cenſentur: tamen & in hoc tempore jus ſuſtinet eorum perſonam, ut ſi aliunde ipſis aliquid obveniat, ejus dominium ſibi acquirant, licet exercitium impediatur, ob judicii imperfectionem. Secundum eſt tempus perfecti judicii, & in hoc tempore ſubſunt parentum imperiis non aliæ actiones, quam quæ ad familiæ paternæ aut maternæ ſtatum aliquid momenti habent, ſeu eæ actiones, quæ non concernunt cauſas publicas: æquum enim eſt [quia manent pars familiæ] ut pars conveniat cum ratione integri, eique ſubjiciatur, & ut ejus conſervationem quærat & promoveat; in cæteris actionibus, quæ non pertinent ad familiam, facultatem moralem agendi quidem habent liberi, tenentur tamen in illis quoque ſtudere ſemper, ut placeant parentibus, ne contra pietatis, obſervantiæ & gratiæ rependendæ officium peccent. Tertium tempus eſt, in quo liberi non tantum ſunt perfecti judicii, ſed & in omnibus ſui juris, & non ſunt amplius pars familiæ, quia ex ea omnino exiverunt, & ſic actus eorum non poſſunt reddi irriti eo nomine, quod parentes habeant: ſemper tamen

d. c. 5. §. 3.

d. c. 5. § 3. & c. 4. §. 12.

d. c. 5. §. 6.

ma-

manet & in hoc tempore pietatis & obſervantiæ debitum, quia cauſa, propter quam Deus eam exigit, eſt generatio, quæ perpetua eſt & tolli non poteſt.

VII. *Si liberi non velint facere ea quæ ſunt officii?*

℞. In duobus prioribus temporibus, jus regendi etiam jus coërcendi complectitur, quatenus nempe vel cogendi ſunt ad officium & obedientiam, vel emendandi: imo etiam in tertio tempore, ſi pietatis & obſervantiæ debitum negent, propter imperium paternum, quod nullo tempore tollitur, neceſſitate exigente, durioribus mediis uti licebit. *d.c.5.§.4.*

VIII. *Quoniam imperium paternum nunquam poteſt avelli à perſona parentum & in alium transferri, anne pater filium oppignorare &, ſi neceſſe ſit, vendere aut in adoptionem dare poteſt?*

℞. Ubi alia ratio eum alendi non ſuppetit, poteſt eum oppignorare & vendere, non quidem, ut detrudatur in perfectam ſervitutem, ſed ut alteri conſtituatur jus aliquod ſimile dominico, utendi ſcilicet ſervitio filii: hinc multo magis ipſum alii in adoptionem dare *d.c.5.§5. Puf. l.6. c.2.§.9. aliter Boecl. & Feld. h.l.*

 li-

Grot. d. c. 5. §. 5. in fin.

licet, quia ſic efficitur filius alterius; cenſetur quippe ipſa natura jus dare ad id omne, ſine quo obtineri non poteſt id, quod ipſa imperat.

IX. *An pater habet jus interficiendi liberos?*

d. c. 5. §. 4. 7. 28. & Boecl. h. l. Diſſ. Horn. l. 1. c. 2. Bodin. de Rep. l. 1. c. 4. jung. Boecl. Inſt. Pol. l. 1. c. 3.

℟. In ſocietatibus ſimplicibus patri tanta poteſtas à Deo non eſt conceſſa, quia ad finem in iis obtinendum ea non opus eſt: ſicut enim de omni ſummo imperio ac civili id vere dicitur, quia alias ſecuritas & ordinata tranquillitas in civitate obtineri non poſſet, ſed potius eſſet diſſociata multitudo, ſcilicet, quod ei inſit jus vitæ & necis; ita fallit in imperiis privatis, qualia ſunt maritale, patrium & dominicum.

X. *At vero ſic delicta manerent impunita?*

Grot. l. 1. c. 3. §. 1. & l. 2. c. 1. §. 14. in fin.

℟. Si ſint familiæ ſegreges & extra civitatem, Deus hoc in caſu iſtiuſmodi delictis puniendis non minus ſufficit, quam ſi paterfamilias delictum capitale commiſiſſet: ſi ſint in civitate, ratio rerumpp. vult, ut pœnarum capitalium poteſtas non aliunde, quam ab imperantibus dependeat; ſingulis enim concedendum non eſt id, quod publica debet fieri auctoritate, majoris tumultus evitandi cauſa.

XI. *Quomodo propter conſenſum Deus jus confert in perſonas?*

℞. Hoc confert aut propter conſociationem, aut propter ſubjectionem. *Grot. d. c.* 5. §. 8.

XII. *Quomodo differt conſociatio à ſubjectione?*

℞. 1. Omnis ſubjectio includit conſociationem, ſed non omnis conſociatio eſt ſubjectio: nam 2. ſocietas poteſt eſſe inter æquales, e. g. inter fratres, amicos, fœderatos, & plures patresfamilias in civitatem coëuntes, antequam imperii formam elegerunt; ſubjectio nunquam eſt inter æquales, e. g. inter regem & ſubditos, patrem & liberos, dominum & ſervum. 3. in conſociatione aliquis participat de jure imperandi, ſecus quam in ſubjectione. *Grot. l.* 1. *c.* 1. §. 3. *n.* 2. *c.* 3. §. 12. *n.* 1. *pr.* & *d. c.* 5. §. 31.

XIII. *Quæ eſt conſociato maxime naturalis?*

℞. Conſociatio maxime naturalis in conjugio apparet; quia ad id natnra nos ducit. *d. c.* 5. §. 8.

XIV. *Cui competit imperium in hac conſociatione?*

℞. Soli marito in uxorem; marito cum uxore in familiam, habita tamen ratione prærogativæ marito competentis, ob ſexus differentiam. Hinc maritus uxoris caput eſt in rebus conjugii *d. c* 5. §. 8. *n.* 1. *aliter Horn. l.* 1. *c.* 1. §. 6. & *Puf. l.* 6. *c.* 1. §. 12.

&

& in rebus familiæ, ſicut & de domicilio conſtituere jus eſt marito.

XV. *Quid eſt conjugium?*

aliter Grot. d. c. 5. §. 8. n. 3.

℞. Conjugium eſt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.

XVI. *An unus vir poteſt ducere plures uxores, aut una uxor nubere pluribus viris?*

aliter Grot. d. c. 5. §. 9. n. 1. Pufend. l. 6. c. 1. §. 18. & 19. in fin. Feld. b. l. & Boecl. in Inſt. Pol. l. 1. c. 2. p. 23. Meyer de Ux. Chriſtiana, Sect. II. & III.

℞. Matrimonio ſoluto poteſt; quia alterius conjugis facultas ſeu jus in alterius perſonam non niſi conſtante matrimonio durat, ſeu, ut loquuntur, polygamia ſucceſſiva utrique conjugum eſt permiſſa: durante matrimonio non poteſt, ſeu polygamia ſimultanea eſt prohibita; quia Deus per conjugium conjugi in alterius conjugis corpus facultatem ſeu jus dat, quod ne quidem mutuo conſenſu, durante matrimonio, tolli poteſt. Nam hoc jus non pendet à conſenſu mutuo, ſed à Deo & jure naturæ, quod vult, ut amor conjugalis ſit æqualis, reciprocus & individuus, ſine quo ſocietas honeſta & decora inter homines conſiſtere non poteſt; jus enim naturæ æquale eſt in omnibus hominibus in univerſo mundo, & ſic in pauperibus æque ac in divitibus, quibus omnibus ſi conceda-

tur

tur jus habendi plures uxores, evertatur ſocietas neceſſe eſt: ſcilicet per liberorum nimiam multitudinem nobiles familiæ ad egeſtatem, modicæ ad mendicitatem redigerentur, ac tandem tenui plebecula civitates repletæ, ubi commode evacuari nequeunt, mole ſua ſubverterentur. Quo accedit, quod polygamia ſit contra primævam matrimonii inſtitutionem, & quod fides, quæ eſt vinculum omnis ſocietatis, tali concubitu violetur, quia continet adulterium, quod committitur, quoties fides conjugalis, quæ ex Dei & naturæ inſtituto, tacite & neceſſario ineſt omni vero conjugio, per concubitum violatur. *Puf. l. 6. c. 1. §. 19. in fin.*

XVII. *An divortia jure naturæ ſunt licita?*

℞. Non, ne quidem mutuo conſenſu; quia jus, quod propter matrimonium conjugi in conjugem competit, à Deo & natura confertur, non à conſenſu contrahentium: & hoc jus individuam vitæ conſuetudinem continet, quamdiu capita primaria & eſſentialia conjugii, ſeu matrimonii, ab altero non ſunt violata. *aliter Grot. d. c. 5. §. 9. n. 2. Joh. Milt. de divort. Puf. l. 6. c. 1. §. 24.* Scilicet initur matrimonium ſobolis procreandæ cauſa, cui fini neceſſaria eſt mutua corporum præbitio: *Puf. d. l. 6. c. 1. §. 20.*

bitio: quæ ſi vel per malitioſam deſertionem, vel pertinacem & ſpontaneam debiti conjugalis denegationem, fieri prohibeatur, juſtam divortii cauſam innocenti præbet. Deinde conjugium initur, ut ſuam quiſque prolem ſuſcipiat, non adulterinam, aut ſuppoſititiam. Imo etiam extra procreationem ſobolis, honeſti ſuam ſibi ſeorſim volunt & debent habere uxorem, & gravem ducunt injuriam, ſi alteri corporis ſui uſuram ſponte concedat: unde & hæc & aliæ ſimiles, quibus per concubitum fides conjugii violatur, erunt juſtæ divortii cauſæ; quæ & matrimonii eſſentiam deſtruunt, & obligationem inde ortam omnino tollunt.

XVIII. *An conſenſus parentum requiritur ad validitatem conjugii jure naturæ?*

Grot. d. c. §. §. 10. R. Non; quia qui uxorem ducit, & maturæ debet eſſe ætatis, & extra familiam abit, ita ut habeat facultatem moralem, & hac in re regimini familiari non ſubjiciatur: quamvis officio filiorum conveniens ſit, ut parentum conſenſum impetrent; niſi manifeſte iniqua ſit eorum voluntas. Nam ſi in omnibus rebus filii reverentiam parentibus debent, certe præcipue eam debent

bent in eo negotio, quod ad gentem totam pertinet, quale ſunt nuptiæ. Hinc *d. §. 10. n. 3.* & in ſacris literis videmus viros pios, multoque magis mulieres, in contrahendis nuptiis ſecutos auctoritatem parentum: ſed non tamen irritum pronunciatur Eſavi conjugium, aut ejus liberi illegitimi, quia ſine tali auctoritate nuptias contraxerat; non enim ſtatim irritum eſt jure naturæ, quod iſti juri repugnat, ſed id demum, in quo deeſt principium dans validitatem actui, aut in quo vitium durat in effectu.

XIX. *Nuptiæ ſuntne permiſſæ cum eo vel ea, qui jam in matrimonio vivit?*

℞. Non; quia & facultas moralis deeſt, ſublata per prius matrimonium, & omnis effectus eſt vitioſus: ſinguli enim actus contrectationem habent rei alienæ; ſive vir ſit, ſive fœmina, nam jure naturæ Deus utrique æquale jus in alterius corpus concedit. *aliter Grot. d. c. 5. §. 11. vid. Feld. h. l.*

XX. *An omnes jure naturæ inter ſe nuptias contrahere poſſunt, an vero quidam prohibentur, propter cognationem vel affinitatem?*

℞. Matrimonia parentum cujuſcunque gradus cum liberis, jure naturæ ſunt prohibita, 1. quia in hominum affecti- *Grot. d. c. 5. §. 12. n. 5. Velthuiz. de princip.*

juſti & decori, p. 52. aliter Puf. l. 6. c. 1. §. 31. Grot. d. c. 5. §. 12. n. 2.

fectibus, quorum ratio non eſt corrupta, inſita eſt fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex ſe natis! ſeu naturalis verecundia non ſinit, ortus auctores cum ſua ſobole miſceri. 2. quia nec maritus, qui ſuperior eſt lege matrimonii, eam reverentiam poteſt præſtare matri, quam natura exigit, nec patri filia; quia, quanquam hæc inferior eſt in matrimonio, ipſum tamen matrimonium talem inducit ſocietatem, quæ illius neceſſitudinis reverentiam excludit.

XXI. *Quid dicendum de gradibus affinitatis & de gradibus cognationis ex tranſverſo limite, inter iſtas perſonas, quæ vel parentum & liberorum, vel fratrum & ſororum loco ſunt?*

d. c. 5. §. 13. n. 2. Meyer de grad. prob. diff. 2. c. 5. p. 51.

℞. Præcepto divinæ voluntatis, per rectam rationem, propter communem neceſſitatem & utilitatem, apud omnes gentes, quæ ſana utuntur ratione, in vetitum iverunt: harum enim perſonarum convictus, nimis quotidianus atque inobſervatus, ſtupris & adulteriis occaſionem daret, ſi amores tales nuptiis poſſent conglutinari. Quo accedit reverentia erga ſanguinem & nomen paternum, quam in his perſonis de-

dêprehendimus, & quaſi propterea, ſi non præcipit, certe ſuadet, nuptiis eorum eſſe abſtinendum.

XXII. *Concubinatus eſtne verum ac ratum conjugium?*

℞. Non eſt, 1. quia contrahitur tantum libidinis explendæ cauſa. 2. eſt conſuetudo diuturna, non perpetua ac individua. 3. eſt ſine affectu maritali: licet matrimonia quædam concubinatus vocentur. *Oſiand. ad Grot. l. 2. c. 5. obſ. 15. Grot. d. c. 5. §. 15.*

XXIII. *An inter civem & peregrinam, ſenatorem & libertam, liberum & ſervam, ſervum & ancillam &c. eſt verum & ratum conjugium?*

℞. Affirmatur; quia in his nihil deeſt ad ipſam conjugii naturam, licet effectibus quibuſdam juris civilis propriis privetur, aut etiam effectus quoſdam naturales, impedimento legis civilis, amittat. *h. l. aliter Feld. §. 15. d. c. 5.*

XXIV. *Si lex humana conjugia inter certas perſonas contrahi prohibeat, an erunt irrita, ſi re ipſa contrahantur?*

℞. Non ſemper id, quod vetitum eſt, lege humana irritum eſt, niſi & hoc lex ſpecialiter addiderit aut ſignificaverit. Diverſa enim ſunt prohibere & irritum quid facere, & prohibitio *d. c. 5. §. 16.*

vim ſuam exſerere poteſt per pœnam vel expreſſam vel arbitrariam.

XXV. *Quid dicendum de matrimonio perſonarum diſparis qualitatis, quod nos vocamus matrimonium ad morganaticam?*

Puf. l. 6. c. 1. §. 36. Rhet. Iiſt. Jur. Publ. l. 1. tit. 21. p. 303. Grot. d. c. 5. §. 15. n. 1. in med.

℞. Etiam hoc eſt verum & ratum conjugium; licet ob civiles rationes talem uxorem non adſciſcamus in juſtæ matrisfamilias dignationem, nec ejus proli idem jus ſit, quod aliis filiisfamilias competit.

XXVI. *Quæ ſunt iſtæ rationes civiles?*

℞. Potiſſimum hoc fit ob conſervationem illuſtrium familiarum, aut in favorem priorum liberorum, vel denique ob melius ferendos ſumtus, qui ex moribus civitatis alias in juſtas uxores erant faciendi. Ex quibus ſequitur, injuriam fieri iſtiuſmodi uxoribus, ſi vile concubinarum nomen iis imponatur, quæ à meretricibus gradu tantum differunt: nec ab hoc cenſu eximuntur, ſi vel maxime aliqua paciſcatur, quod ad certum tempus uni ſoli ſe velit ſociare; nam in fide conjugali longe ſanctius quid eſt, quam ſolius mercedis, aut libidinis intuitu alicui ſoli corpus ſervare.

Puf. l. 6. c. 1. §. 36. Bitſch. ad 2. Feud. 29.

XXVII. *Præter hanc conſociationem natu-*

naturalem, quæ ſunt aliæ conſociationes?

℞. Sunt vel privatæ, vel publicæ; & hæ quidem aut in populum, quando plures patresfamilias coëunt in unam civitatem, & populum conſtituunt: vel ex populis, ut in fœdere.

Grot. d. c. 5. § 17. & 23. §. 25. in fin.

XXVIII. *Hæ conſociationes habentne aliquid commune, ſeu quod obtineat in omni conſociatione?*

℞. Habent hoc commune, quod in iis rebus, ob quas conſociatio quæque inſtituta eſt, univerſitas & ejus pars major nomine univerſitatis obligat ſingulos, qui ſunt in ſocietate. Omnino enim ea credenda eſt fuiſſe voluntas in ſocietatem coëuntium, ut ratio aliqua eſſet commoda [quæ nihil difficultatis, aut obſcuræ diſceptationis haberet] expediendi negotia: quare naturaliter, ſecluſis pactis aut legibus, quæ interdum unanimem conſenſum, interdum duas tertias partes requirunt, pars major jus habet integri. Hinc juri naturæ non repugnat, ut ſententia imprudentior plurium ſententiæ prudentiori pauciorum præferatur: in decidendis enim negotiis ſententiæ numerantur, non ponderantur. Imo ſæpe multitudo adſtipulantium erroris

d. c. 5. §. 17. Boecl. b. l.

Puf. l. 7. c. 2. §. 16. Bod. de Rep. l. 3. c. 4.

indicium habetur, & vulgo placere, eſt ſapientibus diſplicere. Verum in concilio aliquo, cujus membra æquali jure gaudent, hæc non procedunt. Quis enim hic judicium feret, utra ſententia ſit prudentior? non ſane ipſæ partes diſſidentes; quotusquisque enim eſt, cui non ſua prudentia magis, quam aliena placet? imo plures optimam ſententiam vel ideo non ſequuntur, quod ipſi non ſint auctores.

XXIX. *Si pares ſint ſententiæ?*

Grot, d.c. 5. §. 18. ℞. Nihil agitur; quia non ſatis momenti eſt ad mutationem.

XXX. *Sententiæ annon interdum conjunguntur, licet diverſæ appareant?*

Ib. c.5.§.19. ℞. Si pactio aut lex aliud non præcipiat, illæ ſunt conjungendæ, quarum altera partem alterius continet, ſcilicet in eo, in quo conveniunt: ſic qui in viginti damnant, & qui in decem, conjunguntur in illo decem, quia decem continentur in viginti, & qui in viginti damnat, damnat etiam in decem; & ſic obtinebit eorum ſententia, ſi plures ſint contra abſolventes. At qui morte reum puniunt, & qui relegant, non conjunguntur, quia in morte non continetur relegatio, ſed ſunt

plane

plane duæ diverſæ pœnæ: ſi quidam relegent, quidam abſolvant, etiam non conjungentur, quia qui relegat, non vult reum abſolvi, ſed puniri, licet non ultimo ſupplicio.

XXXI. *Si ſocius abſit, aut alias impediatur jure ſuo uti, e. g. morbo, neceſſaria peregrinatione, quid obtinet?*

℞. Niſi pacta vel lex obſtent, jus abſentis præſentibus accreſcit: nam alias ſocietates, ob medii negotia expediendi defectum, facile fruſtrarentur ſuo fine. Sic in Imperio R. G. Imperatorem eligunt Electores præſentes, nulla habita abſentium ratione.

Grot. d. c. 5. §. 20. A. B. tit. 2. §. debet autem unuſquiſque Princeps. & ibi Limn. Inſt. Jur. Publ. p. 67.

XXXII. *Quis eſt ordo naturalis inter ſocios?*

℞. Prout quiſque in ſocietatem venit. Sic inter fratres is ſervatur ordo, ut qui primus natus eſt, reliquos præcedat, atque ita deinceps: rejectis omnibus aliis qualitatibus, ut ſi forte ſecundo genitus eſſet conſiliarius principis &c. dummodo agatur de rebus in collegio ſocietatis: extra hæc enim qualitates aliæ ſupervenientes conſiderantur. Sic in eodem collegio cætera debent eſſe paria, e. g. ſi collegii membra lecta ſunt partim ex nobilibus, par-

Grot. d. c. 5 §. 21.

Jac. Gothofr. de Præced. c. 3. §. 18. p. 79.

tim ex iſtis, qui nobiles nati non ſunt, & nobilibus præ cæteris locus ſit aſſignatus, tunc novus collega nobilis nobilibus in eodem collegio poſteriorem, aliis autem, qui nobiles nati non ſunt, priorem locum tenet. An idem obtinere debeat in conciliis ad rem Chriſtianam pertinentibus, ut reges, duces &c. qui primi Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, reliquos præcedere debeant, plures affirmant.

Grot. d. c. 5. §. 21. in fin. aliter Boecl. ibi.

XXXIII. *Ubi ſocietas fundamentum habet in re, quam non æqualiter omnes participant, quomodo ſententiæ ſunt ferendæ?*

Grot. d. c. 5. §. 22.

R. Secluſis pactis & legibus, ordo ſumendus eſt ex modo participationis, & ſententiæ etiam ad eum modum ſunt ferendæ. Sic qui prior participat de re & plures partes in ea habet, prior dicit ſententiam & plures, & ad eundem modum onera fert, e. g. in Imperio R. G. iis, qui plures principatus poſſident, plura interdum ſuffragia in comitiis conceduntur, & ii plura onera ferunt.

Lamp. part. 3. c. 5. §. 5. in fin. & Conring. ibi.

XXXIV. *Quomodo jus propter conſenſum oritur, quando plures patresfam. in unum populum*

&

& civitatem coëunt?

℞. Quando plures patresfam. in unum populum ac civitatem coëunt, & libertatem civilem retinere cupiunt, ſeu cum eligunt formam regiminis democraticam, Deus, quia hæc eſt perfectiſſima ſocietas, maximum dat jus corpori in partes, ita ut nulla ſit actio hominis externa, quæ non ad hanc ſocietatem aut per ſe ſpectet, aut ex circumſtantiis ſpectare poſſit, ſcilicet ad finem hujus perfectiſſimæ ſocietatis obtinendum, qui eſt vita beata & tranquilla. *Grot. d. c. c. 5. §. 23. l. 1. c. 3. §. 8. n. 2. c. 4. §. 2. n. 1.*

XXXV. *Datne Deus ipſi par jus regibus?*

℞. Affirmatur, 1. quia populus liber habet ſummam poteſtatem in civitate ubique, i. e. in perſonas & res. 2. Jus, quod Deus populo libero concedit, producit eoſdem effectus; & vero facultates morales, quæ producunt eoſdem effectus, eædem ſunt, eodemque nomine nuncupandæ. Uno verbo, populus liber parem habet majeſtatem cum regibus. *Grot. l. 1. c. 1. §. 1. c. 3. §. 7. & 11. n. 2. aliter Fr. Horn. l. 3. c. un. §. 2.*

XXXVI. *An civibus de civitate abſcedere licet?*

℞. Natura quidem nos ad ſocietatem ineundam ducit & invitat, non tamen *Grot. in Prol. n. 6. & d. c. 5. §. 24. n. 1. & 2.*

huic vel illi civitati, quam deinde relinquere nequeamus, nos addicit, ſed ut cives eorumque poſteri adſtringantur, pactis, quique vim illorum accipiunt, moribus opus eſt. Ex conſociationis ergo natura hoc conſtat, magis eſſe, ut licentiam pro arbitrio migrandi liber homo ſibi reſervaſſe intelligatur. Qui enim civitati ſe adjungit, in ſui ſuarumque rerum conſervationem hoc feciſſe intelligitur; & cum contingere poſſit, ut publicum regimen vel alia in iſta civitate privatis alicujus rationibus parum expediant, ut alibi commodius eaſdem poſſit proſequi, neque tamen conveniat poſtulare, ut ad unius aut paucorum libitum hæc mutentur, proximum erit, ut alicui ſit conceſſum per migrationem ſibi conſulere. Sic in Imperio R. G. ſubditi, qui diverſæ à domino territorii ſunt religionis, emigrare & bona ſua vel vendere, vel per alios adminiſtrare poſſunt.

l. 1. c. 2. §. 1. n. 5. c. 4. §. 4. l. 2. c. 1. §. 9. n. 2. & 3.

Brandes de jure emigr. th. 4. apud Fritſch. tom. 2. diſſ. 4. Puf. l. 8. c. 11. §. 2.

XXXVII. *Poteſtne edicto prohiberi, ne cives migrent ſub gravi pœna, e. g. confiſcatione bonorum?*

℞. Quia pactis & legibus fundamentalibus hæc migrandi facultas civibus poteſt adimi, cur propter utilitatem &

Grot. d. c. 5. §. 24. n. 1. Staml. de Servit.

& neceſſitatem civitatis, majeſtas tale edictum promulgare non poſſit, non videmus? ſunt enim hæc, ut loquuntur, juris naturæ permiſſivi: ſubditus autem in omnibus, quæ non ſunt contra jus divinum & naturæ, majeſtati obedientiam debet.

perſ. l. 3. c. 12. n. 11. aliter Myler. ab Ehrenbach de Stat. Imp. part. 2. c. 63. n. 5.

XXXVIII. *At majeſtas ſæpe mandat ea, quæ ſunt contra jus divinum, & ſubditos invitos detinet?*

℞. Civem emigrare volentem nullo jure hoc in caſu detinet, & ſi fuga ſibi proſpiciat, non peccabit: lex enim ad impoſſibilia & turpia neminem obligat.

Boecl. in Inſt. Pol. l. 1. c. 6. p. 75.

XXXIX. *An gregatim poſſunt diſcedere?*

℞. Si commodum ipſis hoc ſit, & conſervari non poſſint in tali civitate, inviti detineri non poſſunt: nam propter ſui conſervationem cum aliis in civitatem coiverunt. Si propriæ ſalutis ratio non obſtet, cum & civitatis commodum promovere, eamque & corpore & bonis incolumem ſervare cogantur, detineri poſſunt; modo ipſis, ut diximus, nihil contra jus naturæ & divinum injungatur.

Puf. l. 8. c. 11. §. 4. aliter Grot. d. c. 5. §. 24. n. 2. Oſiand. h. l.

aliter Puf. d. l.

XL. *An hæc renunciatio poteſt fieri quocunque tempore?*

Prot. d. c. 5. §. 24. n. 2. in fin. ℞. Renunciatio non debet fieri intempeſtive, ſeu tali tempore, quo ſocietatis civilis intereſt civem non abire, e. g. ſi magnum contractum ſit æs alienum; niſi paratus ſit civis in præſens partem ſuam exſolvere: item ſi fiducia multitudinis bellum ſit ſuſceptum, præſertim ſi obſidio immineat; niſi paratus ſit civis ille alium æque idoneum ſubſtituere, qui remp. defendat.

XLI. *An idem jus civitas habet in eos, quos in exilium expulit?*

d. c. 5. §. 25. ℞. Non; quia ad illos civitas non amplius pertinet, qui ex ea ejecti ſunt.

XLII. *Diximus, oriri etiam jus propter conſenſum ex ſubjectione, quotuplex eſt ſubjectio?*

d. c. 5. §. 26. ℞. Subjectio ex conſenſu aut privata eſt, aut publica.

XLIII. *Quotuplex eſt ſubjectio privata?*

d. §. 26. ℞. Poteſt eſſe multiplex, ſicut ſunt multiplicia regiminum genera. Nobiliſſima ſpecies eſt arrogatio, qua quis ſe ita dat in familiam alterius, ut ei ſubſit ad eum modum, quo filius, qui maturæ eſt ætatis, ſubeſt patri.

XLIV. *Quæ eſt ignobiliſſima ſubjectionis ſpecies?*

℞. Qua

℞. Qua quis ſe dat in ſervitutem perfectam. Eſt autem ſervitus perfecta, quæ perpetuas operas debet, pro alimentis & aliis, quæ vitæ neceſſitas exigit. d.c.5.§.27.

XLV. *Annon eſt iniquum, ut homo hominem recipiat in perpetuam & perfectam ſervitutem, cum natura omnes æquales ſimus?*

℞. Non eſt iniquum, 1. quia natura quidem omnes ſumus æquales ratione humanitatis, non ratione poteſtatis: & Deus & natura marito ſtatim jus in uxorem, parentibus in liberos concedunt. 2. quia poſtquam â prima vivendi ſimplicitate homines diſceſſerunt, vitamque operoſius excolere, ac rei augendæ incumbere cœperunt, hebetiores & tenuiores ſponte ſua operas ſolertioribus & locupletioribus locarunt, ſub promiſſione alimentorum & aliorum, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, & ſic eſt ex conſenſu. Quo accedit 3. cum Deus & natura velint, hominem ab homine juvari, quod cum hæc ſervitus naturalis contineat utriuſque utilitatem, domini ſcilicet & ſervi, vel maxime conveniens ſit naturæ humanæ, ut tenuiores locupletioribus operas, & hi illis alimenta præſtent; quo- d.c.5.§. 27.n.2. Puf. l.6.c. 3.§.4. aliter Horn. l.1.c.3.§.1. Puf. l.6. c.3.§.9.

quorum certitudine, quam ſæpe non habent, qui diurnas operas locant, vel propter defectum conductorum, vel propter ſocordiam ipſorum, non niſi fuſtibus expellendam, ſervitiorum perpetuitatem compenſamus.

XLVI. *Jus, quod dominus in ſervos conſequitur, quouſque ſe extendit?*

Grot. d. c. 5. §. 28. Puf. d. §. 4. aliter Horn. d. l.

℞. In moralibus media modum accipiunt à fine; & ſic dominus poteſt tali ſervo operas injungere, quaſcunque velit, etiam ſordidas, habita tamen ratione virium & dexteritatis ipſius. Poteſt quoque negligentiam & ſocordiam ſervi aſperioribus remediis coercere, & ſi opus ſit, ex familia expellere, & ſocordiæ ſuæ relinquere. Jus autem vitæ & necis locum non habet in hac ſervitute naturali, nam hoc non requiritur ad finem obtinendum in hac, ut & in omnibus ſocietatibus minoribus.

XLVII. *Unde naſcitur jus dominorum in prolem ſervilem?*

Grot. d. c. 5. §. 29. n. 2. Puf. d. c. 3. §. 9. aliter Ziegl.

℞. Ex ipſa alimentorum & eorum, quæ vitæ neceſſaria ſunt, præbitione: diu enim alendi ſunt è ſervis nati, antequam opera eorum domino utilis eſſe poſſit, & ſequentes operæ ſui temporis alimentis reſpondent. Hinc tamdiu

diu ſerviunt, quamdiu non reddunt quantum ſatis eſt pro alimentis.

XLVIII. *An ſervis aufugere licet?*

℞. Si ſit immanis domini ſævitia, vel ſi alimenta deneget, etiam illi, qui ipſi ſe in ſervitutem dederunt, aufugere poſſunt. *Grot. d. §. 29. n. 2. in med. jung. Oſiand. h. l. Grot. l. 3. c. 7. §. 6.*

XLIX. *Quid eſt ſubjectio publica?* *Grot. d. c. 5. §. 31.*

℞. Publica ſubjectio eſt, qua ſe populus ſeu plures patresfam. qui in unam civitatem coëunt, homini alicui ſeu regi, vel pluribus hominibus, i. e. optimatibus, ſeu etiam populo alteri, qui liber eſt, & ſibi elegit regimen democraticum, in ditionem dat.

L. *Quomodo jus oritur ex delicto?*

℞. Propter delictum jus oritur, quoties qui meruit libertatem amittere, ab eo, cui pœnæ exigendæ jus eſt, in poteſtatem vi redigitur; ſic Romæ libera fœmina, quæ ſe ſervo alieno junxerat, fiebat ſerva. Populus etiam, ſi in alium delinquat, interdum jure victoriæ, propter hoc delictum, libertate ſua civili poteſt privari, & in ſervitutem redigi civilem. *d. c. 5. §. 32. l. 1. c. 3. §. 8. n. 3. l. 3. c. 8. §. 2.*

CA-

CAPUT VI.

De acquiſione derivativa facto hominis, ubi de alienatione imperii, & rerum imperii.

I. *Quomodo aliquid noſtrum fiat acquiſitione derivativa.*
II. *Quomodo facto hominis.*
III. *Ut dominium transferatur, quid requiratur in dante.*
IV. *Quid in accipiente.*
V. *An imperia, ut aliæ res, alienari poſſint.*
VI. *Imperium in partem, an parte invita alienari poſſit.*
VII. *An membra, ad totius corporis conſervationem, non recte abſcindantur.*
VIII. *An pars pro lubitu poſſit à corpore recedere.*
IX. *An corpus idem jus habeat ad partem tuendam, quod habet pars ipſa ad ſe tuendam.*
X. *Imperium in totum corpus, cum etiam competat in partem, an à ſummum imperium habente in partem, alienari non poſſit.*
XI. *An talis partis alienatio neceſſitate, vel utilitate publica id exigente, præcipiatur.*
XII. *Imperium in locum deſertum an poſſit alienari.*
XIII. *An rex regnum ſuum, vel totum, vel partem, ſine populi conſenſu, alteri poſſit in feudum offerre.*
XIV. *An oppignorare.*
XV. *Functiones minores an à rege, ſine populi conſenſu, concedi poſſint jure hæreditario.*
XVI. *Patrimonium populi an à rege alienari poſſit.*
XVII. *An fructus ex patrimonio.*
XVIII. *An pars patrimonii à rege oppignorari poſſit.*
XIX. *An teſtamentum ſit alienationis ſpecies.*

I. *Quomodo aliquid noſtrum fit aquiſitione derivativa? ſeu quomodo acquirimus rem, quæ alicujus vel eſt, vel fuit?*

Grot. l. 2. c. 6. §. 1. n. 1. R. Acquirimus eam aut facto hominis, aut legis.

II.

II. *Quomodo facto hominis?*

℞. Quando homines rerum domini, qui liberam habent adminiſtrationem, dominium aut totum, aut ex parte, in nos transferunt: ineſt enim hoc in ipſa dominii natura, & poſt introductum dominium, nihil tam naturale eſt, quam ut domini voluntas, rem in alium transferre volentis, rata ſit. *d. c. 6. §. 1. n. 1.* *l. 1. c. 1. §. 10. n. 4 l. 2. c. 2. §. 2. n. 5.*

III. *Ut dominium ſic transferatur, quid requiritur in dante?*

℞. Non ſufficit actus internus voluntatis: nam hic non eſt congruens naturæ ſocietatis humanæ, quæ officiorum & rerum commutationem deſiderat; & vero nemo mentem alterius introſpicere poteſt, ſed ſimul requiruntur aut verba, aut alia ſigna externa, quibus hunc animum noſtrum rationi convenientem indicemus. *d. c. 6. §. 1. n. 1. in fin. & c. 4. §. 3.* *d. c. 6. §. 1. n. 2. in fin.*

IV. *Quid requiritur in accipiente?*

℞. Sepoſita lege civili, requiritur naturaliter voluntas accipiendi, cum ſuo ſigno, ſeu ſigno externo, certo, claro, & extra omnem ſuſpicionem aut querelam incertæ voluntatis poſito, indicata. Quæ voluntas ordinarie ſequitur dationem; ſed poteſt quoque præcedere; puta ſi quis quid dari, aut concedi ſibi petierat, & dans poſtea conſentiat: cen- *d. c. 6. §. 2. 11. & 14. Boecl. h. l.*

ſe-

ſetur enim durare voluntas, niſi mutatio appareat, & contrahentes digreſſi ſint ad alia negotia.

V. *Imperia an, ut aliæ res, alienari poſſunt?*

d. c. 6. §. 3. ℞. Imperia, ſi ſint in patrimonio, poſſunt alienari ab eo, cujus ſunt in patrimonio, e. g. à rege; ſi non ſint in patrimonio & electione, aut ſucceſſione deferantur, à rege, tanquam capite populi, accedente populi conſenſu; quia & hic jus aliquod habet, quando agitur de modo habendi imperium: hic enim modus pendet à primæva voluntate, & non comprehenditur ſub imperio. Cæterum totus hic tractatus fere regitur moribus & legibus populorum, & notitia ejus non ubivis in obvio poſita eſt: neque enim leges, quas vulgo vocamus fundamentales, ubique præſcriptæ, aut ad totam reip. rationem ſufficienter deſcriptæ extant.

Grot. d. l. aliter.

l. 2, c. 7. §. 27. Boecl. h. l. Conring. de fin. Imp. c. 19.

VI. *Si pars ſit alienanda, e. g. civitas, provincia, an & ejus partis conſenſus requiritur?*

d. c. 6. §. 4. Puf. l. 8. c. 5. §. 9. aliter. Conring. dict. ℞. Pars, de qua alienanda agitur, conſentire debet: nam qui in civitatem coëunt, contrahunt ſocietatem quandam perpetuam & immortalem, ita ut velint

velint regi eodem imperio, & intra ejuſdem imperii fines degere. Et quemadmodum ſinguli jus acquiſiverunt, ut non poſſint inviti è civitate ejici, aut alterius ſub imperium tradi, niſi in pœnæ vicem, ita & univerſis idem jus eſt quæſitum, ut inviti à corpore abſcindi, & alii in ditionem tradi non poſſint. Et ſi rex neceſſitate adactus cum hoſte validiore pacem hac lege fecerit, ut ipſi certam civitatem, certam regionem concedat, quæ tamen iſti ceſſioni contradicit: rex quidem ex eadem ſua præſidia deducere poteſt, & victori permittere, ut, ſi poſſit, ejus poſſeſſionem apprehendat: civitas tamen illa, vel regio, nulla obligatione impeditur, quo minus, ſi viribus ſuis confidat, ſe occupare volenti reſiſtat, aut peculiarem deinceps civitatem conſtituat. Si autem neceſſitati cogatur cedere, & ſic communis ſit neceſſitas & utilitas & corporis & partis, facile ex ſilentio conſenſus interveniſſe videtur.

c. 19. Ziegl. h. l. Oſiand. aliter Textor, c. 30. §. 31.

Puf. d. l.

Grot. d. c. 6. §. 8.

VII. *At membrum corporis humani poteſt abſcindi, in conſervationem totius corporis, ergo & membrum corporis hujus moralis?*

Grot. l. 2. c. 21. §. 11. n. 2. in fin.

d.c.6.§.4. ℞. Partes corporis moralis non ita ſunt ſub ſuo corpore, ut partes corporis naturalis:nam hæ ſine corporis vita vivere non poſſunt, atque ideo in uſum corporis recte abſcinduntur; illæ ſine ſuo corpore vivere interdum poſſunt, & eſt corpus voluntate contractum, ac propterea jus ejus in partes ex primæva voluntate metiendum eſt.

VIII. *An parti jus eſt à corpore pro lubitu recedere?*

d.c.6.§.5. l.1.c.4.§.7.Puf.l.8. c.5.§.9. ℞. Non; niſi evidenter ſe aliter ſervare non poſſit. Nam in omnibus conventionibus excepta videtur ſumma neceſſitas, quæ facultatem dat ſalutem ſuam quovis modo expediendi. Hinc nemo jure urbes reprehenderit, quæ, ubi pro virili hoſtibus reſtiterunt, dedere ſe tandem maluerunt, quam excidium pati.

IX. *An corpus idem jus habet ad partem tuendam, quod habet pars ipſa ad ſe tuendam?*

d.c.6.§.6. c.5.§.23. c.17.§.2. aliter Ziegl.l.2. c.6.§.6. ℞. Partis jus ad ſe tuendam eſt majus, quam corporis in partem, quia corpus demum jus conſequitur in partem, propter conſenſum ejus in conſociationem: partis autem ad ſe tuendam jus eſt antiquius, eique ante initam conſociationem à Deo & natura ad ſui con-

conſervationem conceſſum, quod in-
vitæ auferri non poteſt.

X. *At imperium eſt in corpore ſeu tota civitate; & ſic etiam in hac parte, ac propterea, ut dominium à domino, ita ab imperium habente imperium in hanc partem alienari poteſt?*

℞. Imperium eſt in toto corpore, ſeu tota civitate, & ſic etiam in hac parte, ſed non diviſibiliter in plures partes, verum indiviſibiliter, & quamdiu pars manet pars, & in eadem civitate; civitas enim tunc majus jus conſequitur in partem, ita ut omnes ejus actiones ad eam referri debeant: verum quando pars ſeparatur, primævum ſuum jus conſequitur ad ſe ipſam defendendam, ex ſua voluntate metiendum. *d.c.6.§.6. c.5.§.23. d.c.6.§.4. in fin.*

XI. *Imo neceſſitas & utilitas publica interdum exigunt, ut pars alienetur?*

℞. In extrema neceſſitate & innoxia utilitate habemus quidem jus etiam in res, quæ ſunt in alterius dominio; ſed hæc neceſſitas & utilitas, quæ rem ad jus naturæ reducit, comprehendit tantum uſum rei alterius, & detentionem, quæ nobis communiter debentur in rebus aliorum, & naturalia ſunt; *d.c.6.§.6. Puf.l.8.c.5.§.9.aliter Boecl. & Ziegl. h.l.*

non autem jus alienandi, quod facto humano, ſcilicet poſt dominia diſtincta, introductum eſt, atque ideo inde ſeu ex voluntate menſuram accipit.

d.c.6.§.1.n.1.

XII. *An imperium in locum, i. e. partem territorii, puta non habitatam aut deſertam, alienari poteſt?*

d.c.6.§.7.

℞. Alienari poteſt à populo libero, aut etiam à rege, accedente populi conſenſu; nam territorium & totum & ejus partes ſunt communia populi pro indiviſo, ac proinde ſub arbitrio populi: ſecus quam pars populi, quæ quia liberam habet voluntatem, jus quoque contradicendi habet & populo & regi, in cujus patrimonio non eſt jus imperandi.

XIII. *Poteſtne rex, ſine populi conſenſu, regnum ſuum alii offerre in feudum, & ab eo recognoſcere, ſub onere commiſſi ex felonia, aut ut deficiente familia jus imperandi ad eum devolvatur, cui id in feudum obtulit, ut ad ſeniorem?*

d.c.6.§.9. & l.1.c.3. §.23. Puf. l.8.c.5.§.10.

℞. Non; quia & talis infeudatio eſt ſpecies alienationis, quare videmus à pluribus populis irritas habitas, ut alienationes, ita & infeudationes regnorum, quas populis inconſultis reges fecerant.

XIV. *An pignori dari poteſt pars populi & imperii in populum?*

℞. Non poteſt ſine conſenſu populi & ejus partis, quæ oppignoratur, ita ut ejus adminiſtratio & naturalis poſſeſſio tantiſper ſit penes creditorem: non ea tantum ex cauſa, quod ex pignoris datione ſequi alienatio ſoleat, ſed quia populus regem ultro conſtituens, ab ipſo voluit gubernari, non à quovis alio, nec in multas particulas diſcerpi; ſed præſumitur velle, ut in ſua integritate conſervetur, cujus rei gratia in ſocietatem civilem coitum eſt.

d.c.6.§.9. & Puf.d.l. Cap. Leop. art.12.

XV. *An functiones ſummo imp. minores, ut ducatus, marchionatus, landgraviatus, comitatus &c. rex ſine populi conſenſu poteſt concedere jure hæreditario?*

Grot.l.1. c.3.§.14.

℞. Inconſulto populo rex id non poteſt, ſi maneamus intra terminos naturales: quia ſicut ipſius imperium morte finitur, ita & conceſſiones ab ipſo factæ; nec ſucceſſor obligatur ad eas ſervandas, quippe qui jus ſuum imperandi ſeu jus habendi imperium à populo, non ab anteceſſore accipit. Populi autem conſenſus ut expreſſus, ita tacitus conſuetudine introductus, id jus regibus

d.c.6.§.10. Boecl.b.l. ſed aliter.

tribuere poteſt. Sic videmus, oppida & totas regiones perpetuo jure tenendas, ab Imperatoribus eſſe donatas.

Inſt. Jur. Publ. l. 1. tit. 14. & 16. p. 166. n. F. 1.

XVI. *Patrimonium populi poteſtne alienari à rege, ſine populi conſenſu?*

Grot. d. c. 6. §. 11. Renat. Choppin. de Doman. l. 3. c. 18. Molinæus de u. ſuris, q. 58. p. 519. Crag. 1. dieg. 14. p. 310.

℞. Patrimonium populi, ſeu bona domanialia, quæ regi ſunt conceſſa ad ſuſtentanda reip. aut regiæ dignitatis onera, à rege ſine conſenſu populi, nec in totum, nec in partem alienari poſſunt. Ne quidem ſi res modicum valeat, quia quod meum non eſt, ejus nec exiguam partem alienare, mihi jus eſt; licet in rebus modicis ex ſcientia & ſilentio facilius conſenſus præſumatur. Deficiente autem conſenſu expreſſo vel præſumto, alienatio eſt ipſo jure nulla, ob defectum facultatis. Patrimonium enim imperii cauſa eſt conſtitutum, & quamvis rex ſibi forte ad vitam ſuam ſatis proſpectum judicet, tamen poſt ipſum alius rex præficiendus eſt, qui & ipſe pro dignitate ſuſtentari debet.

Puf. l. 8. c. 5. §. 11.

XVII. *An idem dicendum de fructibus, quos ex patrimonio Rex percipit?*

d. c. 6. §. 12.

℞. Fructus ſunt in regis patrimonio & dominio, & ſic de iis pro lubitu, & ultima voluntate & inter vivos, habet diſponendi facultatem: ſic jus alluvionum

num in patrimonio eſſe ſolet, ipſæ res, quas fecit alluvio, in fructu: jus vectigalia exigendi in patrimonio, pecunia ex vectigalibus procedens in fructu: jus confiſcandi in patrimonio, fundi confiſcati in fructu.

XVIII. *An partes patrimonii poſſunt pignori opponi à rege, ſine conſenſu populi?*

℞. Pars imperii non poteſt, ut diximus, pars patrimonii oppignorari poteſt, inconſulto populo, modo rex ſolus habeat jus nova tributa imponendi: hæc enim luitio pignoris eſt ſpecies quædam tributi; perinde enim eſt, an cives pecuniam contribuant propter publicas neceſſitates, an pecunia poſt collata talem partem oppignoratam redimant. Imo ſi rex ex proprio ſuo patrimonio in uſum reip. quædam erogaverit, merito patrimonium publicum eo nomine hypothecæ loco eidem judicabitur obſtrictum, ex præſumta populi voluntate, quæ eſt, ut rex habeat, unde reip. onera ferat, quouſque a populo debitum illud diſſolvatur. Hæc autem hactenus dicta ita locum habent, niſi lex imperio addita aut regis, aut populi poteſtatem magis aut auxerit aut contraxerit.

d.c.6.§.13. Puf. d.l. Ziegl. h. l. aliter.

aliter Ziegl. d.l.

d.c.6.§.13. in fin. Puf. d.l.

XIX. *An alienatio poteſt fieri per Teſtamentum?*

Grot. d.c.6. §. ult. ſed aliter. jung. Ziegl. b. l.

℟. Affirmatur; quia teſtamentum eſt voluntatis noſtræ ſententia, de eo, quod poſt mortem noſtram fieri volumus. Et ea eſt dominii vis, ut non tantum inter vivos, verum etiam in caſum mortis, illud in alium transferre poſſimus; licet, ut actus alii, formam certam à jure civili accipere poſſit, quod teſtamenti factionem aliquando plane tollit, vel ſolis civibus concedit, excluſis exteris.

Tacit. de mor. Germ. c. 20. Grot. d. c. §. ult. n. 2.

CAPUT VII.

De acquiſitione derivativa, quæ fit per legem: ubi de ſucceſſionibus ab inteſtato.

I. *Quot modis acquiſitio fiat per legem.*
II. *Quot modis per legem naturæ fiat alienatio.*
III. *Quomodo expletione juris.*
IV. *An quis propria auctoritate invito debitori rem auferre poſſit.*
V. *Quid ſi per judicem juris explementum obtineri non poſſit.*
VI. *Quomodo ſucceſſione ab inteſtato fiat alienatio.*
VII. *An ſit ex ſola conjectura voluntatis.*
VIII. *Qui in ſucceſſionibus primi ſint.*
IX. *An liberis alimenta debeantur.*
X. *An omnibus liberis.*
XI. *An ſemper.*
XII. *An debeantur parentibus.*
XIII. *An hoc debitum liberorum æque ordinarium ſit, ac parentum.*
XIV. *Avi & aviæ an ad danda alimenta teneantur.*
XV. *Reliqua bona an debeantur liberis.*
XVI. *An & quando ipſis adimi poſſint.*
XVII. *Quæ ſint juſtæ exhæredationis cauſæ.*

XVIII. *An in tam teneram ætatem, cui alimenta debentur, tale delictum cadere poſſit.*
XIX. *Quid ſi non ſatis conſtet, hunc illo eſſe genitum.*
XX. *An pater certus eſſe poſſit de liberis ſuis.*
XXI. *Quis ſit pater.*
XXII. *An omnes liberi æqualiter ſuccedant in bona parentum.*
XXIII. *Quid ſit matrimonium ad morganaticam.*
XXIV. *An ſit licitum.*
XXV. *Quæ rationes tale matrimonium ſuadeant.*
XXVI. *An injuſtum matrimonium mutari poſſit.*
XXVII. *Quibus, deficientibus liberis, ſucceſſio deferatur.*
XXVIII. *Quibus, deficientibus parentibus.*
XXIX. *Quid ſi ſuperſint fratres conſanguinei & uterini.*
XXX. *His deficientibus, qui ſuccedant.*
XXXI. *An cognati defunctis ſemper ſint cariſſimi.*
XXXII. *An hæ ſucceſſiones, quæ ex conjectura naturali deferuntur, mutari non poſſint.*
XXXIII. *Quid ſi expreſſa voluntatis indicia circa ſucceſſionem non exſtent.*
XXXIV. *An hæc etiam obtineant in iis, qui habent ſummum imperium.*
XXXV. *An ſucceſſio regum per omnia ſit æqualis ſucceſſionibus privatorum.*
XXXVI. *Quot modis regna deferantur.*
XXXVII. *Quæ regna deferantur ex liberrima voluntate regnantis.*
XXXVIII. *Qui heredes in talibus regnis inſtitui poſſint.*
XXXIX. *Quid ſi dictum ſit, ne regnum dividatur.*
XL. *An ſecundogeniti non ſuccedant.*
XLI. *Regna, libero populi conſenſu facta hæreditaria, quomodo deferantur.*
XLII. *An debeant eſſe individua.*
XLIII. *Qui in his ſuccedant.*
XLIV. *Regum liberi an omnes ſint legitimi.*
XLV. *An adoptivi ſuccedant.*
XLVI. *Mares an præferendi fœminis.*
XLVII. *An majores natu præferantur.*
XLVIII. *Cur.*
XLIX. *Quid, ſi primogenitus ſit incapax.*
L. *An regnum hoc modo delatum ſit pars hereditatis.*
LI. *Qualis lex ſucceſſionis ſequenda ſit in regno feudali.*
LII. *Quid ſit ſucceſſio linealis cognatica.*
LIII. *Quid ſi lege fundamentali hæc ſucceſſio non ſit determinata.*
LIV. *Quid ſit majoratus.*
LV. *Quid linealis ſucceſſio agnatica.*

LVI. *An poſſint alii ſucceſſionum modi introduci.*
LVII. *An filius poſſit à patre exheredari, ne in regnum ſuccedat.*
LVIII. *An in regnis non patrimonialibus exhæredatio locum habeat.*
LIX. *An regnum abdicari poſſit.*
LX. *An etiam in præjudicium liberorum.*
LXI. *Quis de controverſia de regni ſucceſſione judicare debeat.*
LXII. *Filius ante adeptionem regni natus, an præferendus ſit ei, qui in regia fortuna natus eſt.*
LXIII. *Nepos ex filio priori an præferatur filio poſteriori.*

I. *Acquiſitio, quæ fit lege, quotuplex eſt?*

Grot. l. 2. c. 7. §. 1. ℞. Eſt triplex: aut fit lege naturæ, aut gentium, aut civili, de qua tamen hic non agitur, id enim infinitum foret, & præcipuæ de bellis controverſiæ ex lege civili non definiuntur. Tantum notandum eſt, leges quaſdam civiles eſſe plane injuſtas, ut quæ bona naufragorum fiſco addicunt.

II. *Quotupliciter fit alienatio lege naturæ, quæ ex ipſa dominii natura ac vi ſequitur?*

d. c. 7. §. 2. ℞. Dupliciter; expletione juris, & ſucceſſione.

III. *Quomodo fit expletione juris?*

d. §. 2. ℞. Quoties id, quod meum nondum eſt, ſed mihi dari debet, aut loco rei meæ, aut mihi debitæ, cum eam ipſam conſequi non poſſum, aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem meam

meam detinet, vel mihi debet. Nam juſtitia expletrix, quoties ad idem non poteſt pertingere, fertur ad tantundem, quod eſt morali æſtimatione idem. Quum autem mei juris explementum alias conſequi non poſſim, quam ſi dominus fiam, & ſola rei detentio non ſufficiat, dominium hoc modo transferri, probatur à fine, quæ in moralibus optima eſt probatio.

IV. *An ipſe propria auctoritate, invito debitori rem auferre poſſum, eamne expectare debeo à judice?*

℞. Ubi judicia vigent, jure eſt experiundum, quia alias fruſtra eſſet inſtituta judiciorum auctoritas, tumultus in civitate oriri facile poſſent, & ordo turbari: ubi judicia ceſſant vel momentanee, puta ſi alioqui nunquam tuum recuperare poſſis, aufugiente forte debitore; aut continue, ut in locis, ubi non eſt civitas, unuſquiſque propria auctoritate rem invito debitori auferre poteſt. *d.c.7.§.2. n.2.* *l.1.c.3.§.2.*

V. *Si jus quidem certum ſit, judicia etiam vigeant, ſed ſimul moraliter certum, per judicem juris explementum obtineri non poſſe, puta quia probatio deficiat, an ſibi ipſi quis poteſt jus dicere?*

Ziegl. h. c. 7. §. 2. n. 2. aliter Grot. h. l. ℞. Non; quia alias magna daretur injuriis faciendis licentia, & facile ſub prætextu juris alter alteri vim eſſet illaturus, civitates furtis ac rapinis implerentur: quo accedit, quod hæc ablatio non ſit habitura diuturnum effectum, ſi enim is, cui vis facta eſt, adeat judicem, & in ſua probatione non deficiat, res erit reſtituenda, imo pluribus in locis jus crediti amittit, qui id facit.

VI. *Quomodo alienatio fit ſucceſſione?*

l. c. 7. §. 3. ℞. Quia dominii ea vis erat, ut domini voluntate in alium transferri poſſet, etiam mortis cauſa, ſi quis voluntatis ſuæ nullam edidiſſet teſtationem, cum tamen credibile non eſſet, ejus eum mentis fuiſſe, ut poſt mortem ſuam bona cuivis occupanti cederent, ex conjectura voluntatis, præſumitur bona ſua voluiſſe pervenire ad eum, ad quem ea pervenire æquum atque honeſtum erat.

VII. *At ſi alienatio, quæ fit ſucceſſione, fit ex conjectura voluntatis, nulla eſt ex jure naturæ?*

Feld. ad Grot. h. l. ſed aliter. ℞. Conjungi debent jus naturæ & præſumta voluntas, non ſibi opponi; ideo enim quis præſumitur velle, quia jus naturæ hoc vult. Et hæc ſucceſſio,

cum

cum ſit ex ordinata & hominis ſani præſumta voluntate, ſi quis inique liberos facto forte teſtamento exhæredet, jus naturæ etiam contra ejus voluntatem dat ſucceſſionem, quæ erat inordinata, ſcil. hominis, qui ſua ratione non recte uſus eſt: adeo ut licet hoc in caſu ſucceſſio ſit contra voluntatem inordinatam, non tamen ſit contra præſumtam voluntatem, ſi ordinata fuiſſet. *pr. Inſt. de inoff. teſt.*

VIII. ***Ad quem bona pervenire æquum atque honeſtum eſt?***

℞. Prima cauſa eſt liberorum, quia ea liberis debemus. *d. c. 7. §. 3. in fin.*

IX. ***At liberis ne quidem alimenta debemus, ſed naturali rationi tantum conſentaneum eſt, ut liberi à parentibus alantur, ergo multo minus reliqua noſtra bona?***

℞. Liberis debentur alimenta ex neceſſitate & præcepto juris naturæ, quia alias ſocietas humana ultra hominis ætatem ſubſiſtere non poſſet, imo nulla unquam futura fuiſſet. Et qui dat formam, dare debet quæ ad formam ſunt neceſſaria; quare qui cauſa eſt, ut homo exiſtat, is, quantum neceſſe eſt, proſpicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam, id eſt, na- *Grot. d. c. 7. §. 4. n. 1. aliter,*

naturalem ac ſocialem [ad hanc enim natus eſt] ſecundum ſuæ dignitatis ſtatum ſunt neceſſaria. *Hobbes c.9.* Adeo ut impia ſit ſententia eorum, qui ſtatuunt integrum eſſe matri, an infantem recens natum exponere velit, an educare; hi brutis animantibus ſunt pejores, nam *Grot. d. c.7. §. 3. n. 2. Boecl. b. l. Puf. l. 6. c. 2. §. 12.* & bruta proli ſuæ, quantum neceſſe eſt, alimenta ſuppeditant. Optima quippe magiſtra natura eſt, cunctis animantibus, non tantum ad ſui, ſed & ad prolis ſuæ conſervationem, ut cognata hac caritate continua ſucceſſio ad æternitatis circulum perveniat.

X. *An omnibus liberis debentur alimenta?*

d. c. 7. §. 4. n. 3. Puf. l. 4. c. 11. §. 6. ℞. Quia naturale eſt hoc debitum, ideo etiam alimenta debentur naturalibus liberis, & vulgo quæſitis, imo ex damnato coitu natis. Nec aliter capiendum, quod dici ſolet, legitimam humanis legibus tolli non poſſe, quatenus ſcilicet in legitima inſunt alimenta neceſſaria. Nam quod ſupra eſt, tolli poteſt, non repugnante natura.

XI. *An alimenta nullo caſu poſſunt denegari?*

d. c. 7. §. 7. ℞. Hoc debitum alimentorum & ſucceſſionis in bona eſt juris naturæ hypothe-

thetici, quod præſupponit liberorum in parentes pietatem; ſi enim ſint ingrati, ex familia expelli & abdicari poterunt.

XII. *Alimenta an debentur parentibus?*

℟. Affirmatur; quia 1. parentum beneficia id merentur. 2. bona ut plurimum a parentibus ſunt profecta, aut ſaltem ſemina eorundem, quæ liberi poſtea auxerunt. 3. in quibuſdam parentibus debilitas & egeſtas ſenii accedunt. *d. c. 7. §. 5. Puf. l. 4. c. 11. Boecl. h. l. Seld. de J. N. & G. l. 7. c. 2.*

XIII. *An hoc liberorum debitum in parentes æque ordinarium eſt, ac illud parentum in liberos?*

℟. Non; nam liberi cum naſcuntur, nihil ſecum afferunt, unde vivant: adde, quod vivendum diutius habent, quam parentes: atque ideo, ſicut honor & obſequium parentibus debentur, non liberis, ita educatio liberis magis, quam parentibus. Et cum parentibus debeantur, inprimis propter beneficia educationis, hinc ſi hæc beneficia ceſſent, forte quia partum dolo expoſuerunt, etiam debitum alimentorum ceſſat. *d. c. 7. §. 5. n. 1.*

XIV. *An avi aviæque tenentur ad danda alimenta?*

℟. Ubi

d. c. 7. § 4. n. 4. & § 6. Feld. h. l. ℞. Ubi parentes defecerunt, æquum eſt, ut avus aviaque, pro mortuo filio filiaque, curam ſuſcipiant nepotum & neptium; quod & in parentibus longius remotis pari ratione procedit, & ad eos etiam nepotes extenditur, qui per mulieres ex nobis veniunt, i. e. ad nepotes ex filiabus noſtris; ſi aliunde ali non poſſint: natura enim trahit parentes ad amorem ejus, quod ex ſe procreatum norunt, & quod mediantibus liberis ab iis provenit. Atque hinc ortum traxit jus illud, ut nepos filii loco ſuccedat; quam vicariam ſucceſſionem, quæ per ſtirpes fit, repræſentationem vocant.

XV. *An & reliqua bona liberis debemus?*

d. c. 7. § 5. n. 2. ℞. Prima bonorum ſucceſſio liberis defertur: quia creduntur parentes illis, ut corporis ſui partibus; non tantum de neceſſariis, ſed & de his, quæ ad vitam ſuavius honeſtiuſque tranſigendam pertinent, quam uberrime voluiſſe proſpectum; ab eo maxime tempore, quo ipſi rebus ſuis frui non poſſunt: partim ob præciſum debitum naturale, partim ex conjectura naturali, qua parentes creduntur id velle, ut liberis quam optime proſpectum ſit.

XVI.

XVI. *Quid ſi in diverſum adſint indicia voluntatis paternæ?*

℞. Si in diverſum ſuppetant indicia, hæc voluntatis conjectura ceſſat, ut ſi filius ex juſta cauſa abdicetur vel exhæredetur. *d. c. 7. §. 7.*

XVII. *Quæ ſunt juſtæ exhæredationis cauſæ?*

℞. Juſtæ exheredationis cauſæ ſunt omnes, quæ naturalis neceſſitudinis aut caritatis vincula aut laxare aut impedire poſſunt, e. g. ſi patri injurias manus inferat filius, ſi vitæ ejus inſidias ſtruat &c. & hoc in caſu ne quidem alimenta debentur, quia eſt delictum, quod mortem meretur. *N. 115. c. 3. Boecl. ad c. 7. §. 7.*

XVIII. *At in tam teneram ætatem, cui alimenta debentur, tale delictum non videtur cadere poſſe?* *Puf. l. 4. c. 11. §. 11.*

℞. Alimenta debentur liberis, quamdiu ſe ipſos honeſte exhibere non poſſunt, & comprehendunt ſumtus in ſtudia & peregrinationes, qua ſæpe in plures annos protrahuntur, ita ut in tales liberos tale delictum facile cadere poſſit. Imo etſi tale delictum non eſſet, ad alimenta deneganda ſufficeret ingratitudo erga parentes, & delictum quod vinculum caritatis naturalis diſſolvit. *Arnis. Relect. Pol. l. 1. c. 4. ſect. 4. Gaſſend. Philoſ. Mor. p. 1457. Puf. l. 4. c. 11. § 5.*

XIX. *Si non ſatis conſtet, hunc illo eſſe genitum?*

d. c. 7. §. 8.

℞. Et hæc exceptio regulæ eſt addenda: ſcilicet natura nos ducit ad partum alendum ex nobis, non autem ſi ex adulterio ſit conceptus.

XX. *Verum de factis nulla eſt certa perceptio, & generis nemo ſibi conſcius ipſe eſt, & mater ſcit ſuos eſſe liberos, pater autumat?*

h. t. §. 10. D. de inſpic. ventre. d. c. 7. §. 8. n. 1. in med.

℞. Ea, quæ ſolent in hominum conſpectu fieri, ſui generis certitudinem habent ex teſtimonio: quo ſenſu mater certa eſſe dicitur, quia inveniuntur, qui quæve partui & educationi adfuerunt; at de patre hujus gradus certitudo haberi non poteſt.

XXI. *Quis eſt pater?*

Puf. l. 4. c. 11. §. 10. Limn. tom. 4. addit. l. 2. c. 1. p. 202. in fin.

℞. Probabiliter pater eſt, quem nuptiæ demonſtrant, vel qui pro tali habetur matris indicio; ſaltem tali certitudine, qua res facti probari ſolent, cum mater plures mares potuerit admittere.

XXII. *An omnes liberi æqualiter ſuccedunt in bona parentum?*

Puf. d. l. 4. c. 11. §. 8. & o. Boecl. Inſt. Pol. l. 2. c. 3. p. 53.

℞. Non eſt neceſſe (1.) ut bona æqualiter inter filios dividantur, ſed uni atque alteri præ cæteris eximii quid aſſignare poteſt pater, vel ob ſingularia merita, aut præclaram ſpem, vel etiam

ob

ob peculiarem affectum, inprimis erga familiam ejuſque ſplendorem & conſervationem, quæ ſæpius detrimentum patitur diviſione bonorum æquali. 2. Non tantum leges civiles, verum & jus naturæ, propter diſcrimen inter nuptias & alios concubitus, conſtitutum, magis favet liberis legitimis, quam naturalibus, licet hi tantundem trahant ex ſanguine paterno, quam illi.

Grot. c. 7. §. 8. n. 2. aliter.

XXIII. ***Quomodo vocatur matrimonium, quando ex pactione quidam liberi excluduntur à præcipua hæreditate, & jubentur certa portione, vel alimentis eſſe contenti?***

℞. Matrimonium ad morganaticam, quod eſt legitima conjunctio, inprimis viri illuſtris cum fœmina inferioris conditionis, hac lege, ut liberi iſto matrimonio naſcituri certa portione aſſignata ſint contenti, & à reliqua hæreditate & dignitate paterna excludantur.

2. F. 29. & ibi Bitſch. Grot. d. c. 7. §. 8. n. 3. Puf. l. 6. c. 1. §. ult.

XXIV. ***An hoc matrimonium eſt licitum?***

℞. Affirmatur; quia continet individuam vitæ conſuetudinem, ſobolis procreandæ gratia, licet ſiniſtra manu jungi ſoleat talis uxor.

Mylerus in Gamol. Princip. c. 6. ſupra, c. 5. q. 25.

XXV. ***Quæ ſunt rationes, propter quas tale matrimonium***

contrahi ſolet?

Puf. d. l. & Bitſch. 2. F. 29. ſupra, c. 5. q. 26.

℞. Ut 1. conſerventur familiæ, in primis illuſtres, quibus diviſione bonorum & imminutione tantum decedit de dignitate, quantum ſplendoris ipſis accedit ex nativitate: & hinc 2. eſt favor liberorum prioris matrimonii. 3. ne tales viri cogantur vivere in peccato ſeu concubinatu.

XXVI. *An hoc pactum conſtante matrimonio à patre illuſtri & matre mutari poteſt?*

Rhet. Inſt. Jur. Publ. l. 1. tit. 21. p. 304. Grot. l. 2. c. 14. §. 7.

℞. Nihil tam naturale eſt, quam ut unumquodque eo modo diſſolvatur, quo fuit colligatum, dummodo tertio, e. g. cognato, in cujus favorem id forte etiam factum eſt, ex tali pacto non ſit jus quæſitum: nam hoc ipſi invito, ne quidem à principe, niſi in pœnam, vel propter eminens dominium, auferri non poteſt.

XXVII. *Ubi deſunt liberi, quibus naturaliter defertur ſucceſſio?*

d. c. 7. §. 5. n. 2. Puf. l. 4. c. 11. §. 13.

℞. Parentibus, non tamen eo modo, ut liberis. Parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit, liberos naturæ ſimul & parentum commune votum; ſcilicet optarent quidem parentes, bona ſua in liberos devolvi, eoſque habere ſuperſtites, ubi tamen ordo naturæ

turæ verſus fuerit, lamentabili illo ſolatio hæreditatis eos utcunque demulceri par erat. Et cum nullum ſit officium referenda gratia magis neceſſarium, nemo præſumitur voluiſſe perdere occaſionem beneficii reddendi & referendæ gratiæ. vid. quæſt. 12. *d. c. 7. §. 9. n. 2.*

XXVIII. *Parentibus mortuis, ad quos devolvitur hæreditas?*

℞. Ad eos, qui proxime nobiſcum deſcendunt ex parentibus, & ſi quidam præmortui fuerint, ad liberos eorum ſuperſtites, qui eos repræſentant: uno verbo, ad fratres & ſorores germanos eorumque liberos. Nam & ſic gratiam referimus parentibus noſtris, in eorum ſcil. liberis, qui naturaliter ſunt pars parentum, & quibus, ſi viverent, parentes maxime vellent benefieri. Quo accedit, quod commendationi naturæ, quia ex iiſdem parentibus genus nobiſcum ducunt, ſatisfaciamus. *d. c. 7. §. 9. n. 2. in fin. & n. 4.*

XXIX. *Quid ſi ſuperſint fratres conſanguinei tantum & uterini?*

℞. Simul hic reſpicitur, ex quo velut fonte bona iſta in defunctum fuerint devoluta; ita ut paterna paternis, i. e. conſanguineis, materna maternis, i. e. uterinis, cedant: bona autem noviter quæſita æqualiter dividantur. *d. c. 7. §. 9. n. 1. Puf. l. 4. c. 11. §. 14.*

XXX. *His deficientibus, qui ſuccedunt?*

d.c.7.§.10. Boecl. b. l. aliter Feld. ℞. Reliqui cognati, qui defuncto cariſſimi fuerunt, ſcilicet, qui defunctum gradu cognationis proxime attingunt.

XXXI. *At vero ſæpius tales diſſident à defuncto, & ipſi cariſſimi non ſunt?*

Puf. l. 4. c. 11. §. 15. ℞. Licet forte cognati proximi non ſint cariſſimi defuncto, tamen cognatio, quæ in ipſis eſt, & ad cujus conſervationem & ſplendorem augendum natura & communi voto omnes feruntur, eſt cariſſima; & hinc convenientiſſimum eſt, ut bona noſtra intra familiam maneant.

XXXII. *An hæc, quæ dicta ſunt de naturali conjectura, ita neceſſaria ſunt jure naturæ, ut mutari non poſſint?*

d. c. 7. §. 11. ℞. Dummodo liberis & parentibus legitima relinquatur, reliqua jure naturæ abſolutam neceſſitatem nullam habent, ac proinde ex diverſis cauſis, voluntatem humanam moventibus, variari ſolent, pactis, legibus, moribus, qui ſubitionem in locum interdum admittunt, interdum non; alibi diſtinguunt, unde bona veniant, alibi id inſuper habent.

bent. Eſt ubi primogeniti poſtgenitis plus ferunt, ut apud Hebræos: eſt ubi inter ſe æquantur. Eſt ubi agnatorum habetur ratio; eſt ubi cognati quilibet cum agnatis tantundem ferunt. Etiam ſexus alicubi momentum habet, & alibi cognationis ratio habetur, intra propiores gradus: alibi longius extenditur &c.

XXXIII. *Quid ſi non ſint expreſſa voluntatis indicia circa ſucceſſionem in bona poſt mortem?*

℞. Credendum quemque id de ſua ſucceſſione ſtatuiſſe, quod ſtatuit lex, aut quod mos habet populi, non tantum ex vi imperii, quod vult, ut omnes inferiorum actus ſint legibus conformes; ſed & ex conjectura, qua unuſquiſque præſumitur legibus ſe ſuaque ſubjicere. *d. c. 7. §. 11. n. 2.* *l. 2. c. 2. §. 5. c. 4. §. 12. c. 11. §. 5. n. 2.*

XXXIV. *An hæc conjectura valet etiam in eos, quorum in manu ſummum eſt imperium?*

℞. Affirmatur; nam & hi probabiliter creduntur in rebus ſuis æquiſſimum judicaſſe, quod aut legibus ſanxerunt ipſi, aut moribus probant, in iis dico rebus, in quibus de nullo ipſorum damno agitur, & in quibus materia & ratio legis ipſis eſt communis cum ſubditis. *d. c. 7. §. 11. n. 2.* *c. 4. §. 12.*

XXXV. *An ergo Rex in omnibus præſumitur velle leges ſuas valere in ſucceſſione ſua?*

Boecl. ad c. 7. §. 12. n. 2. ℞. Succeſſio regum non per omnia ſe habet aut exigi poteſt ad regulas privatæ ſucceſſionis; quia ſucceſſio regnorum non æſtimatur ex utilitate privatorum, ſed ex utilitate publica, & hinc ea, quæ in jure civili, aut privatorum ſucceſſionibus, naturalem habent rationem aut æquitatem, huc, in quantum fieri poteſt, trahuntur & applicantur. Conring. de Reg. & Tyr. th. 9.

XXXVI. *Quot modis regna deferuntur?*

d. c. 7. §. 12. & 14. ℞. Regna deferuntur vel ex liberrima voluntate regnantis, eaque vel expreſſa, vel præſumta; vel ex voluntate populi.

XXXVII. *Quæ ſunt regna, quæ deferuntur ex liberrima voluntate regnantis?*

d. §. 12. ℞. Regna 1. armis ſubacta, 2. dedita ſine conditione. Utrobique populus videtur conſenſiſſe per modum invitæ actionis, ad voluntariæ tamen æſtimationem redigendæ, quia coacta voluntas etiam eſt voluntas: & victor omne imperium per victoriam, ut exercendum, ita & ſubjectum imperii exiſten- l. 3. c. 8. §. 1. & 2.

tiæ

tiæ conſtituendum, eſt conſecutus.

XXXVIII. *Quoſnam hæredes quis inſtituere poteſt in tali regno?*

℞. Non tantum liberos legitimos, mares & fœminas, verum & naturales, adoptivos, imo & extraneos & diverſæ religionis præficere, & regnum dividere poteſt. Imo etiam ad eos proximos ultimi poſſeſſoris regnum perveniet, qui primum regem ſanguine non attingunt, ſi talis ſucceſſio in iis locis recepta ſit. *d.c.7.§.12. Boecl.h.l. aliter.*

XXXIX. *Si dictum ſit ne regnum dividatur?*

℞. Regnum habebit natu maximus, ſive omnes ſint filii, ſive filiæ: ſi filii & filiæ concurrant, habetur ratio ſexus, ita ut filius natu minor, ſeu ſecundogenitus, præferatur filiæ primogenitæ: ſexus enim prærogativa eſt perpetua, ætatis autem temporaria. *d.c.7.§.13. aliter.* *d.c.7.§.18.*

XL. *Secundogeniti an plane non ſuccedunt?*

℞. Primogenitus erga eos ſe clementem & pium exhibeat, & pro ipſorum partibus, ſi non rependat æſtimationem, aſſignet ipſis, ut honeſte, ſecundum ſtatus ſui dignitatem, vivere poſſint, ne tenuitate proviſionis vitæ inquinatæ & diſſolutæ occaſio præbeatur. *d.c.7.§.13. in fin. Dieter. ad A.B. tit.24. Inſt Jur. Pub. p.618.*

XLI. *Regna libero populi conſenſu facta hæreditaria quomodo deferuntur?*

d. c. 7. §. 14. ℞. Ex præſumta populi voluntate, quæ videtur fuiſſe, ut obſervetur id, quod maxime expedit.

XLII. *Quid videtur maxime expedire?*

d. c. 7. §. 14. Puf. l. 7. c. 2. §. 11. & 12. Boecl. h. l. ℞. Ni aliud lex aut mos ferat, quinque res hæ videntur expedire: 1. ut regnum ſit individuum, quia id ad tuendum regnum, & civium concordiam, maxime valet. Imo etiam votum primi electi regis eſt, ut maneat eadem regni forma; & cum regnum, non regna acceperit, etiam ex regno non præſumitur voluiſſe plura regna efficere per diviſionem, vel ex regno ariſtocratiam, ut nimirum plures fratres pro indiviſo, pari inter ſe poteſtate regnum adminiſtrarent; talis enim mutatio nullo unquam ævo periculis caruit.

XLIII. *Quid præterea expedit?*

d. c. 7. §. 15. & 16. ℞. Alterum eſt, ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui deſcendunt à primo rege: ea enim familia ob nobilitatem electa cenſetur, eaque finita regnum redit ad populum. Tertio, ut ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum patriæ leges: non naturales tantum, quia ad

con-

contemtum patent, quorum matrem pater juſto conjugio dignatus non eſt; & præterea quia minus certi habentur, propter deficientem fidem conjugalem: at in regnis expedit populo habere maximam certitudinem, quæ haberi poteſt, ad vitandas controverſias.

XLIV. *At regum liberi omnes ſunt legitimi, quia diſcrimen inter legitimos & naturales eſt ex lege civili, & vero reges legibus civilibus ſunt ſoluti?* Horn. l. 2. c. 9. §. 17.

℞. Quamvis diſpar ſit conditio regum & ſubjectorum, quantum ad leges civiles, tamen nepotes, liberi, propinqui, familia, genus &c. ſemper communiter apud omnes populos, qui ratione ſua recte utuntur, reſpectu matrimonii dicuntur: diſcrimen inter legitimos & naturales eſt à jure naturæ, à quo eſt diſcrimen inter nuptias & concubinatum, ſeu ii demum ſunt legitimi apud omnes populos, qui ex individua vitæ conſuetudine naſcuntur. Et ſi quis aliter explicaret, ſtylum omnibus ſeculis toto orbe receptum abnegaret, quod non eſt privati vel unius hominis; oportet enim, ut prius oſtendatur, vel nullum eſſe, vel omni tempore nullum fuiſſe diſcrimen inter prin-

principum uxores, pellices & amicas.

XLV. *An adoptivi ſuccedunt?*

d. c. 7. §. 16. Boecl. b. l. Puf. l. 7. c. 7. §. 12. in med.

℞. Non; quia populus in naturalem regis ſtirpem regnum contulit, qua deficiente, ad ſe voluit redire facultatem de ſucceſſore diſponendi, quæ facultas, admiſſa adoptione, quæ quidem ad regnum jus daret, in perpetuum eluderetur; quo accedit, quod nobilitas generis vere regii magis reverendos efficit reges, majorque de eis ſpes concipitur. Hinc nec aſcendentes primi regis, fratres, vel collaterales, multo minus affines, admittuntur, citra novam populi electionem.

XLVI. *Quodnam eſt quartum quod expedit?*

d. c. 7. §. 17. Boecl. b. l.

℞. Quartum eſt, ut inter eos, qui pariter ad hæreditatem admittuntur, ſive quia unius ſunt gradus, ſive quia in parentum ſuorum locum ſuccedunt, præferantur mares fæminis: ideo quod mares tum ad bella, tum ad alias imperii partes, magis idonei fœminis cenſentur, & rarum & extraordinarium eſt illud Poëtæ: *Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem, illaque virgo viri.*

XLVII. *Quintum quod eſt?*

℞. Quin-

℞. Quintum eſt, ut inter mares aut foeminas, ubi mares deficiunt, præferatur natu maximus; ita tamen, ut ubi fœminæ & mares concurrunt, ſexus prærogativa, quæ perpetua, potior ſit prærogativa ætatis. *d. c.7.§.18.*

XLVIII. *Cur natu maximus præfertur?*

℞. Variant hic opiniones: alii ad jus naturæ, ſanguinis, aut hæreditatis provocant: alii ad jus divinum & gentium: alii ad populi electionem, quorum opinio verior eſt: ſcilicet in omni ſucceſſione latet populi electio, ſeu tacita, ſeu expreſſa; jus enim ab electione familiæ cœptum ſuccedendo continuatur. Quare quantum prima electio tribuit, tantum defert ſucceſſio. *Horn. l. 2. c. 9. §. 8. & ſeqq.* *Grot. l. 1. c. 3. §. 10. n. 5.*

XLIX. *Quid ſi primogenitus ſit incapax?*

℞. Quia populus ipſum elegit, cum præſumatur is judicio eſſe perfectior, aut futurus, ſi propter mentis aut corporis vitium imperare non poſſit, non ſuccedit, ſed reliqui: ſalva tamen ſemper ſexus primum, deinde ætatis prærogativa inter capaces. Nam qualitas & ſexus & ætatis, quatenus in hac re a populo conſideratur, ita perſonæ adhæret, ut avelli inde nequeat. *d. c. 7. §. 18. n. 2. A.B.tit. 25. & ibi Limn.*

L. *An*

L. *An regnum, ubi in hunc modum defertur, pars eſt hæreditatis?*

d.c.7. §.19. Boecl. h. l. & ad §.18 Puf. l. 7. c.7. §. 12. Horn. l. 2. c 9. §. 13. aliter. l.2.c. 14. §. 10. & 11.

℞ Eſt hæreditas quædam, quia eſt legitima in locum alterius defuncti ſucceſſio, & ſucceſſor principis non male vocatur hæres regni, ſolii, ſceptri; ſed ſeparata eſt ab aliorum bonorum hæreditate, ita ut in his non cogatur ſimul ſuccedere, & eorum onera ferre. Nec ab illa ſucceſſione excluditur quis ob omnes cauſas, ob quas ab his excluditur, ſed ut aliquid committat contra patriam, vel ut propter defectum imperare non poſſit, requiritur. Præſumta enim voluntas populi ſemper intelligenda eſt cum relatione ad commodum reip. & regnum voluiſſe creditur is quam optimo jure deferri; nec quicquam ejus refert, hæreditas aliorum bonorum à rege adeatur, nec ne, cum hæreditarium ordinem non ob hoc elegerit, ſed ut certi quid eſſet, & reverentia conciliaretur ex ſanguine, ſimulque ex genere & educatione ſpes eſſet præclaræ virtutis, & regni poſſeſſor regnum magis curaret, animoſiuſque defenderet, ſi id ipſum iis eſſet relicturus, quos ipſe ob caritatem maximi faceret.

d.c.7. §.19. in fin. Myllerus in Archol. c. 11. §. 6.

LI. *Si regnum primitus datum ſit in feudum ab eo, qui plene dominus erat,*

rat, qualis lex eſt ſequenda in ſucceſſione?

℞. Sequenda erit lex ſucceſſionis feudalis, non ſemper Longobardica illa, quam perſcriptam habemus, ſed quæ in gente quaque recepta fuit, quo tempore data eſt prima inveſtitura: nam aliæ gentes leges aut mores de feudis non minus, quam Longobardi habuerunt, idem dic de regno, quod ex non feudali factum eſt feudale, quia ejus natura eſt mutata.

d.c.7.§.20. Ziegl. h.l. Struv. Synt. J.F. c.9.§.1.& ſeqq. Frantz. de orig. Feud. Bitſch. in proœm.

LII. *Eſtne in regnis adhuc alia quadam ſucceſſio non hæreditaria?*

℞. Affirmatur; ſcilicet ſucceſſio, quæ linealis dicitur, eaque vel cognatica, vel agnatica. Cum enim favor repræſentationis, propter jus, quod defunctus in viventis bonis habet, & quod ad eos, qui ex ipſo ſuperſtites ſunt, tranſmittit, tantum in deſcendentibus obtineat in infinitum, in collateralibus autem evaneſcat, apud multas gentes linealis ſucceſſio eſt introducta, cujus fundamentum, ut & hæreditariæ, eſt ſpes populorum de optima educatione eorum, qui ſpem regni habent juſtiſſimam. Hæc autem linealis ſucceſſio in eo conſiſtit, ut omnes, qui ab auctore ſtirpis regnatricis deſcendunt, vel-

d.c.7.§.22. Puf. l.7.c. 7.§.13.

velut lineam quandam perpendicularem conſtituant, ita ut eorum quilibet regno propior ſit, prout quiſque in eodem gradu ſexus, deinde & ætatis prærogativa, potior eſt. Nec prius ad aliam lineam regnum devolvitur, quam omnes ex eadem linea defecerint, & prout quiſque naſcitur, ita lex, ex ſpe ad regnum ſuo ordine habendum, jus verum ipſi excitat; quod jus quiſque ad omnes ex ſe natos pari ordine demittit, licet ipſe regnum non obtinuerit. Hoc modo primo loco ſemper vocantur liberi ultimi poſſeſſoris, ſed ita, ut & mortuorum ratio habeatur, ſi quidem ipſis proles ſuperſit qualiſcunque gradus; & ſi mortui iſtius linea potior fuit, vel ratione ſexus, vel ratione ætatis, ejuſdem proles reliquos omnes excludit: & ſic mortui tranſmittunt ſuum jus in vivos, & vivi ſeu ultimi poſſeſſores, in mortuos, ſalva tamen ſemper in pari gradu ejuſdem lineæ prærogativa & ſexus & ætatis. Si ultimo poſſeſſori deſint liberi, ab ipſo incipiendo, non recurrendo ad auctorem ſtirpis, itur ad lineam proximam, & ſic deinceps, ita ut ob ſexum aut ætatem nunquam tranſeatur de linea in lineam. Cui conſequens eſt, ut ſi ultimo poſſeſſori ſit filius & filia, filius con-

contracto matrimonio moriatur, relicta filia, hæc præferatur filio, qui natus eſt ex filia ultimi poſſeſſoris ſeu avi, & filius majoris fratris præmortui fratri minori. Hæc linealis ſucceſſio vocatur cognatica, quia cognati, ſeu fœminæ & ex iis nati natæve, non minus admittuntur, quam agnati, licet poſtponantur in eadem linea. Vocatur etiam ſucceſſio regni Caſtellæ, ad cujus exemplum etiam majoratus jura in eo regno conſtituta.

LIII. *Quid ſi lege fundamentali hæc ſucceſſio non ſit determinata?*

℞. Si lex & exempla deſint, ea ſumi poterit ex ordine, qui in publicis cœtibus ſervatur. Nam ſi in eo ratio habeatur linearum, id ſignum erit, ſpem à lege in jus eſſe animatam, ita ut à morientibus in ſuperſtites tranſeat, & ſi linea primogeniti præcedat lineam ſecundo geniti, populus præſumatur velle, idem obſervari in ſucceſſione. *Grot. d. c. 7. §. 22. n. 2.*

LIV. *Quid eſt majoratus?*

℞. Majoratus eſt jus, quo ad ſucceſſionem vocatur, qui in familia poſt mortem poſſeſſoris major natu reperitur. Hoc jus eo præcipue fine eſt introductum, ut tutelæ non ſit locus, ſed regnum ſemper proprios dominos habeat. *d. c. 7. §. 22. n. 1. in fin. Beſold. de ſucceſſ. & elect. reg. t. differt. 4. n. 13.*

LV. *Quæ eſt alia linealis ſucceſſio?*

d. c. 7. §. 23. Ziegl. h. l. Limn. 2. J. P. c. 2. §. 24.

℞. Eſt ſucceſſio linealis agnatica, duntaxat marium ex maribus; quæ vulgo vocatur ſucceſſio juris Francici, ſeu regni Galliæ. Hæc maxime introducta eſt, ne per fœminarum matrimonia ad peregrinum ſanguinem imperium deveniat. In hac tamen ſucceſſione, deficientibus agnatis, ſubſtituuntur interdum cognati, non jure ſucceſſionis aut cognationis, ſed liberæ electionis, ne regnum ad exteros deferarur. In utraque lineali ſucceſſione in infinitum admittuntur etiam ii, qui ab ultimo poſſeſſore remotiſſimo gradu diſtant, dum à primo rege deſcendant.

LVI. *Poſſuntne alii ſucceſſionum modi introduci?*

d. c. 7. §. 24.

℞. Affirmatur; aut ex populi voluntate, aut etiam ejus, qui regnum ita in patrimonio habet, ut alienare poſſit. Imo, ſi ſint regna non patrimonialia, interdum hoc eſt permiſſum; ſic in Imperio Romano-Germanico inter illuſtres recepta ſunt pacta confraternitatis; quo etiam referri poſſunt pacta ganerbinatus. Sic conſtituere licet, ut qui vel ultimo poſſeſſori, vel primo acquirenti, quoque tempore futu-

Limn. l. 4. c. 8. §. 126. & ſeqq. Inſt. Jur. Publ. p. 623.

futuri ſunt proximi, ſuccedant.

LVII. *An filius poteſt à patre exhæredari, ne in regnum ſuccedat?*

℞. In regnis patrimonialibus ſeu alienabilibus omnino poteſt, ita tamen, ut & in his regnum à reliqua hæreditate paterna diſtinguendum ſit; & hinc licet aliquem à regno excludat, non ſtatim videtur eum à reliqua hæreditate excluſiſſe, niſi voluntatem ſuam expreſſe declaraverit: & contra poteſt aliquem ab hæreditate excludere, ut tamen ipſum non excludat à regno; eo ipſo enim dum bona alia opponit regno, non præſumitur voluiſſe ipſum excludere à regno. Nec tacite aliquis habetur pro exhæredato, ſi grave aliquid in patrem commiſerit, & nulla exſtent condonatæ culpæ indicia expreſſa. Eo ipſo enim dum pater judicium ſuum non declaravit, non videtur voluiſſe eum exhæredare, ſed ſpectavit forte aliam caſtigationem, & pro peccato magno minus exhæredatione ſupplicium optavit.

d.c.7.§.25.

Boecl. b. l. Ziegl. Horn. l. 2. c. 9. §. 15. in fin.

Grot. d. c. 7. §. 25. aliter.

LVIII. *An poteſt exhæredari quis in regnis non patrimonialibus, ſeu in iis, quæ per ſucceſſionem deferuntur?*

℞. Et in his regnis præſumtus con-

Boecl. d. l. Horn. d. l. Grot. d.c.7. §.25. in fin. aliter,

 ſen-

LV. *Quæ eſt alia linealis ſucceſſio?*

d. c. 7. §. 23. Ziegl. b. l. Limn. 2. J. P. c. 2. §. 24. ℞. Eſt ſucceſſio linealis agnatica, duntaxat marium ex maribus; quæ vulgo vocatur ſucceſſio juris Francici, ſeu regni Galliæ. Hæc maxime introducta eſt, ne per fœminarum matrimonia ad peregrinum ſanguinem imperium deveniat. In hac tamen ſucceſſione, deficientibus agnatis, ſubſtituuntur interdum cognati, non jure ſucceſſionis aut cognationis, ſed liberæ electionis, ne regnum ad exteros deferarur. In utraque lineali ſucceſſione in infinitum admittuntur etiam ii, qui ab ultimo poſſeſſore remotiſſimo gradu diſtant, dum à primo rege deſcendant.

LVI. *Poſſuntne alii ſucceſſionum modi introduci?*

d. c. 7. §. 24. ℞. Affirmatur; aut ex populi voluntate, aut etiam ejus, qui regnum ita in patrimonio habet, ut alienare poſſit. Limn. l. 4. c. 8. §. 126. & ſeqq. Inſt. Jur. Publ. p. 623. Imo, ſi ſint regna non patrimonialia, interdum hoc eſt permiſſum; ſic in Imperio Romano-Germanico inter illuſtres recepta ſunt pacta confraternitatis; quo etiam referri poſſunt pacta ganerbinatus. Sic conſtituere licet, ut qui vel ultimo poſſeſſori, vel primo acquirenti, quoque tempore futu-

futuri ſunt proximi, ſuccedant.

LVII. *An filius poteſt à patre exhæredari, ne in regnum ſuccedat?*

℞. In regnis patrimonialibus ſeu alienabilibus omnino poteſt, ita tamen, ut & in his regnum à reliqua hæreditate paterna diſtinguendum ſit; & hinc licet aliquem à regno excludat, non ſtatim videtur eum à reliqua hæreditate excluſiſſe, niſi voluntatem ſuam expreſſe declaraverit: & contra poteſt aliquem ab hæreditate excludere, ut tamen ipſum non excludat à regno; eo ipſo enim dum bona alia opponit regno, non præſumitur voluiſſe ipſum excludere à regno. Nec tacite aliquis habetur pro exhæredato, ſi grave aliquid in patrem commiſerit, & nulla exſtent condonatæ culpæ indicia expreſſa. Eo ipſo enim dum pater judicium ſuum non declaravit, non videtur voluiſſe eum exhæredare, ſed ſpectavit forte aliam caſtigationem, & pro peccato magno minus exhæredatione ſupplicium optavit.

d.c.7.§.25. Boecl. h. l. Ziegl. Horn. l. 2. c. 9. §. 15. in fin. Grot. d. c. 7. §. 25. aliter.

LVIII. *An poteſt exhæredari quis in regnis non patrimonialibus, ſeu in iis, quæ per ſucceſſionem deferuntur?*

℞. Et in his regnis præſumtus con-

Boecl. d. l. Horn. d. l. Grot. d.c.7. §.25. in fin. aliter,

ſenſus populi in ſucceſſione ab inteſtato reſtrictus eſt ad caſum publicæ utilitatis, adeo ut ſi forte filius in tali regno contra ſalutem regis vel regni aliquid moliatur, à ſucceſſione excludi poſſit. Primogenito enim populus confert ſucceſſionis ſortem, ſi prodeſſe publico ſtudeat; ſin deſciſcat, & periculum tyrannidis ſubſit, negligere putanda eſt civitas publicæ ſalutis everſorem. Alias autem non procedet exheredatio, quia populus quidem elegit vam hæreditariam, ſed hæreditariam ab inteſtato. multo minus ead. procedet in lineali ſucceſſione, ubi nulla imitatione hæreditatis, ex dono populi pervenit ad ſingulos præſcripto ordine.

LIX. *An abdicari poteſt regnum ſeu jus ſuccedendi in regnum?*

Grot. l. 2. c. 5. §. 24.

℞. Quin pro ſe quiſque poſſit abdicare regnum, ſeu jus ſuccedendi in regnum, jure naturæ & gentium, ſive ſit electitium, ſive ſucceſſivum, dubium non eſt: nam civitas eſt ſpecies ſocietatis, in qua nemo cogitur invitus manere, & in qua imperantes ſunt caput. Quo accedit, quod derelinqui imperia poſſint. Verum cum imperiorum primordia, quod ad ſubjecta exi-

exiſtentiæ majeſtatis attinet, ad conſenſum mutuum ſint referenda, is qui regimini præeſt, non magis ſe ſubtrahere poteſt ſubjectis, ſine juſta cauſa, quam hi ſine cauſa ſceptrum averſari. Et hinc licet in regno ſucceſſivo permiſſa ſit abdicatio, tamen injuria in remp. non carebit factum, ſi rex ſolo quietis amore, ætate & viribus minime defectus, abdicatione ſua regnum transferret in filium minorennem, præſertim bellis incumbentibus; niſi populi conſenſum impetraverit, eique in rep. & ætate ſucceſſoris adverſus periculum munienda, aliquas conſilii partes reliquerit: tunc enim demta intelligitur, quæ ſubeſt injuria. *Limn. ad Cap. Ferd. I. art. 1. p. 451.* *Textor. c. 30. Boecl. b. l.*

LX. *An & pro liberis abdicari poteſt?*

℞. Hoc magis controverſum eſt: in regnis hæreditariis patrimonialibus, ubi arbitrium ſucceſſionis in voluntate unius eſt poſitum, pater ſua abdicatione liberis nocere poteſt; in hæreditariis, ex præſumta populi voluntate, pater pro ſe & liberis renuncians, liberis obeſſe non poteſt, inprimis in lineali ſucceſſione, quia ſimul atque exiſtere cœperunt, jus proprium eis quæſitum eſt ex lege; ſed nec naſcituris, *d. c. 7. §. 26*

quia pater impedire non poteſt, quin ad illos ſuo tempore jus pertineat, niſi populi conſenſus accedat; tunc enim, quia jus quæſitum ipſis nondum eſt, id quod accepturi fuiſſent, ſi naſcerentur, parentis & populi conſenſu auferri poteſt.

c.4.§.10.n. 2.

LXI. *Quando eſt controverſia de ſucceſſione regni, quis poteſt judicare, an rex, qui nunc regnat, an populus per ſe, an judices dati?*

d.c.7.§.27.

℞. Neque rex, neque populus judicare poteſt, judicio jurisdictionis, quæ non eſt, niſi apud ſuperiorem; ſive judicet de alicujus perſona, ſive de cauſa. Cauſa autem ſucceſſionis, ſeu controverſiæ de ſucceſſione, non comprehenduntur ſub jure imperii, ſeu ſub majeſtate, quia reſpiciunt modum perveniendi ad imperium, qui ex primæva patrumfamilias voluntate, quando in civitatem coiverunt, & ubi nulla adhuc regiminis forma fuit conſtituta, eſt æſtimandus, ſeu qui manſit in ſtatu naturali, quo nulla erat jurisdictio. Populus non poteſt, quia omnem jurisdictionem in regem & regiam familiam tranſtulit, nec ea durante, ſi ſit verum regnum, ullas ejus habet reliquias. Hinc recte & pie facient,

l. 1.c.3.§.8. n.2.l.2.c.5. §.23.

d.c.7.§.27. n.2.l.1.c.3. §.7.n.2 l.2. c.23.§.8. Puf. l.7.c. 7.§ 15.l.2. c.9.§.3.

cient, qui jus vindicant, ſi de arbitris inter ſe conveniant, qui, ſi de primæva populi voluntate quæſtio incidat, populi qui nunc eſt, quique idem cum eo qui olim fuit, cenſetur, ſenſum exquirunt, eumque ſequuntur; niſi ſatis certo conſtet, olim aliam fuiſſe populi voluntatem, & ex ea jus quæſitum.

LXII. *An filius, ante adeptionem regni natus, in regno individuo præferendus eſt ei, qui in regia fortuna eſt natus?*

℞. Præferendus eſt in quavis ſucceſſionis ſpecie. 1. quia populus regnum regi & ſuæ familiæ detulit, ſub qua ſine dubio talis filius intelligitur, & in lineali ſucceſſione ſimul atque regnum quæſitum eſt, ſpes aliqua parta eſt liberis ante natis, & in hoc ſucceſſionis genere ſpes ſemel parta jus facit, nec ex poſt facto ceſſat, niſi quod, ex ſexus privilegio, ſuſpenditur in cognatica ſucceſſione. 2. ſi ſolus ſupereſſet, nullo alio relicto filio, ſuccederet; ergo nativitas ſecundo geniti ipſi non poteſt auferre id, quod populi dono & conſenſu ſui patris eſt conſecutus. 3. ſuccedit etiam in aliis bonis, in quibus non diſtinguitur, quo tempore

d. c.7 §.18. Boecl. b. l. Horn. l. 2. c. 9. §. 16.

ſint quæſita; quæ ratio eſt dubia. Præterea notandum eſt, lege & expreſſa populi voluntate aliter conſtitui poſſe.

LXIII. *An nepos ex filio priori præfertur filio poſteriori.*

d. c. 7 §. 30. n. 1. & 2. Horn. l. 2. c. 9. §. 16. aliter.

℞. In lineali ſucceſſione difficultatem nullam hoc habet: ibi enim mortui pro vivis habentur in hoc, ut in liberos jus tranſmittant. In hæreditariis dividuis, ubi ſubitio in locum, ſeu jus repræſentationis obtinet, in partes concurrent: at in hæreditariis individuis nepos, ex præſumta populi & regis voluntate, præfertur, & ſi ætate impediatur adminiſtrare regnum, tutores conſtituendi, qui periculis, quæ alias ab ætate timentur, facile prævenire poſſunt.

Grot. d. c. 7. §. 31. 32. & ſeqq.

Pari diſtinctione reſpondendum eſt ad quæſtionem inter fratrem ſuperſtitem ultimi regis, & fratris majoris filium; an defuncti fratris filius aut filia patruo regis, an ex filio nepos filiæ, an minor nepos ex filio, nepoti majori ex filia præferatur.

CAPUT VIII.

De acquiſitionibus derivativis, quæ à JCtis vocantur juris gentium.

I. *Quot modis acquiratur dominium jure gentium.* | II. *An occupatione.* | III. *Quot modis per occupatio-*

tionem.
IV. *Quomodo venatione.*
V. *Feræ beſtiæ occupatæ quamdiu cenſeantur eſſe noſtræ.*
VI. *Quid ſi addita ſint ſigna, ex quibus dignoſcantur cujus fuerint.*
VII. *Ut fera alicujus fiat, quid requiratur.*
VIII. *An feræ in ſylva circumſepta, & piſces in ſtagno, à nobis poſſideantur.*
IX. *Quomodo acquiratur inventione.*
X. *An ſolo viſu ita acquiri poſſit.*
XI. *Quomodo captivitate in bello.*
XII. *Quid acquiratur per acceſſionem.*
XIII. *Qui ſint agri limitati & illimitati.*
XIV. *An cum feudo conſtituto ſimul etiam fluviatilia incrementa concedantur.*
XV. *Ad quem pertineat fœtus ex animalibus noſtris.*
XVI. *Quid ſi pater ſit certus.*
XVII. *Quomodo acquiratur ſpecificatione.*
XVIII. *Quid ſi quis mala fide ex aliena materia novam ſpeciem fecerit.*
XIX. *Quomodo acquiratur traditione.*

I. ***Quot modis acquirimus dominium jure gentium?***

℞. Quatuor modis; occupatione, acceſſione, ſpecificatione, & traditione.

II. ***At vero occupatio eſt modus acquirendi originarius & naturalis?***

℞. Eſt modus acquirendi originarius & naturalis in primo rerum ſtatu, *l. 2. c. 1. §. 1. in fin.* ubi omnia vacua adhuc fuerunt, & omnium occupationi patuerunt: eſt modus acquirendi juris gentium & derivativus, poſtquam res, quæ occupantur, deſierunt eſſe in dominio vel principis, vel privatorum, & permiſſu principis, apud omnes gentes, propter communem neceſſitatem & utilitatem,

d. c. 3. §. 3. iterum cedunt occupanti, quæ alias propter occupationem, quæ fit per univerſitatem, ad principem redirent. Ita ut reſpectu prioris dominii, quod fuit vel principis vel privatorum, poſſit vocari modus acquirendi derivativus, licet proprie loquendo, quia cenſentur eſſe res nullius, & primum ab occupante acquiruntur, ſit modus acquirendi originarius. Quo accedit, quod JCti ſub modis dominium acquirendi juris gentium, comprehendant naturales.

d. c. 3. §. 19. n. 2. & 3.

III. ***Quot modis acquiritur occupatione, jure gentium?***

℞. Tribus; venatione, inventione, & captivitate in bello.

IV. *Quomodo venatione?*

℞. Poſt introducta dominia & imperia conſtituta, feræ quidem beſtiæ per occupationem, quæ fit per univerſitatem, principi vel ei, qui jus ſummum in civitate habet, fuerunt acquiſitæ, verum propter ſimplicius vivendi genus, inter omnes gentes jus venandi privatis fuit conceſſum, ita ut quod quiſque cepiſſet, ſuum eſſet: à quo ſimpliciori vivendi genere cum gentes diſceſſerint, principes, prout cujuscunque neceſſitas & utilitas exigebat,

Horn. l. 2. c. 3. §. 5. Puf. l. 4. c. 6. §. 4. aliter. Ziegl. h. l. Textor c. 8. §. 18.

bat, hoc jus venandi promiſcuum privatis iterum ademerunt, & ferarum beſtiarum dominium fere ubique locorum ſibi repetierunt.

V. *Feræ beſtiæ à nobis occupatæ, quamdiu cenſentur eſſe noſtræ?*

℞. Quamdiu ſunt in noſtra cuſtodia, & in naturalem libertatem ſe non receperunt; ſimulac enim cuſtodiam noſtram evaſerunt, tunc difficilis eſt earum perſecutio, vel potius nulla: præſertim cum internoſci, quæ noſtræ fuerint, ab aliis non poſſint, ex probabili conjectura derelictionis, deſinunt eſſe noſtræ, & ubi hodie princeps permittit, iterum cedunt occupanti. *Grot. d. c. 8. §. 3.*

VI. *An noſtræ manent, ſi addita ſint ſigna, unde dignoſci poſſit, cujus fuerint?*

℞. Affirmatur; quia tunc videtur ceſſare præſumta derelicto, & hinc ab aliis occupatæ & agnitæ dominis ſunt reddendæ: niſi ex aliis circumſtantiis conſtet, vel ſigna non fuiſſe addita ad retinendum dominium, vel dominum domini animum non retinuiſſe. *d. c. 8. §. 3. Kulpis in exercit. Grot. b. l. Puf. l. 4. c. 6. §. 12.*

VII. *Ut fera alicujus fiat, quid requiritur?*

℞. Requiritur corporalis quædam poſ- *d. c. 8. §. 3. in fin. & §. 4.*

poſſeſſio, quæ acquiritur vel manibus noſtris, vel inſtrumentis aliis, ut decipulis, retibus, laqueis &c. dum modo duo adſint, primum ut ipſa inſtrumenta ſint in noſtra poteſtate, deinde ut fera ita ſit incluſa, ut exire inde nequeat. Unde ſequitur, quod ſi quis feram lethaliter vulneraverit, & eam perſequatur, vel ſi à canibus ejus capta ſit, alius eam capere vel eximere non poſſit.

VIII. *Quid dicendum de feris in ſylva circumſepta, & de piſcibus in ſtagno & piſcina?*

l. 3. §. 14. D. de acquir. vel. amit. poſſ. Grot. d. c. 8. §. 2. aliter.

℞. Feræ beſtiæ vivariis incluſæ, & piſces in piſcinas conjecti, à nobis poſſidentur, ſecus quam quæ verſantur in ſylva circumſepta, vel in ſtagno, quæ antequam occupatæ fuerint, in libertate naturali manent.

IX. *Quomodo acquirimus inventione?*

d. c. 8. §. 6. Ziegl. h. l. aliter Puf. l. 4. c. 9. §. 13. Horn. l. 2. c. 3. §. 8. in fin.

℞. Idem dicendum de inventione, quod diximus de venatione: ſcilicet lapillos, gemmas in littore maris, res pro derelicto habitas, & theſauros, ut olim apud omnes gentes, ita hodie adhuc, ubi princeps id permittit, noſtra facimus occupando.

X. *Hæc occupatio per inventionem poteſtne fieri oculis?*

d. c. 8. §. 6.

℞. Non; quia poſſeſſionis initium eſt

eſt corporis ad corpus adjunctio, qualis
circa res mobiles maxime fit manibus,
circa res ſoli pedibus: & ſcire, ubi res
eſt, non eſt reperire.

XI. *Quomodo captivitate in bello acquirimus?*

℞. Apud omnes gentes res hoſtium *l.3.c.6.§.8.*
habentur pro rebus nullius, & ſic fiunt *in fin. & 9.*
capientium, tam eorum, qui per alios, *in pr.*
quam qui per ſe capiunt.

XII. *Quid acquiritur per acceſſionem?*

℞. Acceſſorium cedit ſuo principa- *d.c.8.§.8.*
li, ſine quo eſſe non poteſt. Sic inſula *in fin.*
pertinet ad flumen, in quo nata eſt; ſi
flumen ſit privatum, ad privatos, ſi ſit
publicum, ad populum, aut ad eos, qui-
bus populus illud dedit, quales ſunt iſti,
qui prope flumen habent agros illimi-
tatos: cum enim multa ſæpe incom-
moda patiantur per inundationes, &
vero hæc incrementa fluviatilia, in- *Puf. l. 4.*
primis ſi fiant per alluvionem, rediti- *c. 7. §. 8.*
bus publicis parum momenti adferant, *& ſeqq.*
conſtitutum eſt, ut concedantur iis,
quorum fundis accedunt, ita tamen,
ut ex propria cujuſque civitatis utilita-
te & neceſſitate hæc privatis iterum de-
negari & publico tribui poſſint, ceu in
venatione & inventione dictum.

XIII. *Qui agri dicuntur illimitati?*

℞.

d.c.8.ſ.12. ℟. Qui nullum alium finem habent, quam flumen, dicuntur illimitati; & qui alium finem habent, quam flumen, ſeu qui ſe non extendunt ad flumen, ſunt limitati: quales in dubio præſumuntur agri privatorum; quia hoc privatarum poſſeſſionum naturæ eſt congruentius, ſicut contra in dubio d.ſ.12.c.3. ſ.17.n.2. imperia ad flumen credenda ſunt illimitata, quia id territorii naturæ maxime convenit, ad arcendos hoſtes; nam flumina & alii termini naturales, ut montes, non ita facile tranſiri poſſunt.

XIV. *Si feudum conſtituatur, an ſimul cenſentur conceſſa incrementa fluviatilia?*

Grot. d, c. 8.ſ.15. ℟. Negatur; nec ſub imperii ſola conceſſione ſtatim fluviatilia incrementa continentur; licet aliquando cum illo definito imperio agrorum univerſitatem accipiant: quo caſu dubium non eſt, quin vaſalli jus habeant, quod populi aut principis fuit. idem dic, ſi flumen ipſum in feudum acceperint, vel agrum arcifinium ſeu illimitatum; tunc enim ex agri qualitate, fluviatilia incrementa ad eos pertinebunt: ſecus eſt, ſi ſit limitatus, ſi in inveſtitura nihil de eo comprehenſum fue-

fuerit, nec regionis mos, aut longi ſatis temporis poſſeſſio, jus ipſis pepererit.

XV. *Fœtus animantium noſtrorum ad quem pertinet?*

℞. Quicquid ex animali meo natum eſt, meum eſt. Et ſi pater pertineat ad alium, & ad alium mater, partus ventrem ſequitur, 1. quia aliquando fuit pars matris, 2. quia plerumque pater ignoratur. *d.c.8.§.18. Ziegl. h.l.*

XVI. *Quid ſi de patre conſtet?*

℞. Quia pater leviter opera ſua defungitur, ſic ut ipſius domino parum aut nihil decedat, mater autem, dum uterum gerit, ad alia fere eſt inutilis, & ſolicite alenda, adhuc ad dominum matris pertinet; ita tamen, ut domino patris interdum aliquid ſit ſolvendum. Idem dicendum, quando planta alterius vel arbor in meo fundo radices egit, vel aliquis ex ſua materia in meo fundo ædificavit. Cum enim apud omnes gentes communio pariat lites, judex qui uni rem debet adjudicare, & alterum alteri in certam pecuniæ ſummam interdum condemnare, ut indemnis ſervetur, ſemper pronunciabit pro eo, ad quem pertinet res principalis: niſi interdum *Puf.l.4.c. 7.§.4.*

ac-

acceſſorii pretium, vel ars aliud ſuadeat, ut ſi planta aliena, ſed rara, omnino in fundum meum radices egerit, & dominus fundi eam repetat; vel pictura præſtans & artificioſa tabulæ meæ imponatur.

XVII. *Quomodo acquirimus ſpecificatione?*

℞. Quando vel ex aliena, vel partim noſtra, partim aliena materia, novam ſpeciem efficimus, regulariter, ſi hæc ſpecies uni ſit adjudicanda (quia, ut dictum, apud omnes gentes ex communione oriuntur lites) illi ſpecies eſt adjudicanda in judiciis, qui eam fecit: ut tamen dominus materiæ pretium ejus recipiat; vel interdum, ubi ſpecies reduci poteſt ad materiam, domino materiæ adjudicetur, & opera ſolvatur.

d. c. 8. §. 19. aliter.

Kulpis d. l.

XVIII. *Quid ſi quis mala fide ex aliena materia novam ſpeciem confecerit?*

℞. Dubitatur, an jure naturæ eam ſibi acquirat: licet enim ſpecies pluris ſit, quam materia, & materia prior deſiiſſe videatur, aut ipſe vehementer re indigeat, hoc tamen ad dominium ejus rei acquirendum non ſufficiet, ſed probabilem aliquam cauſam accedere opor-

Puf. l. 4. c. 7. §. 10. in fine

oportet, ne dominus per malam ſidem alterius, rei ſuæ dominio, invitus plerumque, carere cogatur.

XIX. *Quomodo traditione?*

℞. Quamvis ad dominii tranſlationem naturaliter & abſolute non requiratur, ut fiat traditio, verum etiam ipſo jure, citra traditionem, illud in nos transferri poſſit, tamen inter omnes gentes receptum eſt, ut ſi quid ab aliquo, animo dominium transferendi, mihi tradatur, & res à me ita acceptetur, dominium ejus in me transferatur, ita ut recte traditio dicatur modus acquirendi dominium ex jure gentium. *d.c. 8. §. 25. c. 6. §. 1. n. 2. Puf. l. 4. c. 7. §. 7. aliter.*

CAPUT IX.

Quando imperia vel dominia deſinant.

I. *Quot modis dominia & imperia deſinant.*
II. *Quid ſi moriatur is, qui dominium vel imperium habuit, nullo ſucceſſore relicto.*
III. *An totus populus interire poſſit.*
IV. *Quot modis.*
V. *Corpus quomodo intereat.*
VI. *Quomodo ſpecies ſive ſpiritus, vel vinculum inter imperantes & parentes.*
VII. *Quid ſi ex populo tam pauci ſuperſint, ut populum facere nequeant.*
VIII. *An migratione populus intereat.*
IX. *An mutata regiminis forma.*
X. *An per hanc regiminis mutationem civitatis debita exſtinguantur.*
XI. *Quid ſi populus armis devictus ſit.*
XII. *Si civitas alteri uniatur, an eadem maneat.*
XIII. *An dividi poſſit.*
XIV. *Populus Romanus an hodie idem ſit, qui olim fuit.*
XV. *An perſona hæredis eadem cenſeatur cum perſona defuncti.*

N I. *Quot*

I. *Quot modis deſinunt dominia & imperia?*

Grot. l. 2. c. 9. §. 1. ib. pr. c. 3. §. 6.

℞. Deſinere ac interire dominia & imperia variis modis poſſunt, imprimis derelictione, quia voluntate ceſſante non manet dominium; & ſublato ſubjecto, in quo eſt imperium vel dominium, ſcilicet ante alienationem vel expreſſam (ſive inter vivos, ſive ultima voluntate) vel tacitam, qualis eſt in ſucceſſionibus ab inteſtato, ex præſumta defuncti voluntate.

l. 1. c. 3. §. 7. l. 2. c. 7. §. 3. & §. 10. n. 2.

II. *Si perſona, in qua fuit dominium aut imperium, moriatur, nulla edita voluntatis ſignificatione, nullo conſanguineo relicto, vel alia perſona, cui jus ſuccedendi ex pacto vel alio modo competit &c. ad quem pertinet dominium aut imperium?*

l. 2. c. 7. §. 27. Limn. l. 4. c. 8. §. 172. Myler. de Stat. Imp. part. 1. c. 25. Grot. l. 2. c. 3. §. 19. n. 3. l. 2. c. 9. §. 1.

℞. Dominium & imperium redeunt in eum ſtatum, in quo fuerunt ante acquiſitionem à defuncto factam. Si ſit privatus, dominium ejus ad univerſitatem, aut ad dominum ſuperiorem redit, à cujus dominio generali & eminenti illud pendet: ſi ſit rex, qui populum, ſeu potius jus imperandi populo, habuit in patrimonio, populus fiet ſui juris, niſi ſuam libertatem ultro deſerat, & alii ſe in ditionem det: aliæ

res,

res, in alterius territorio ſitæ, redeunt ad dominum territorii; quæ verò ſitæ in ipſius defuncti ſunt territorio, fiunt occupantis; & quidem, ſi populus libertatem ſuam civilem retinere velit, eæ res per occupationem, quæ fit per univerſitatem, ſunt populi, aliàs cedunt primo occupanti. Si ſit rex, cui ex populi voluntate regnum delatum ſit, ſive per electionem, ſive per ſucceſſionem quamcunque, redit imperium ad Deum, qui quoniam in tali populo ordinem vult, ſtatim illud in eum tranſtuliſſe præſumitur, uſquedum populus aliud ſubjectum majeſtatis exiſtentiæ ſibi eligat. Si ſint Optimates, & omnes intereant, idem dicendum. Si ſit populus liber, idem erit, & ſi talis populus interiret, alii populi, qui forte fuerunt in ipſius ditione, fiunt ſui juris.

l. 1 c. 3. §. 12. l. 2. c. 2. §. 4.

l. 1. c. 3. §. 8. n. 1. Text. J. G. c. 30. §. 4 & 5. d. c. 3. §. 8. n. 7. l. 2. c. 9. §. 3.

III. ***At civitates dicuntur immortales, quomodo totus populus interire poteſt?***

℞. Civitates poſſunt eſſe immortales, ſcilicet quamdiu ſpiritus, ſive vitæ civilis conſociatio, plena atque perfecta, vinculo imperandi (cum ſummo imperio) & parendi conſtans, ſubſiſtit. Hinc ortus mos loquendi, ut populum qui nunc eſt, alloquentes, ei tribua-

d. c. 9. §. 3. n. 1. & 2. in fin. c. 12. §. 8. n. 1. Kulpis. b. l. Puf. l. 8. c. 12. §. 7. Boecl. de eo quod civitas egit. p. 33.

 mus

mus quæ eidem populo ante multa ſecula acciderunt. Hoc autem vinculo ſublato, interit & tollitur civitas.

IV. *Quot modis hoc accidit?*

d.c.9.§.3. n.3.in fin. ℞. Duobus modis; aut interitu corporis, aut interitu ſpeciei, ſive ſpiritus, quem dixi.

V. *Corpus quomodo interit?*

d.c.9.§.4. ℞. Corpus interit, vel ſublatis ſimul partibus, ſine quibus corpus ſubſiſtere nequit, ut ſi populus mari abripiatur, aut terræ motu, aut chaſmate penitus hauriatur; aut ſponte internecioni ſe det: vel ſublata corporis ratione, ut d.c.9.§.4. ſi cives aut ſponte, ob peſtilentiam vel ſeditionem, à ſocietate diſcedant, aut vi ita diſtrahantur, ut coire non poſſint, quod bellis accidit interdum.

VI. *Species, ſive ſpiritus, vel vinculum inter imperantes & parentes, quomodo interit?*

d.c.9.§.6. ℞. Interit hoc vinculum, ſublata aut omni aut perfecta juris communitate, ſive ſinguli libertatem perſonalem amittant & ſervi fiant, ſive libertate l.3.c.8.§.1. n.1.& 2. c.15.§.7. perſonali retenta, imperio exuantur, ut corpus civitatis nullum ſit, nec magiſtratus, ſed ſine concilio publico, ſine imperio multitudo, cui præfectus d.c.9.§.6. in fin. ab alio mittitur, ut jus reddat. Tales ſunt

ſunt etiam populi in provinciæ formam redacti: item hi, qui alterius populi ditionem ſubierunt.

VII. *Quid ſi ex aliquo populo tam pauci ſuperſint, qui populum facere nequeant?*

℞. Definitum non eſt, quot homines requirantur ad conſtituendum populum, quare ſi hi pauci ſe defendere poſſint contra vim hoſtilem exterorum, poterunt ſibi vindicare imperium, uſque dum iterum in juſtum numerum populi, allectis aliis, ſeſe ſuppleverint: nam jura collegiorum poſſunt etiam conſervari in uno.

Puf. l. 8. c. 12. §. 8. Ziegl. c. 9. §. 4. Grot. c. 9. §. 4. in fin. aliter.

VIII. *Quid ſi populus de loco migraverit, ſive ſponte, ob inediam aut alia mala, ſive coactus?*

℞. Poteſt fieri, ut eadem civitas contrahatur, aut amplificetur, aut disjungatur intervallis. Sic civitas eſt Hiſpanica, quicquid diſtantibus longe lateque locis Hiſpanici eſt juris; ſic Germanica eſt civitas, quicquid Germanici eſt juris. Ut autem civitas, pluribus nationibus conſtans, urbibus, pagis, locum totum ſuo arbitrio auſpicioque mutaverit, putant exemplis non probari, niſi quatenus ſedes imperii pro tota civitate nominatur. Cæterum

Conring. de fin. Imp. c. 1. & 2. Boecl. ad Grot. de eo quod civitas egit. p. 32. & ſeqq.

terum talis populus, ſi maneat ſpecies, quam diximus, populus eſſe non deſinit; licet, ſi ſedes imperii transferatur, ſæpe non omen modo, ſed via eſſe poſſit ad ulteriorem mutationem, ut in Imperio Romano accidit, ſede imperii Roma Conſtantinopolim translata.

IX. *Si forma regiminis mutetur, & ex regno fiat ariſtocratia, aut democratia, aut reſp. mixta, manetne eadem civitas?*

d. c. 9. §. 8. n. 1. Lamp. de Rep. Rom. Germ. c. 1. §. 60. & 61. ibique Conring. Boecl. dict. diſſ. de eo quod civitas egit. p. 5. & ſeqq.

℟. Affirmatur; ut enim civitas eadem dicatur, hoc non debetur formæ accidentali, ut loquuntur, quæ ſumitur à ſubjecto exiſtentiæ, & ſæpe mutari poteſt, ſed formæ eſſentiali, ſive ordini imperandi & parendi in genere, qui ſive ſit in uno, vel pluribus, vel omnibus, ſemper manet eadem civitas & idem populus. Sic idem eſt populus Romanus ſub regibus, conſulibus, imperatoribus. Imo etiamſi pleniſſimo jure regeretur, populus idem erit, qui antea erat, cum ſui juris eſſet, dum rex ei præſit, ut caput iſtius populi, non ut caput alterius populi. Nam imperium quod in rege eſt, ut in capite, in populo manet, ut in toto, cujus pars eſt caput; atque ideo rege, ſi

ſi electus eſt, aut regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit, ut diximus quæſt. 2. Licet interdum, mutata civitatis forma, quædam per ſe coincidant neceſſe ſit, non quod alia jam ſit civitas, ſed quia quædam huic vel iſti regiminis formæ erant propria, e. g. modus leges ferendi in monarchia, coincidit, ſi fiat tranſitus in democratiam. Quo vero loco in conventibus ſedere debeat is qui ſummum imperium in populum ante liberum accepit, vel populus, ſi ex monarchia facta fuerit ariſtocratia, vel democratia, an ſc. rex occupare debeat locum populi antea liberi, vel optimates vel populus locum prioris regis, dubitatur.

l. 2. c. 16, §. 16. n. 1. in fin.

Grot. d. c. 9. §. 8. n. 3. aliter.

X. *Si forma regiminis mutetur, an debita civitatis extinguuntur?*

℞. Non deſinit debere pecuniam populus, rege ſibi impoſito, quam liber debebat: eſt enim idem populus & dominium retinet eorum, quæ populi fuerunt, imo & imperium, quanquam jam non exercendum à corpore, ſed à capite, & licet in aliud ſubjectum exiſtentiæ ſit tranſlatum, non tamen eſt tranſlatum in alium populum, & hoc ſubjecto extincto, non redit ad alium,

d. c. 9. §. 8. n. 3. Hottom. in quæſt. illuſtr. 7. Boecl. d. diſſert. p. 4. & ſeqq.

 quàm

quàm ad hunc populum.

XI. *Quid ſi populus armis devictus ſit?*

Grot. l. 3. c. 8. § 4. n. 3. c. 15. § 10. Puf. l. 8. c. 12 §. 2. & 3. Boecl. d. diſſert. p. 51.

℞. Aut victor reliquit ipſi imperium & dominium, quanquam dependens, tunc dubio caret, quin populus adhuc pecuniam debeat; aut victor eidem nec imperium nec dominium reliquit, ſed omnia ſibi tribuit, & victis ademit omnia, ærarium, agros publicos &c. tunc victor, ſi laudem juſtitiæ amet, & pecunia debeatur iis, qui non ſunt hoſtes, non intercedere debet juri, quod æquitas dictat; ſicut enim alia bona, quæ hoſtium non ſunt, ſi apud hoſtes reperiantur, non acquiruntur victori, ſed ſunt reſtituenda, ita & hæc bona incorporalia ſeu debita, quæ videntur eum ſequi, & ab eo debere ſolvi, qui bona debitoris occupavit.

l. 3. c. 6. §. 5.

XII. *Si una civitas alteri uniatur, an manent eædem?*

℞. Si uniantur per modum arctioris fœderis, manet quælibet id quod antè fuit, & retinet imperium & dominium, licet interdum exercendum per unum: nam in morali corpore eadem perſona, diverſa ratione conſiderata, caput eſſe poteſt plurium ac diſtincto-

rum

rum corporum, ſeu populorum, qui perfectum cœtum ſinguli conſtituunt: cujus rei certum indicium eſt, quando extincta domo regnatrice, imperium ad quemcunque populum ſeorſim revertitur. Si alio modo uniantur, ſeu ſi una alteri incorporetur, ut loqui amant, favor ſæpe populi talis quæritur in nominis ſono, cum res ipſa diſcrepet, fiatque ut in dignioris acceſſionem veniat id quod minus dignum eſt, & pars unita majoris illius appendix fiat. Interdum utriuſque forma accidentalis interit, & nova conſtituitur, ut ſi duo democratici diverſi populi, abolito priſtino regimine, in unum populum regnumque coaleſcant, aut ſi duo regna, ſublatis utriuſque legibus fundamentalibus, remotiſque familiis antiquis regnatricibus, novum regnum condant.

l. 1. c. 3 §. 7. n. 2.

Puf. d. l. 8. c. 12. §. 6. Boecl. d. diſſert. p. 34. Grot. d. c. 6. §. 9. aliter.

XIII. *Civitas, quæ una fuit, poteſtne interdum dividi?*

℞. Evenit interdum, ut quæ una civitas fuerat, dividatur, aut conſenſu mutuo, aut vi bellica. Quod cum fit, plura pro uno exiſtunt ſumma imperia, cum ſuo jure in partes ſingulas. Si quid autem commune fuerit, id aut communiter eſt adminiſtrandum, aut pro ra-

Puf. l. 8. c. 12. §. 5. & Boecl. d. l. p. 38. Grot. d. c. 9. §. 10.

N 5 tis

tis portionibus dividendum. Huc interdum etiam referenda eſt diſceſſio, quæ ex conſenſu fit in colonias. Nam ſic quoque novus populus ſui juris naſcitur, & tales coloniæ non ſunt partes ſuæ originis; ſecus quam illæ, quæ vel ob militares uſus, vel alias ob cauſas deducuntur, ut maneant pars civitatis matris, ſive majoris patriæ, ut ſunt Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum, Gallorum, in Americanis inſulis.

Conring. d. I. G. R. c. 10. de fin. Imp. c. 9. & 10. Limn. tom. 5. addit. l. 1. c. 4. §. 24. Boecl. in not. imp. l. 1. c. 5. & l. 2. c. 3. & 4. Gronov. ad Grot. d. c. 9. §. 11. Grot. d. l. ſed aliter. d. c. 9. §. 12. c. 21. §. 19.

XIV. *An Imperium Romanum ſemper apud populum Romanum permanſit, ſeu an populus Romanus adhuc hodie idem eſt, qui fuit olim?*

℞. Non, quia imperium in populum Romanum non amplius eſt in ipſo populo Romano, ſed eſt tranſlatum in Germanos.

XV. *An perſona hæredis eadem cenſetur cum perſona defuncti?*

℞. Certi juris eſt, pro eadem cenſeri cum defuncta perſona, quod ad dominii, tam publici, quam privati, continuationem attinet.

CAPUT X.

De obligatione, quæ ex domino oritur.

I. *Obligatio reddendæ domino rei ſuæ, quotuplex ſit.* | II. *Quomodo hæc obligatio naſcatur ex rebus exſtantibus.*

tibus.
III. *An poſſeſſor rem alienam reſtituere debeat, etiamſi dominus eam non repetat.*
IV. *An hoc in decalogo ſit præceptum.*
V. *An ſuis impenſis poſſeſſor rem reſtituere debeat.*
VI. *Si dominus & deponens in rei repetitione concurrant, cui res reddenda ſit.*
VII. *An ſit differentia inter res, ex jure gentium, & jure civili acquiſitas.*
VIII. *An bonæ fidei poſſeſſor teneatur jus ſuum in dubium vocare, & poſſeſſionem ſuam publice ſignificare.*
IX. *Quomodo obligatio naſcatur ex rebus non exſtantibus.*
X. *Bonæ fidei poſſeſſor an ad reſtitutionem teneatur, ſi res perierit.*
XI. *An ad reſtituendos fructus exſtantes.*
XII. *An ad conſumtos.*
XIII. *Quid ſi rem ſibi donatam alii donaverit.*
XIV. *An per talem donationem locupletior fiat.*
XV. *Quid ſi rem vendiderit.*
XVI. *Res aliena, bona fide emta, an reſtituenda ſit, ſine repetitione pretii.*
XVII. *An ergo officium hoc ſit damnoſum.*
XVIII. *Res aliena emta, an reſtitui venditori poſſit, ut pretium ſervetur.*
XIX. *Qui rem habet, cujus dominus ignoratur, an eam pauperibus dare teneatur.*
XX. *Ob cauſam turpem, aut aliàqui ex officio debitam, acceptum an reſtitui debeat.*
XXI. *An rerum fungibilium dominium, ſine conſenſu domini, in nos transferatur.*

I. *Quot modis obligatio naſcitur adverſus nos ex eo jure quod competit in res?*

℟. Duobus modis adverſus nos naſcitur obligatio; aut è rebus exſtantibus, aut è non exſtantibus. *Grot. l. 2. c. 10. §. 1. n. 1.*

II. *Quomodo obligatio naſcitur adverſum nos è rebus exſtantibus?*

℟. Eo ipſo, dum jus naturæ vult, ut æqualitas obſervetur inter homines, & in *d. c. 10. §. 1. n. 2. Puf. l. 2. c. 12. §. 5. & c. 13.*

§. 2. Oſiand. h. l. Kulpis. h. l. aliter.

in contractibus & in dominio, idem jus præcipit, ut unicuique ſuum tribuamus, ita ut non abſtrahatur ab ullius juſtiore petitione, & præſumit, dum homines dominia diſtinxerunt, eos inter ſe conveniſſe & ſe obligaſſe ad rei alienæ reſtitutionem; ſcilicet, quantum eſt in poteſtate poſſeſſoris, ut res ad dominum ſuum redeat.

III. *An reſtituere rem alienam debet poſſeſſor, etiamſi dominus eam non repetat?*

d. c. 10. §. 1. n. 2. in fin.

℞. Affirmatur; quia ſi dominii ea tantum vis fuiſſet, ut poſcenti domino res redderetur, nimis debile futurum fuiſſet dominium & nimis ſumptuoſa cuſtodia: vel potius, quia jus naturæ, quod vult, ut unicuique ſuum tribuatur, rem pro domino repetit, & ex quaſi contractu poſſeſſores ad hoc obſtricti eſſe videntur.

IV *At vero in Decalogo nullum eſt præceptum de re reſtituenda, ſed ſaltem de furto non faciendo?*

Oſ. l. 2. c. 10. §. 1 obſ. 1. §. ult. Inſt. de R. D.

℞. Jure naturæ & ex Decalogo furtum eſt, quoties invito domino rem, ejus lucri faciendi gratia, retineo, ſive is repetat rem, ſive non.

V. *An ſuis impenſis poſſeſſor rem reſtituere debet?*

℞. Non;

℞. Non; obligatur enim poſſeſſor tantum, quantum in ſe, ut dominus rem recipiat: hinc indicare tenetur, ut alter recipere ſuum poſſit; nec ubi impoſſible fuerit rem reſtituere, tenetur. Nec intereſt, utrum quis ab initio occupationis ſciverit, rem eſſe alienam, ſive poſt occupationem. Seu, non intereſt, an ſit malæ, an bonæ fidei poſſeſſor.

d. c. 10. §. 1. n. 2. Ziegl. b. l. Feld. aliter.

VI. *Si alius rem alienam apud me deponat, & verus dominus ſuperveniat, eamque repetat, cui res eſt reſtituenda, an domino, an deponenti?*

℞. Quia obligatio, qua domino teneor rem reſtituere, eſt antiquior, utpote ex priori contractu, poſteriores contractus exceptionem inde accipiunt, niſi poſterior contrahens, ſeu deponens, jus habeat, propter quod domino præferri debeat. Sic ſi creditor apud me deponat pignus, quamvis jus creditoris, quod habet in re, ſit poſterius jure dominii, tamen creditori deponenti, non autem debitori & domino, eam reſtituere debet, quia creditor jus habet in re, propter quod domino præfertur: ſecus eſt, ſi fur aut latro rem apud me deponat; vel ſi fiſcus

d. c. 10. §. 1. n. 4. l. 31. D. Depoſ. l. 1. §. pen. D. naut. caupon. ſtab. & ibi Brun.

Puf. l. 4. c. 13. §. 5. Beſold. in theſ. pract. voc. Grund-ruhr-Recht.

cus rem furtivam, aut navis levandæ cauſa, è navi ejectam, vindicare velit, ubi conſtat de domino.

VII. ***An nulla eſt differentia inter res ex gentium jure acquiſitas & ex jure civili?***

d. c. 10, §. 1. n. 5. c. 14. §. 8.

℞. Non; nam ad dominii naturam nihil refert, ex gentium, an ex civili jure oriatur: ſemper enim ſecum habet, quæ ſibi ſunt naturalia, inter quæ eſt obligatio cujuſvis poſſeſſoris, ad rem ſcil. domino reſtituendam, cum fructibus, deductis tamen impenſis in fructus & in rem factis; ita ut, ſi quis rem alienam invenerit, præmium inventionis petere non poſſit, niſi fuerit promiſſum.

d. c. 10. §. 1. n. 5. in fin.

VIII. ***An bonæ fidei poſſeſſor tenetur ipſe ſuum jus in dubium vocare, & publice ſignificare, talem rem à ſe poſſideri, ut ſi forte ad alium pertinuerit, hic eam vindicare queat?***

Puf. l. 4. c. 13. §. 2. in fin. l. 2. c. 4. §. 6. & 8. Lud. Molina de Juſt. & Jur. tr. 2. diſp. 61.

℞. Negatur; quia bona fides & juſtus titulus eum ab omni crimine liberant, & faciunt, ut habeatur pro domino. Imo, ſi poſt uſucapionem completam reſciverit, rem eſſe alienam, reſtituere eam non tenetur, quia prior dominus excidit ſuo dominio.

IX. ***Quomodo obligatio naſcitur e rebus***

bus non exſtantibus adverſus nos?

℞. Ille, qui ex re aliena factus eſt locupletior, tenetur in tantum, in quantum factus eſt locupletior, modo res aliunde non ſit penſata domino. Nam ſi v. g. tibi res furto ſit ſubtracta, quam ego bona fide acquiſivi & conſumſi, & tu à fure ejus æſtimationem ſis conſecutus, à me nihil amplius petere potes, licet factus ſim locupletior, quia non amplius tuum eſſe videtur, quod ex re eſt: nec bona fides patitur, ut idem bis conſequaris; hæc enim obligatio ad reſtitutionem, in quantum quis factus eſt locupletior ex re aliena, fluit non tantum exinde, quod dominia ſint introducta ad ſervandam æqualitatem, in eo ſcilicet, ut unuſquiſque ſuum haberet, verum etiam hinc, quod res, cujus dominium neque conſenſu meo, neque delicto, neque jure belli amiſi, adhuc ad me videatur pertinere, vel re conſumtà, quicquid ex eadem ad te pervenerit: & eſt hujus dicti tanta æquitas, ut multa hinc definiant JCti, extra legum præſcripta, ſemper ad ipſam æquitatem, ut evidentiſſimam, provocantes.

d. c. 10. §. 2. n. 1. Puf. l. 1. c. 13. §. 6. Kulpis h. l.

X. *Si res apud bonæ fidei poſſeſſorem perie-*

perierit, an obligatur?

d.c. 10. §. 3. ℞. Non tenetur ad ullam reſtitutionem, ſi res perierit; quia nec res ipſa apud eum eſt, nec lucrum ex re.

XI. *Re conſumta, obligaturne fructus exſtantes reſtituere?*

Puf. l. 4. c. 13. §. 8. l. 22. C. de rei vindic. & l. 48. D. de acq. rer. dom. Grot. d. c. 10. §. 4. aliter. Ziegl. h. l.

℞. Omnes fructus, induſtriales & naturales, domino ſunt reſtituendi, quia quicquid eſt ex re mea, meum eſt, licet induſtria tua intervenerit, quæ alio modo erit compenſanda, non autem fructuum lucro; detrahendo ſc. omnes impenſas in rem factas, ut & mercedem induſtriæ tuæ.

XII. *Si fructus ſint conſumti?*

Grot. d. c. 10. § 5. & 6. ℞. Tenetur ad reſtitutionem, ſi modo aliàs quoque tantundem erat conſumturus; nam in hoc locupletior cenſetur. Unde ſequitur, eum non teneri de percipiendis fructibus, ſeu quos neglexit percipere; quia nec rem habet, nec quid aliud, quod rei loco ſuccedit.

XIII. *Si talis poſſeſſor rem ſibi donatam alii donaverit?*

d. c. 10. §. 7. ℞. Non tenetur, niſi omninò etiam ſine hac re, donaturus tantundem fuiſſet: tunc enim lucrum erit, rei ſuæ peperciſſe.

XIV. *At vero, propter beneficium,*

acci-

accipientem dans ad remunerandum ſibi obligat, & ſic ſemper videtur locupletior fieri, etiamſi ex mera liberalitate, & citra neceſſitatem donet?

℞. Quamvis accipientem ad remunerandum naturaliter obligatum habeat, tamen remuneratio neceſſario non ſequitur, ſed ſufficit beneficium grato animo reputare, & hinc, quamdiu remuneratio non eſt ſecuta, non videtur locupletior factus. *l. 25. §. 11. D. de petit. hæred. Grot. l. 2. c. 11. §. 3.*

XV. *Si rem alienam talis poſſeſſor vendiderit?*

℞. Si eam bona fide ipſe emerit, aliique retro vendiderit, obligatur, in quantum plus pretii accepit, quam ille dedit, habita tamen ratione laboris & expenſarum circa rem vendendam: ſi donatam vendiderit, totum pretium reſtituet, quia tunc ex re ſua, propter meam, nihil ipſi abeſt. Quæ ſententia vel maxime æqua eſt, ſi dominus rei non poſſit poſſeſſorem convenire, & rem ipſam vindicare. Niſi forte prodegerit pretium, aliàs non prodacturus. *d. c. 10. §. 8.*

XVI. *An res aliena, bona fide emta, reſtituenda eſt, ſine repetitione pretii erogati?*

℞. Affirmatur; niſi quatenus domi-

d. c. 10. §. 9. Frantz. 2. reſol. 9. n. 47. & ſeqq. nus rei ſuæ poſſeſſionem probabiliter non potuit recipere, ſine aliquo impendio, ut puta, ſi res apud piratas fuerit, tunc enim deduci poterit, quantum dominus impenſurus libenter fuerat: ipſa enim poſſeſſio, præſertim recuperatu difficilis, eſt aliquid æſtimabile, & in hoc dominus, poſt rem amiſſam, cenſetur factus locupletior. Hinc ſi poſſeſſionem facile recipere poſſit dominus auctoritate judicis, emtor non poteſt pretium repetere, etiamſi eo animo emerit, ut domino reſtitueret: debuit enim tunc domino ſaltem rem indicare, qui eam ſine omni pretio à poſſeſſore vindicaſſet.

l. 2. C. de furt

XVII. *At nemini officium ſuum debet eſſe damnoſum?*

l. 11. §. 2. D. de act. emt.

℞. Nullum hic fuit domino periculum rei non recipiendæ, ergo ſibi imputet, quod rem emerit. Præterea recurrere poteſt ad venditorem, & evictionem petere.

XVIII. *Si quis bona fide rem alienam emat, & poſt emtionem audiat, rem eſſe alienam, poteritne rem venditori reſtituere, ut pretium ſervet?*

d. c. 10. §. 9. & 10.

℞. Si venditor ſit ignotus, vel fur, latro, aut pirata, qui forte, re reſtituta, abiturus eſt, ita ut poſſeſſio recupe-

peratu ſit difficilis, rem ipſi reſtituere non poteſt, quia, ex quo res fuit in ejus poteſtate, cœpit obligatio reſtituendi, quantum in ipſo fuit, quod non præſtaret, ſi rem reſtitueret venditori: ſi periculum nullum ſit amittendæ plane rei, reſtituere poteſt, & domino indicare poſſeſſorem, cujus nihil intereſt, an à poſſeſſore vindicet, an ab emtore, cum multum interſit tum emtoris, ut pretium recipiat, tum venditoris, ne propter exceptiones, ſi quas habet, poſſeſſionis beneficium amittat. Et videtur emtor feciſſe, quantum in ſe eſt, ut res perveniret ad dominum, non enim hoc tenetur facere ſuis expenſis. Puf. l. 4. c. 13. §. 14. Ziegl. l. 2. c. 10. §. 10.

XIX. *Qui rem habet, cujus dominus ignoratur, an naturaliter eam pauperibus dare tenetur?*

℞. Quanquam hoc valde pium ſit, non tamen præciſe ad hoc quis obligatur naturaliter, quia ex dominio nemo jus habet, præter dominum. Non eſſe autem & non apparere, tantundem valent quoad eum, cui non apparet; modo faciat, quantum in ſe eſt, ut veniat in domini notitiam, e. g. ſi curet rem in locis publicis proclamari. d. c. 10. §. 11.

XX. *Si quis rem accipiat ex cauſa*

turpi, aut etiam ex cauſa honeſta, ad quam quis vi officii obligatur, an eam reſtituere debet?

Feld. ad Grot. l. 2. c. 10. § 12. Ziegl. h. l. Grot. h. l. aliter. Puf. l. 4. c. 13. §. 16. aliter.

℟. Reſtituenda, quia turpiter accipere eſt contra honeſtatem accipere, & ſic non niſi turpiter retineri poteſt. Nec ſufficit hic domini & dantis voluntas, ſed requiritur etiam, ut accipiens habeat facultatem accipiendi, & ut finis ſit licitus, & modus rem dandi & accipiendi.

XXI. *An rerum fungibilium dominium in nos transfertur ſine conſenſu domini?*

Grot. d. c. §. 13.

℟. Negatur; nam res ejus generis functionem quidem recipere dicuntur, id eſt, reſtitui poſſe per id, quod genere idem eſt, ſed ita demum, ſi conſenſus præceſſerit, aut ex lege aut more præceſſiſſe intelligatur, ut in mutuo; aut etiam, ſi res, utpote conſumpta, exhiberi nequeat.

CAPUT XI.

De Promiſſis.

I. *An ex promiſſis naturaliter jus oriatur.*
II. *Quot ſint gradus loquendi de rebus futuris, quæ noſtræ ſunt poteſtatis, aut fore putantur: & quid ſit aſſertio.*
III. *Quid requiratur ad aſſertionem:*
IV. *Quid ſit Pollicitatio.*
V. *Quid promiſſio perfecta.*
VI. *Quid ad eam requiratur.*
VII. *An ebrius ex promiſſo obligetur.*
VIII. *An ex delicto.*
IX. *Quando puer ratione uti inci-*

incipiat.
X. *Quæ leges ſint obſervandæ, quando minores in integrum reſtituuntur.*
XI. *Si pactio fiat in mari, vel inſulis vacuis.*
XII. *Promiſſio errantis an obliget.*
XIII. *Quid ſi ex tali inani promiſſo alter damnum incurrat.*
XIV. *Quid ſi dolus errori cauſam dederit.*
XV. *Ex metu promittens an obligetur.*
XVI. *Quid ſi tertius cum latrone contrahat ut alium incolumem dimittat.*
XVII. *Quid ſi latro nullum metum inferat.*
XVIII. *Qualis requiratur materia ut promiſſum valeat.*
XIX. *Quid ſi res nunc non ſit in poteſtate promittentis, ſed eſſe aliquando poſſit.*
XX. *Quid ſi de facto impoſſibilia promittantur.*
XXI. *Si ex poſſibili res impoſſibilis fiat.*
XXII. *An promiſſio ob cauſam vitioſam naturaliter valeat.*
XXIII. *Quid ſi promittatur ad conſequendam rem jam anteà debitam.*
XXIV. *An promiſſio ſine cauſa valeat.*
XXV. *Quis ſit modus promittendi.*
XXVI. *An alius pro nobis promittens invitos nos obligare poſſit.*
XXVII. *An ex contractu magiſtri, qui à pluribus navi præpoſitus eſt, ſinguli obligentur in ſolidum, an pro portione, quam ſinguli in navi habent.*
XXVIII. *Ad promiſſionis validitatem quid requiratur in promiſſario.*
XXIX. *Cur acceptatio non requiratur ſi civitati aliquid promittatur.*
XXX. *An acceptatio debeat innoteſcere promiſſori.*
XXXI. *An promiſſum, ante acceptationem factam, licite revocetur.*
XXXII. *An mortuo voluntatis noſtræ internuntio.*
XXXIII. *An eo non mortuo.*
XXXIV. *Quid ſi dubium ſit an mandatum ſit revocatum.*
XXXV. *An tertius pro alio acceptare poſſit.*
XXXVI. *An promiſſioni perfectæ onus aliquod adjici poſſit.*
XXXVII. *An in commodum tertii.*
XXXVIII. *Propter errorem & metum invalida promiſſio an & quomodo convaleſcere poſſit.*
XXXIX. *An promiſſiones requirant cauſam expreſſam.*
XL. *Factum alienum promittens ad quid naturaliter teneatur.*

IV. *Quis eſt alter gradus?*

℞. Pollicitatio, cum voluntas ſe ipſam pro futuro tempore determinat, cum ſigno ſufficiente ad indicandam perſeverandi neceſſitatem. Ideo etiam obligat promittentem vel abſolute, vel ſub conditione interdum, alteri tamen jus proprium non dat, vi cujus promittentem cogere poſſit. Multis enim caſibus evenit, ut obligatio ſit in nobis, nullum jus in alio ad exigendum, e. g. propter beneficium acceptum obligamur ad gratiam reponendam, quam tamen plerumque is, qui beneficium in nos contulit, exigere non poteſt. Huc referendæ ſunt pollicitationes virorum potentum aut gratioſorum, quibus alicui non per verba honoris, ſed ſerio ſuam commendationem, interceſſionem, aut ſuffragium ſpondent, quæ tamen non volunt jure aliquo abs ſeſe exigi, ſed in ſolidum ſuæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari; niſi forte aliquid ipſis detur, ut ſuffragium dent.

d. c. 11. § 3. Puf. l. 3. c. 5. § 6.

l. un. C. de Suffr. Struv. Syntag. Ex. 25. th. 35.

V. *Quis eſt tertius gradus?*

℞. Eſt promiſſio perfecta, ubi ad talem determinationem accedit ſignum volendi jus proprium alteri conferre, ut rem promiſſam plene exigere poſſit:

d. c. 11. § 4. n. 1. Puf. l. 3. c. 5. § 7. Feld. h. l. aliter.

 ſive

ſive ſit promiſſio dandi, ſive promiſſio faciendi, in qua eſt alienatio particulæ cujuſdam libertatis noſtræ.

VI. *Quid requiritur ad perfectam promiſſionem?*

l. c. 11. §. 5. *n.* 1.

℟. Primum requiritur uſus rationis, ut ſcil. promittens intelligat præſens negotium, & videat, an conveniens ſit, ut ſe obliget ad dandum vel faciendum, an non. Hinc furioſi, quamdiu furor durat, amentes & infantes promittere nihil poſſunt, nec ex promiſſo obligari: fœminæ poſſunt, uti & minores; licet hi non ſatis firmum judicium habere credantur, & ſi propterea læſi ſint, reſtituantur in ſtatum, in quo fuerunt ante promiſſionem.

l. 1. *D. de min.*

VII. *Quid dicendum de ebriis?*

c. 14. *X. de vita & hon. cler.*

℟. Cum ebrietas rationem exulare faciat, non poſſunt obligari ex contractu ſeu promiſſo, ſi ebrietas eo uſque proceſſerit, ut ratio plane ſit obruta vino. Si enim paulo largius quis tantum biberit ad hilaritatem, obligatio contrahenda ex promiſſo non impeditur, præſertim ubi à ſobriis renovatur. Sic antiqui Germani de omnibus fere rebus, pace & bello, in conviviis conſultabant, quia nullo tempore,

Puf. l. 3. *c.* 6. §. 4.

Tacit. de mor. Germ. c. 22.

re, etiam ad ſimplices cogitationes, magis patet animus, aut ad magnas magis incaleſcit; & poſtero die repebant.

VIII. *An ebrii obligantur ex delicto?*

℞. In delicto obligatio ipſorum non venit ex conſenſu, ſed ex re, i. e. ex facto improbo, quod contra legis prohibitionem admittunt. Et eadem opera, quia interdictum eſt delinquere, omnia cenſentur interdicta, quæ ad delinquendum pertrahere poſſunt. Sic ſi quis per vinolentiam vaſa, feneſtras &c. confringat, merito præſtat illud damnum, quod ſua culpa dat, imo interdum & pœnam luit. In obligatione ex promiſſo ſecus eſt, hoc enim pendet ex arbitrio noſtro, & requirit conſenſum; ſi ergo adhibeamus ea, quæ impediunt conſenſum, non videmur velle, quæ inde veniunt. *Puf. l. 3. c. 6. §. 4.*

IX. *Quando puer ratione uti incipit?*

℞. Hoc certo definiri non poteſt, ſed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, ſumendum eſt. Quin natura hic multum faciat, & cura educationis, nulli dubitamus. Cæſaribus virtus contingit ante diem: & ea ſunt *l. 1. c. 3. §. 11. n. 2. d. c. 11. §. 5. n. 2. Limn. ad A. B. c. 7. obſ. 28. Mornac. ad l. 31. ff. de LL.*

 re-

regnantium emiſſa cœlitus præcipua, aut potius privilegia, ut aureis capitalibuſque ante annos ingeniis emineant, cum plumbea in cæteris adeo eſſe ſoleant, ut vires niſi cum annis accipiant, ſenſimque per longa tempora colligant.

X. *Quando minores reſtituuntur in integrum, quæ leges obſervari debent?*

d. c. 11. §. 5. n. 2. ℟. Leges iſtius loci, ubi domicilium minor habet & contraxit: etiamſi cum peregrino paciſcatur, quia qui in loco aliquo contrahit, tanquam ſubditus temporarius, legibus loci ſubjicitur; & quia civitas actionem denegare ſolet ex illis negotiis, quæ iſto loco ſunt celebrata & legibus non ſunt conformia.

c. 14. §. 5.

l. 6. D. de evict.

XI. *Si pactio fiat in mari, vel inſulis vacuis?*

Puf. l. 3. c. 6. §. 5. in fin. Grot. d. c. 11. §. 5. n. 3. aliter. ℟. Si fiat inter duos, qui eidem civitati ſubjiciuntur, leges civitatis obſervare debent; ſi ſint diverſarum civitatum, ipſorum pacta ſolo jure naturæ reguntur: niſi forte in foro alterutrius actio ſit inſtituenda, tunc enim & leges iſtius loci videntur conſiderandæ. Idem dicendum, ſi per literas inter abſentes negotium contrahatur. Si ſummum

Grot. aliter d. l. c. 7. §. 11. n. 2. in fin.

mum habentes imperium cum ſubditis contrahant, id ſolent facere ſecundum leges ſuas, quibus licet ſint ſoluti, iis tamen vivunt.

XII. *Quid juris, ſi error interveniat?* *d. c. 11. §. 6. n. 2.*

℞. Si promiſſio fundata ſit in præſumtione facti, quod non ita ſe habet, vel præſupponat aliquam qualitatem, citra cujus intuitum promiſſurus non fueram, naturaliter promiſſionis nulla erit vis, ſiquidem circumſtantiæ oſtendant, promiſſorem unice ex illo facto & præſuppoſita qualitate, tanquam ex conditione conſenſum ſuſpendiſſe; ut, ſi *l. fin. D. de hær. Inſt. l. 28. D. de inoff. teſt.* falſo rumore perſuaſus, te utiliter negotia mea geſſiſſe, tibi promiſerim, promiſſio non valebit; vel ſi ex errore hæredem inſtitutum mortuum putaverim, alium hæredem ſcriberem, prior tamen hæres hæreditatem obtinebit.

XIII. *At ex tali inani promiſſo alter ſæpe damnum incurrit?*

℞. Si promiſſor negligens fuerit in re *d. c. 11. §. 6. n. 3.* exploranda, aut in ſenſu ſuo exprimendo, & damnum inde alter paſſus ſit, tenebitur id reſarcire promiſſor, non ex vi promiſſionis, ſed ex damno per culpam dato. Præterea, ſi adfuerit quidem error, ſed in quo fundata non fuerit promiſſio, ratus erit actus, ut-

po-

pote non deficiente conſenſu. Et ſi promiſſio pro parte fundata ſit in errore, valebit pro reliqua parte.

d. c. 11. §. 6. n. 3. Puf. l. 3. c. 6. §. 6. & 7.

XIV. ***Quid ſi dolus alterius huic errori cauſam dederit?***

℞. Si ipſius dolus, cum quo contraxi, cauſam dederit huic errori, non obligor, propter deficientem conſenſum, qui in his non eſt, qui dolo decipiuntur, & quia cum decipiente non idem intelligunt & volunt. Si ſit tertius, qui dolo nos ad contrahendum inducit; contractus valebit, propter conſenſum in eandem rem, & idem placitum, licet propter damnum, quod inde oritur, ille nobis teneatur. Sic ſi dolus fuerit incidens, aut in ipſam rem, aut qualitatem rei, hactenus contractus erit vitioſus, ut decepto liberum ſit, aut ab illo diſcedere, eumque diſſolvere, aut læſionis penſationem exigere.

XV. ***An obligatur metu aliquid promittens?***

Puf. l. 3. c. 6. & 10. §. 11. Grot. d. c. 11. §. 7. aliter.

℞. Si is, cui promittitur, mihi intulit metum injuſtum, obligationem naturaliter ſibi non acquirit; quia in eo non eſt jus, cujus vi exigere queat obligationem: nam ad hanc generandam non ſufficit conſenſus, ſed in utroque re-

requiruntur principia ad jus quærendum idonea, qualia non ſunt in eo, qui metum injuſtum infert. Cum enim lex naturæ jubeat præſtare id, ad quod alteri jus eſt, abſurdum videtur, per injuriam i. e. factum legi naturali contrarium, id jus produci; inſerviret enim ad ſui ipſius deſtructionem. Sane lex, quæ prohibet metum injuſtum, inter modos acquirendi juſtos eum referre non poteſt. Hinc ſi tertius aliquis metum intulerit, obligor mecum contrahenti, quia præter conſenſum qui adeſt, in ipſo etiam ceſſat vitium, quod aliàs obligationem impedit. Sic ceſſat vitium, ſi quis habeat jus metum inferendi, ut ſi princeps cogat milites, quos alteri in ſubſidium mittit, ut huic etiam fidem dent. Vel ſi quis in bello captus, aliquid promittat. Item ceſſat vitium, ſi metus ſit reverentialis, ut ſi pater filiæ invitæ ſponſum det. *l. 2. c. 17. §. 18. & 19.*

XVI. ***An idem obtinet, ſi tertius aliquis cum latrone contrahat, ut in ipſius gratiam aliquem incolumem dimittat?***

℞. Vitium non ceſſat, nam latro non plus juris habet obligandi hunc tertium, quam iſtum, pro quo hic ſe obligavit, & turpe eſt, pretio accepto abſtinere *Puf. d. l. & liter.*

à vi

à vi & injuria inferenda, quam jus naturæ alteri inferre prohibet. Quanquam non negemus, huic tertio vim non eſſe illatam, eumque ſe obligaſſe proprio nomine. Item, dignam eſſe rem, ut aliquid præſtemus pro conſervatione vitæ alterius, eſſe etiam laudem humanitatis inſignem; hæc tamen iſti, qui metum intulit injuſtum, jus exigendi nullum tribuunt.

XVII. *Quid ſi aliàs cum latrone paciſcar, quando nullum metum mihi infert?*

℟. Pactum eſt ſervandum, quia non ut latro, ſed ut homo, mecum paciſcitur: & licet communis ſit hoſtis omnium hominum, non tamen ideo omnia jura hominum amiſit, ubi humano modo agit, & quemadmodum ſtatus hoſtilis in juſto hoſte non obſtat, quo minus fides hoſti data ſit ſervanda, ſic nec communis illa latronis hoſtilitas impedit, quo minus pacta cum ipſo inita valeant, præſertim cum actus hoſtilitatis, dum paciſcitur, nullos exerceat; licet in modum pœnæ à magiſtratu jus exigendi, quod ex pacto ipſi debetur, auferri poſſit.

Grot. l. 3. c. 19. §. 1. & 2.

l. 2. c. 14. §. 7.

XVIII. *Qualis requiritur materia ut promiſſum valeat?*

℟. Ut

℞. Ut promiſſum ſit efficax, oportet materiam eſſe, aut eſſe poſſe, in jure promittentis, nec enim promiſſum ultrà extenditur. Quare non valent promiſſa facti per ſe illiciti, quia ad illa nemo jus habet, nec poteſt habere. *d.c.11.§.8.*

XIX. *Si res nunc non ſit in poteſtate promittentis, ſed eſſe aliquando poſſit, an valet promiſſio?*

℞. In pendenti erit efficacia, quia promiſſio facta cenſeri debet ſub conditione, ſi res in poteſtatem venerit; & tenebitur promiſſor facere quicquid moraliter æquum eſt, ut ea impleatur. *d.c.11.§.8.n.2.*

XX. *Quid juris, ſi de facto impoſſibilia promittantur?*

℞. Si uterque, tam promiſſor, quam cui promittitur, rem noverint impoſſibilem, luſiſſe tantum & nihil egiſſe cenſentur. At vero ſi promiſſor duntaxat ſciverit, e. g. equum meum hodie tibi commodare promiſi, qui Romæ eſt, tenebitur ad id, quod intereſt ejus, cui promiſſio eſt facta, ne ita ſibi illuderetur. *Puf.l.3.c.8.§.5.* *§.5.I.de V.O.*

XXI. *Si eo tempore, quo promiſſio facta eſt, res fuit poſſibilis, poſteà autem impoſſibilis fiat, an promiſſor obligatur?*

℞. Si

℞. Si caſu fortuito, & citra culpam vel dolum promiſſoris, fiat impoſſibilis, promiſſor liberatur à ſua obligatione; dummodo id, quod ab altera parte accepit, reſtituat, vel ſi hoc non poſſit facere, ſummum conatum adhibeat, ne alter detrimenti quid capiat, quia quæ ultra hunc ſunt, pro impoſſibilibus habentur, Sic mercatores, qui caſu fortuito facultatibus labuntur, citra culpam vel dolum, creditoribus ſuis ſummum ſolvendi conatum debent; ſi dolus ipſorum interveniat, malo aliquo, ſeu pœna coerceri poſſunt, & in eos valet tritum illud, qui non habet in ære, luat in corpore.

Puf. l. 3. c. 7. §. 3.

XXII. *An promiſſio facta ob cauſam naturaliter vitioſam ipſa natura valet, ut ſi quid promittatur homicidii perpetrandi cauſa?*

℞. Non; quia cauſa, jure naturalî turpis & vitioſa, non poteſt non producere effectum turpem & vitioſum; ſicut promiſſio eſt turpis, quia eſt illex mali; ita etiam impletio promiſſionis erit turpis, quia eſt penſatio ſceleris, & ad plura committenda invitat. Quid prodeſt prohibuiſſe furtum, ſi furto facto, res furtiva poſſit retineri? Nec ſufficit conſenſus utriuſque, ſi non ſit circa

Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 11. §. 9. Puf. l. 3. c. 7. §. 8. in med.

circa rem licitam, aliàs enim facile omnes leges ſubverterentur inito pacto ſuper iis violandis, & ſic jus naturæ inſerviret ad ſui deſtructionem. Hinc Judæ promiſſio Thamari facta, quam meretricem putabat, erat nulla, & factum ejus in omnibus vitioſum. Vitioſa fuit fornicatio, vitioſa promiſſio, annuli ſignatorii traditio, hædi miſſio &c. Licet eo tempore ex errore creditum fuerit, permiſſum eſſe innuptæ & liberæ fœminæ corporis ſui uſum alteri concedere, ſine conſenſu conjugali, vel gratis, vel pro mercede.

Oſ. ad Grot. l. 2. c. 11. §. 9. Grot. d. l. aliter. Seld. l. 5. c. 4. Brun. ad l. 4. D. de condict. ob turp. cauſ.

XXIII. *Si quid promittatur ob cauſam ante debitam, e. g. ſi quis rem meam deperditam invenerit, quam vi dominii reſtituere debet, & ego inventori promittam præmium?*

℞. Promiſſio valet, licet, ſi nihil ſponte promiſerim, à me inventionis præmium, ut rem reſtituat, exigere non poſſit; obligatus enim eſt ad reſtitutionem, propter dominium meæ rei, quæ penes ipſum eſt.

Grot. l. 2. c. 11. §. 10. & c. 10. §. 1. n. 5.

XXIV. *An promiſſio ſine cauſa valet?*

℞. Quamvis ejus, cui fit promiſſio, meritum, vel alia aliqua cauſa, non præcedat, tamen ſine omni cauſa, ex mera liberalitate, mea promiſſio valet.

d. c. 11. §. 10. Feld. b. l. aliter & §. 14

XXV. *Quis eſt promittendi modus?*

℞. Modus promittendi requirit actum externum, i. e. ſignum ſufficiens voluntatis noſtræ declarandæ, quale interdum poteſt eſſe nutus, inprimis inter illos, quorum alter linguam alterius non intelligit, & inter mutos & ſurdos, frequentius autem vox aut literæ: etiam homo, ſi conſtet de voluntate noſtra, qua illum elegerimus, ut inſtrumentum noſtrum, ad hoc ſpeciatim, aut ſub generali notione. Ita nomine principalium in publicis promittunt legati, in privatis inſtitores & magiſtri navium.

d. c. 11. §. 11. Puf. l. 3. c. 6. §. 16.

XXVI. *An talis homo nos obligare poteſt contra voluntatem noſtram?*

℞. Si generaliter aliquis conſtituatur, ut nomine noſtro aliquid agat, ſemper ex bona fide agere debet illud, quod natura negotii vult: bonam enim fidem tacite ſuppoſuiſſe videmur; hinc ſi chartas puras, ſeu (ut vocantur) blancas, alicui demus, nomine noſtro ſubſcriptas, non poteſt aliquid à natura negotii commiſſi alienum inſcribere, neque præſumimur in illud conſenſiſſe. Si tamen duplicia mandata dederimus; aliud manifeſtum & forte generale, quod exhibet illi, quocum eſt

Grot. d. l. 2. c. 11. §. 12. Puf. l. 3. c. 9. §. 2. l. 35. & 45. l 60. §. 3 & 4. D. mand.

eſt contrahendum, aliud arcanum & ſpeciale, quod internuncium duntaxat inſtruit, & quouſque progredi debeat, præſcribit; ſi hoc arcanum mandatum tranſgreditur, nobis tenetur ad id quod intereſt, à mandato noſtro non fuiſſe diſceſſum, tertio tamen obligamur ad id, quod ab illo fuit actum. Nam alias nullum eſſet medium per internuncios negotia expediendi, & ſub prætextu, limites mandati non fuiſſe obſervatos, facile omnia concluſa ſubverterentur.

XXVII. ***Si plures navem exerceant & magiſtrum præponant, ut nomine ipſorum contrahat, an ex contractu magiſtri ſinguli obligantur pro portione, quam in navi habent, an in ſolidum?*** *l. 1. pr. & §. ult. l. 2. C. de inſtit. & exercit. act.*

℞. In ſolidum ſinguli exercitores tenentur: æquitas enim vult, ſi damnum aliquod ſit ferendum, ut ille ferat, qui magiſtrum præponit, & ſocium parum idoneum ſibi adjungit, non autem ille, qui cum magiſtro contrahit, & facultates exercitorum excutere non debet, nec poteſt. Licet leges civiles, propter ſuæ civitatis rationes, aliter ſtatuere poſſint. Jus enim civile non in totum inſervit juri naturæ. *l. 3. & 4. D. de exerc. act. Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 11. §. 13.* *Feld. h. l. Grot. aliter.*

XXVIII. *Ut promiſſio jus transferat, ex parte promiſſarii, quid requiritur?*

Grot. l. 2. c. 11. §. 14. ℞. Requiritur acceptatio, ut in dominii tranſlatione, neque enim invito rem meam obtrudere, neque eam pro derelicta habere volo. Si tamen rogatio anteceſſit, e. g. viſne, ut decem dem pro hac vel illa re, cenſetur ea durare, niſi expreſſe fuerit revocata, & eo caſu in anteceſſum acceptatio facta intelligitur. Puf. l. 3. c. 6. §. 15. Ita tamen, ut rogationi conveniat reſponſio, nam ſi quis de majori ſumma reſpondeat, quam alius rogavit, requiritur expreſſa acceptatio.

Grot. d. c. 11. §. 14. XXIX. *At in pollicitatione, quando civitati aliquid promittitur, ſufficit actus promittentis & acceptatio non requiritur?*

Feld. d. §. 14. Ziegl. ℞. Propter beneficia in nos à civitate collata, ſemper hæc præſumitur acceptare, quæ ab aliis offeruntur.

XXX. *Si acceptatio fuerit facta, an requiritur, ut innoteſcat promiſſori?*

l. 2. c. 11. §. 15. Puf. l. 3. c. 6. §. 15. in fin. ℞. Promiſſio poteſt concipi duplici modo, nempe vel ſic, volo ut valeat, ſi acceptetur; vel ſic, volo ut valeat, ſi acceptatum intellexero. In dubio, utrum ſenſum ob oculos habuerit promiſſor, ex negotii natura videndum.

Si

Si promiſſio fiat ex mera liberalitate, prior ſenſus præſumitur, niſi aliud impediat; ſi non ſit ex mera liberalitate, & ad mutuam obligationem pertineat, poſterior.

XXXI. *An promiſſum licite revocatur ante acceptationem?*

℞. Cum ante acceptationem jus nondum ſit tranſlatum, revocari promiſſum poteſt ſine injuſtitia, imo & ſine inconſtantia, ſi revera eo animo factum ſit, ut ab acceptatione demum valere incipiat. Revocari etiam poteſt, mortuo ante acceptationem eo, cui forte per literas aut nuncium aliquid offerimus, ita ut ejus hæredes acceptare non poſſint, quia acceptatio videtur collata in ejus arbitrium, qui mortuus eſt, non in hæredum: aliud enim eſt, velle dare huic jus, quod ad hæredes tranſmittere poteſt, aliud velle dare hæredibus immediate; multum enim refert, in quem beneficium conferatur. *Grot. l. 2. c. 11. §. 16. Puf. l. 3. c. 9. §. 6.* *l. 191. D. de R. J.*

XXXII. *An promiſſum revocari poteſt eo mortuo, qui lectus erat voluntatis noſtræ internuncius?*

℞. Affirmatur; quia in illius verbis poſita fuerat obligatio. Unde licet hic internuncius tertio alicui indicarit, quale negotium in mandatis habeat, *d. l. 2. c. 11. §. 17. Puf. l. 3. c. 9. §. 3.*

& per hunc iſti, ad quem deſtinabatur, innotuerit, tamen non obligor, quia ex ipſius verbis non volo obligari, neque videtur meæ voluntatis ſatis exactam habere notitiam, ad eam confirmandam alteri. Aliud eſt in tabellario, qui non eſt inſtrumentum obligationis, ſed perlator inſtrumenti obligatorii. Itaque literæ, conſenſus indices, per quemvis perferri poterunt.

XXXIII. *An promiſſum revocari poteſt, ſi internuncius ſeu miniſter non ſit mortuus?*

Grot. d. l. & Puf. d. c. 9. §. 4. aliter. ℞. Affirmatur; ſive lectus ſit tantum, ut perlator ſententiæ noſtræ, ſive ut ipſe promittat. Utroque caſu vim ſuam habebit revocatio, etiamſi miniſtro ea non innotuerit, dummodo ille, ad quem mittitur, de ea certior factus fuerit. Habet enim animus humanus non tantum naturalem potentiam mutandi conſilium, sed & jus, quamdiu alii non obligatur. *Grot. d. c. 11. §. 2.*

XXXIV. *Si dubium ſit, an mandatum ſit revocatum?*

d. c. 11. §. 17. n. 2. ℞. In dubio mandantis voluntas cenſetur fuiſſe, ut impleatur mandatum, niſi magna mutatio inciderit, qualis eſt mors; aut ſi apertiſſime appareat, ſtatum rerum præſentem unicam miſ-
ſionis

ſionis cauſam fuiſſe, & hic ſtatus fuerit mutatus. Hinc legati à ſuſcepto itinere domum redire ſolent, deſerta legatione, ſi res ita mutatas intelligant, ut tota legationis materia vel cauſa ceſſet. l. 2. c. 16. §. 25. n. 2.

XXXV. *An tertius poteſt promiſſionem alteri factam acceptare?*

℞. Si is qui acceptat, mandatum habeat acceptandi, plane ex tali acceptatione promiſſio perficitur; quia conſenſus poteſt & per miniſtrum interponi & ſignificari, & velle cenſemur, quod in alterius voluntate poſuimus, ſi & ille velit. Si acceptans mandatum non habeat, aut promiſſio ſit facta acceptanti, ut rem alteri det, e. g. ego Sejo dabo, ſi tibi placuerit; hîc in acceptantis arbitrio videtur eſſe, aut derivare hoc promiſſum in Sejum, aut recuſando id impedire, quo minus ad ipſum veniat, & acceptans mihi pœnitendi adimit facultatem, & ſi Sejo etiam placuerit, promiſſum jure naturali ad præſtandum obligat: aut promiſſio eſt collata in ipſius nomen, cui res eſt danda, altero tantum teſte, e. g. aſſevero ſeu promitto, te teſte, me Sejo daturum, tunc etſi his verbis annuas, tamen neque tibi jus quæſiviſti, d. c. 11. §. 18, n. 2. Puf. l. 3. c. 9. §. 5.

neque Sejo, quia in perſonam tuam promiſſio non fuit collata; neque Sejo, quia cum tibi non dederit mandatum acceptandi, tuam actionem pro ſua non agnoſcit. Hinc promiſſor, quia per acceptationem Sejo jus non eſt quæſitum, revocare promiſſum poteſt citra injuriam, etſi non ſemper citra violationem conſtantiæ & veracitatis.

XXXVI. *An promiſſioni perfectæ onus aliquod adjici poteſt?*

l. c. 11. §. 19. ℞. Ante acceptationem conditiones adjicere poteſt, quas vult promiſſor, e. g. dabo centum, ſi velis Romam ire: ſi enim ante acceptationem liceat totum revocare, licebit etiam onus adjicere; poſt acceptationem non poteſt, quia jus acceptanti eſt quæſitum.

XXXVII. *Poteſtne onus adjici in commodum tertii?*

l. c. 11. §. 19. ℞. Affirmatur; dummodo tertius ille acceptaverit, e. g. dabo tibi centum, ſi Sejo ſumptus ſtudiorum per annum ſuppedites: ſi enim tertius conditionem nondum acceptaverit, à promiſſore revocari poteſt, quia huic tertio ante acceptationem nullum jus competere poteſt.

XXXVIII. *Si error promiſſioni cauſam*

ſam dederit, vel metus, poteſtne promiſſio convaleſcere, ſi cognito errore vel metu, promiſſor ſtare velit promiſſo?

℞. Convaleſcere poteſt, dummodo interveniat actus externus, ex quo conſtare poſſit de animo promittentis, non quidem præciſe verba, cum retentio rei promiſſæ, ex parte ejus cui promiſſa eſt, & relictio ejus, ex parte promittentis, aut ſimile aliquid, ſufficere poſſit ad ſignificandum conſenſum. Nam quæ ab initio vitioſa ſunt, ex poſt facto convaleſcere poſſunt, ſi res à vitio purgetur & nova cauſa ſuperveniat. *Grot. l. 2. c. 4. §. 11. d. c. 11. §. 20. Feld. h. l. aliter.*

XXXIX. *An promiſſiones ſemper requirunt cauſam expreſſam ut valeant?*

℞. Non; tacita enim cauſa ſubeſſe poteſt, nam ſi quis promittat, ſe daturum eſſe quod ſcit ſe non debere, videtur donare. *d. c. 11. § 11.*

XL. *Si quis promittat factum alienum, ſeu ejus, qui non eſt ſub ipſius poteſtate, ad quid obligatur?*

℞. Quia in factum alienum nullam facultatem habemus, facta aliena promittere non poſſumus, & ex tali promiſſione non obligamur, ſi ſtricte in- *d. c. 11. § 22. Puf. l. 3. c. 6. §. 12.*

hæreamus verbis promiſſionis. Quia tamen inconveniens eſt, actus alicujus ſerio ſuſcepti nullum eſſe effectum, promiſſionem ſic interpretamur, ut promittens obligetur ad curandum, ut factum præſtetur. Quod eo magis valet, ſi quis expreſſe dixerit, ſe operam daturum, ut tertius aliquid faciat; tunc enim omni modo moraliter poſſibili, quantum honeſte ab eo poſtulari poteſt, efficere debet, ut alius faciat: qui ſi abnuat facere, promittens ad intereſſe non obligatur, niſi & hoc in omnem eventum promiſerit.

CAPUT XII.

De Contractibus.

I. *Quid ſit contractus.*
II. *Quomodo differat à pacto.*
III. *Quotuplex ſit. Quid ſit verus, quid quaſi contractus.*
IV. *Verus contractus quotuplex ſit. Quid nominatus, quid innominatus.*
V. *Quotuplex ſit contractus nominatus, quid realis, quid conſenſualis. An verbalis & chirographarius ſint juris naturæ.*
VI. *Quot ſint contractus innominati.*
VII. *Quomodo præterea contractus dividantur. Quid bilaterales & unilaterales: oneroſi & benefici: bonæ fidei & ſtricti juris.*
VIII. *An in contractibus æqualitas ſit obſervanda.*
IX. *An in contractibus beneficis.*
X. *Quomodo hæc æqualitas inveniatur.*
XI. *Quomodo ex actibus, contractum præcedentibus, æqualitas æſtimetur.*
XII. *An etiam ex aliis, quæ, licet ad rei æſtimationem faciant, rem tamen non contingunt.*
XIII. *An vitia, ipſi emtori nota, indicanda ſint.*
XIV. *An etiam requiratur æqua-*

æqualitas in voluntate contrahendi.
XV. *In ipſo actu principali quomodo inveniatur æqualitas.*
XVI. *Quomodo in eo, de quo agitur.*
XVII. *Quid ſit pretium.*
XVIII. *Quotuplex.*
XIX. *Quot modis determinetur.*
XX. *Quæ ſit menſura pretii.*
XXI. *An omnibus rebus vitæ humanæ utilibus pretium poſſit imponi.*
XXII. *Cur pretium mox augeatur, mox minuatur.*
XXIII. *Nummus, qualis eſſe debeat.*
XXIV. *An ex ſtanno, ferro, plumbo, corio, cortice, papyro.*
XXV. *An valor nummorum à principe pro lubitu augeri vel minui poſſit.*
XXVI. *Quando in emtione & venditione dominium transferatur.*
XXVII. *Cur periculum ſtatim, perfecta emtione, pertineat ad emtorem.*
XXVIII. *Si res bis ſit vendita, utra venditio valeat.*
XXIX. *An monopolia cum jure naturæ pugnent.*
XXX. *In locatione & conductione, cujus damno ſint ſterilitas & alii caſus uſum impedientes.*
XXXI. *Si opera alicujus pluribus ſimul utilis eſſe poſſit, an à ſingulis mercedem petere poſſit, quam ab uno exigeret.*
XXXII. *An uſuræ jure naturali ſint vetitæ.*
XXXIII. *An pecunia ſit res ſterilis, & an pro uſu talis rei recte ſolvantur uſuræ.*
XXXIV. *Quomodo æſtimetur periculum in contractu aſſecurationis.*
XXXV. *Ut hic contractus ſubſiſtat, quid requiratur.*
XXXVI. *In ſocietate negotiatoria, quomodo partes in damno & lucro dicantur æquales & inæquales.*
XXXVII. *An ſociorum unus particeps eſſe lucri poſſit, & immunis damni.*
XXXVIII. *An quis damnum ſentire poſſit, & non participare de lucro.*
XXXIX. *An æqualitas obſervetur in ſocietate univerſorum bonorum.*
XL. *Societate finita, ad quem pertineat periculum rerum collatarum.*
XLI. *Quæ ſit communis utilitas in ſocietate navali, ſeu admiralitate; & quomodo æqualitas in ea inveniatur.*
XLII. *An æqualitas, in contractibus obſervanda, ſemper à contrahentibus obſervetur.*

I. *Quid*

I. *Quid eſt contractus?*

℞. Contractus eſt conventio, vel nomen proprium, vel cauſam habens: vel quæ propter certum & determinatum contrahendi modum, vel propter datum factumve, quod ſubeſt, obligat ad dandum vel faciendum, vel ad præſtandum. vide quæſt. ſeq. in fin.

II. *Quomodo differunt contractus & pactum?*

Str. Ex. 6. th. 9. 30. & 31. Schilt. Ex. 8. th. 8. & 52. Puf. l. 5. c. 2. §. 4. aliter.

℞. 1. In contractu eſt conſenſus præſens; in pacto plerumque futurus. 2. In contractu eſt conſenſus determinatus, & ratione rei in contractum deductæ, & ratione modi & formæ contrahendi; in pacto eſt conſenſus nudus. 3. In contractu, præter conſenſum, requiritur interdum ad perfectionem rei traditio, ut in realibus; interdum determinatio, ut modo dictum, ut in conſenſualibus; in pactis hæc non requiruntur. 4. In contractu ſemper ſubeſt cauſa, i. e. vel certus & determinatus contrahendi modus, vel datum aut factum; in pactis ſecus.

III. *Quotuplex eſt contractus?*

Grot. l. 2. c. 12. §. 1. & 2. aliter. jung. Feld. h. l.

℞. Contractus eſt vel verus, vel quaſi-contractus. Verus contractus eſt vera conventio, propter proprium nomen vel cauſam, quæ ſubeſt, obligationem pro-

producens. Quaſi-contractus eſt quaſi-conventio, quando ſcilicet jus ex facto, quod intercedit, inducit conſenſum & obligationem, e.g. dum quis gerit abſque mandato negotia aliena, in utilitatem vel abſentis, vel ignorantis. Jus ex hoc facto inducit conſenſum inter eum, qui negotia gerit, & eum, cujus negotia geruntur; ſcilicet, ille videtur ſe obligaſſe ad diligentem adminiſtrationem, & ad rationum redditionem, finito negotio, hic autem ad præſtationem indemnitatis, ſi negotiorum geſtor impenſas quaſdam fecerit, vel damnum ſentiat ocaſione negotii, natura enim iniquum eſt, ut officium alicui ſit damnoſum.

IV. *Veri contractus quomodo ſubdividuntur?*

℞. Veri contractus alii ſunt, qui non retinent illud nomen generale conventionis, ſed propter proprium & determinatum objectum, & propriam & determinatam contrahendi formam, accipiunt nomen proprium, quod producit propriam actionem, quæ ex aliis contractibus non datur; e. g. quando pro re conſtituitur certum pretium in pecunia numerata, hæc conventio non retinet generale conventionis nomen, ſeu non dicitur tantum conventio, verum

l. 7. D. de pact.

Grot. l. 2. c. 12. §. 3. n. 2. aliter. Puf. l. 5. c. 2. §. 7. aliter.

rum ob proprium ſuum & determinatum objectum, quòd diverſum eſt à pretio, & ob propriam & determinatam contrahendi formam, quæ eſt, ut pretium ſit certum, & conſiſtat in pecunia numerata, ut ſit verum & juſtum, &c. accipit nomen proprium, quod aliis conventionibus tribui non poteſt: & actio, quæ inde oritur, etiam eſt propria, quæ ex hoc, & nullo alio contractu datur, ſcilicet actio emti venditi; & hi contractus à Doctoribus ſolent vocari contractus nominati. Alii ſunt contractus, qui quidem non habent proprium nomen, neque proprium & determinatum objectum, ſed admittunt omnis generis res neque propriam & determinatam contrahendi formam; verum illam partium arbitrio & voluntati relinquunt, & hinc producunt actionem generalem, quæ communis eſt pluribus contractibus, & à forma, quæ ab ipſorum præſcriptione pendet, dicitur actio præſcriptis verbis, actio in factum &c. Hi contractus ſolent vocari contractus innominati, e. g. do tibi rem, ut mihi des aliam; ſæpe rem ejuſdem ſpeciei, v. g. ſi imperialem tibi dem, ut alium ſimilem imperialem mihi des; vel do tibi frumentum, ut mihi des cereviſiam,

Str. Ex. 25. th. 2. & 23.

ſiam, vel vinum, vel aliud quid, prout contrahentibus viſum fuerit.

V. *Contractus, qui nominati dicuntur, quomodo dividuntur?*

℞. Contractus, qui dicuntur nominati, alii ſunt reales, qui perficiuntur rei traditione, ut eſt mutuum, commodatum, depoſitum & pignus; alii conſenſuales, qui modo & determinato conſenſu, abſque rei traditione, perficiuntur, ut emtio venditio, locatio conductio, ſocietas, & mandatum. Contractus verbalis, ſeu ſtipulatio, quatenus certis & ſolennibus interrogandi & reſpondendi formulis conſtat, juri naturæ eſt ignotus. Item contractus chirographarius, quatenus quis ex ſola ſcriptura, licet rem non acceperit, obligatur.

§. ult. Inſt. de Oblig. & tot tit. ff. quibus mod. re contr. obl. §. 1. Inſt. de oblig. ex conſ.

Puf. l. 5. c. 2. §. 6. in med.

VI. *Contractus qui innominati dicuntur, quot ſunt?*

℞. Plures, ex quibus tamen præcipui ſunt do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Qui omnes re perficiuntur, ſeu cauſa conſtant, & antequam aliquid eſt datum vel factum, non eſt contractus, ſed pactum de contrahendo.

Str. Ex. 25. th. 2. 10 11. 15. Puf. d. l. 5. c. 2. §. 9. Grot. l. 2. c. 12. §. 3. n. 1. & 2. a. liter.

VII. *Suntne adhuc aliæ contractuum nominatorum & quaſi-contractuum diviſiones?*

℞.

Puf. l. 5. c. 2. §. 5. & 8.

℞. Affirmatur: contractus enim nominati & quaſi contractus alii ſunt bilaterales, in quibus uterque obligatur, ut emtio venditio, locatio conductio, negotiorum geſtio &c. alii unilaterales, ubi unus tantum obligatur, ut mutuum, ſolutio indebiti &c. Alii ſunt oneroſi, qui obligant utramque partem ad onus, ut emtio venditio, locatio conductio; alii benefici, in quibus alteri parti gratis aliquid præſtatur, ut commodatum, depoſitum, mandatum, negotiorum geſtio. Alii ſunt bonæ fidei, in quibus ex bono & æquo alter alteri obligatur, & verbis omiſſa pro expreſſis habentur, ut emtio venditio, negotiorum geſtio &c. alii ſtricti juris in quibus obligamur ex iis, quæ expreſſa ſunt, & quæ expreſſa non ſunt, habentur pro omiſſis, ut mutuum, ſolutio indebiti.

Kulpis Ex. 6. ad lib. 2. c. 12. aliter. Textor. c. 13. §. 50. aliter. Frantz. Ex. 13. q. 7.

VIII. *An in contractibus æqualitas eſt obſervanda?*

Puf. l. 5. c. 3. §. 1.

℞. Affirmatur; quia enim contractus inter homines ineuntur, ut pro re vel opera aliquid æquipollens recipiant, quod ob certas cauſas expetunt poſſidere potius, quam rem ſuam retinere, aut opera ſuperſedere, jus naturæ, ut & in dominio ſemel introducto, æqua-

Grot. l. 2. c. 10. §. 2. c. 12. §. 8.

æqualitatem imperat, ita ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti.

IX. *Quid ſi contractus ſint benefici, ut mandatum, depoſitum?*

℞. In contractibus beneficis non quidem omnimoda æqualitas ſpectatur; ſi enim e. g. in mandato operæ merces reſpondeat, non amplius eſt contractus beneficus, ſed tranſit in aliud negotii genus: attamen ex ſuppoſitione ejus quod agitur, ne quis ſcilicet ex beneficio damnum ſentiat, is qui beneficum negotium in ſe ſuſcipit, indemnis ſervari debet, tum propter impenſas, quas in negotium fecit, tum propter damnum, quod propter negotium ſuſceptum incurrit. Grot. l. 2. c. 12. §. 13. Puf. l. 3. c. 3. §. 7. & l. 5. c. 3. §. 7. Feld. ad l. 2. c. 12. §. 8. aliter.

X. *Quomodo iſta æqualitas invenitur & determinatur?*

℞. Hæc æqualitas invenitur & determinatur partim ex actibus, qui vel præcedunt contractum, vel qui interveniunt in ipſo contractu principali; partim ex eo, de quo agitur. Grot. l. 2. c. 12. §. 8.

XI. *Quomodo ex actibus, qui præcedunt contractum, hanc æqualitatem invenimus & æſtimamus?* Feld. ad Grot. l. 2. c. 12. §. 9.

℞. Is qui cum aliquo contrahit, vitia ſibi nota rei, de qua agitur, ſignificare debet; quia alias juſtum pretium Puf. l. 5. c. 3. §. 3. Grot. l. 2. c. 12. §. 9. aliter.

ſtatui nequit; nam qui ſciens pro re vitioſa pretium ſumit, dum alter eam æſtimat non vitioſam, plus conſequitur, dum alter minus habet.

XII. *An & alia, quæ extra rei ſubſtantiam poſita ſunt, & tamen ad æſtimationem ejus faciunt, indicari debent?*

Grot. l. 2. c. 12. §. 9. n. 2.

℞. Non; quia hoc non venit ex natura contractus, ſed extrinſecus contingit: ut, ſi quis frumentum vendat majori pretio, & ſciat multas naves in curſu eſſe, quæ frumentum advehunt, non cogitur hoc indicare, vel frumentum ſuum minori pretio vendere; frumenti enim bonitas apparet, & tunc, quando contractus initur, revera tanti eſt, quanti venditur, etſi paulo poſt minoris ſit futurum, propter aliarum navium adventum, adeo ut, cum quilibet ſibi ipſi ſit proximus, ne quidem contra humanitatis officium faciat, ſi non indicet. Nam non ſemper quicquid tibi audire utile eſt, idem mihi dicere neceſſe eſt: niſi de iis agatur, quæ rem ſubjectam per ſe contingunt, ut ſi domus ſit peſtilens, ſi à magiſtratu dejici juſſa &c.

Puf. l. 5. c. 3. §. 4. Grot. d. c. 12. §. 9. n. 2. aliter.

XIII. *Quid juris, ſi vitia rei emtori jam nota ſint?*

℞.

℟. Non neceſſe eſt, ut indicentur, ſcientia enim utrinque par pares facit contrahentes; & ſicut, ob vitia ab emtore indicata, emtio non poteſt reſcindi, ita nec ob nota, vel ob ea, de quibus ex inſpectione facile conſtare potuit; in hæc enim emtor conſenſiſſe videtur, & ſic nulla ipſi fit injuria.

Grot. d. c. 12. §. 9. n. 3. l. 55. D. de Ædil. edict. l. 15. §. 1. & 43. D. de contrah. emt.

XIV. *Requiriturne, ut & contrahentium inter ſe voluntas ſit æqualis?*

℟. Et in voluntatis uſu requiritur æqualitas in contractibus, ita ut, ne quis metus incutiatur contrahendi cauſa, aut ſi injuſte incuſſus ſit, ut dematur. Nam metum injuſtum incutiens ex ſuo delicto facit, ut in contractu oriatur inæqualitas, & ut ille plus, alter minus habere cenſeatur. Si metus juſte incuſſus anteceſſerit, ut ſi magiſtratus ſub pœna mandet ſubditis, aut perpetuis, aut temporariis, ut vel emant vel vendant, neceſſitate exigente, aut ut operas ſuas, vehicula vel naves locent, talis metus demi non debet; hic enim contractui videtur extrinſecus, & magiſtratus, vi eminentis dominii, hæc omnia ante contractum celebrandum optimo jure mandare potuit.

Grot. d. c. 12. §. 10. Feld. d. l. aliter.

Puf. l. 5. c. 3. §. 6. in fin.

Grot. l. 1. c. 1. §. 6.

XV. *Quomodo æqualitatem invenimus*

mus & æſtimamus ex iis quæ interveniunt in ipſo contractu principali?

Grot. l. 2. c. 12. §. 11. Puf. l. 5. c. 3. §. 8.

℞. Si in ipſo contractu non plus exigatur, quam par eſt. Id quod in oneroſis contractibus adeo eſt obſervandum, ut id, quod pars altera amplius promittit, ne quidem tanquam donatum retineri poſſit. Nam animus ejus generis contractus ineuntium non cenſetur eſſe talis, nec præſumitur, niſi manifeſte appareat: quod enim promittunt aut dant, credendi ſunt promittere aut dare, tanquam æquale ei, quod accepturi ſunt, & ut jus æqualitatis ratione debitum.

XVI. *Quomodo ex eo de quo agitur?*

Grot. d. c. 12. §. 12. n. 1.

℞. Licet nec celatum quicquam ſit, quod dictum oportuit, nec plus exactum, quam deberi putabatur, ſi tamen in re deprehendatur inæqualitas, ſine culpa contrahentium, puta quod vitium latebat, aut quia de pretio errabatur, ea tamen reſarcienda eſt, & demendum ei qui plus habet, reddendumque minus habenti: quia in contractu id utrinque propoſitum aut fuit, aut eſſe debuit, ut uterque tantundem haberet. Quanta autem hic debeat eſſe læſio, judex æſtimabit, vel vir bonus,

nus, ex ipſa pretii magnitudine & rei valore, ſecundum id, quod æquum eſſe ipſis recta ratio dictat. Ut autem tunc demum reſcindatur, quando quis læſus eſt ultra dimidium veri pretii, hoc eſt ex jure civili, & conſtitui poteſt, ne nimium multiplicarentur lites, ſi ob quamcunque læſionem, contractus reſcinderentur. *l. 2. & 8. C. de reſc. vend.*

XVII. *Quid eſt pretium?*

℞. Pretium eſt valor rerum & actionum in commercium venientium, ſecundum quem illæ invicem comparari ſolent. *Puf. l. 5. c. 1. §. 2. in fin. Grot. l. 2. c. 12. §. 14.*

XVIII. *Quotuplex eſt?*

℞. Pretium eſt vel vulgare, vel eminens. Illud eſt, quod deprehenditur in rebus & actionibus, ſeu operis in commercium venientibus, quatenus neceſſariæ ſunt vel utiles, vel delectationem hominibus adferunt. Hoc eſt nummus, & quicquid ejus vicem gerit, quatenus omnium rerum & operarum pretia virtualiter continet, & communem earundem menſuram præbere intelligitur. *Grot. & Puf. d. l. §. 3.* *Ren. Budel. de monet. l. 1. c. 3. l. 1. D. de contrab. emt.*

XIX. *Quot modis determinatur pretium?*

℞. In ſtatu naturali, extra civitatem, quarumvis rerum pretia ex conventio- *Grot. d. c. 12. §. 14. in fin.*

ne contrahentium determinantur. In civitatibus duplici modo: uno per legem, & vocatur pretium legitimum, quod regulariter cum juſtitia & æquitate congruere præſumitur, ita ut in puncto conſiſtat, nec latitudinem habeat, ſed quantulocunque exceſſu injuſtitia committatur. Quare, quando in gratiam emtorum, illud taxatur, venditori non licet ultrà exigere: quamvis ſi velit, & lex non prohibeat [id quod plerumque fit in gratiam aliorum mercatorum] poſſit minus accipere; altero autem modo pretium determinatur per communem hominum æſtimationem & judicium, accedente conſenſu eorum, qui inter ſe contrahunt; & hoc vocatur Pretium commune, ſeu naturale, quod habet aliquam latitudinem, intra quam plus minusve poteſt exigi & dari, ſeu res tanti æſtimatur, quantum pro ea communiter offerri aut dari ſolet. Ita ut pretium vulgare commodè ſubdividatur in legitimum & commune, cui adjicitur pretium affectionis, ſi propter peculiarem affectum, res ſupra commune pretium ematur vel vendatur.

Puf. l. 5. c. 1. § 8. in fin. & § 9.

Puf. l. 5. c. 1. § 7.

XX. *Quæ eſt menſura ſeu fundamentum pretii?*

℞. Men-

℞. Menſura, ſeu fundamentum pretii, in ſe, eſt aptitudo rei vel actionis, qua aliquid, mediatè aut immediatè, conferre poteſt ad vitæ humanæ neceſſitates, aut ad eandem commodiorem & jucundiorem reddendam. Unde res inutiles vocantur nullius pretii, ſicut & homines interdum inutilia terræ pondera, ſeu nullius pretii, vocare ſolemus. Puf. l. 5. c. 1. §. 4. Grot. l. 2. c. 12. §. 14. aliter.

XXI. *At vero non omnibus rebus, quæ vitæ humanæ ſunt utiles, pretium impoſitum eſt.*

℞. Quædam res & actiones ſunt conſtitutæ extra commercium hominum, & extra eorum dominium, & eo ipſo pretium iis eſt detractum, licet utiliſſimæ ſint in vita humana & neceſſariæ, ut partes aëris ſuperioris, æther, cœleſtia corpora, vaſtus oceanus &c. ſic jure gentium res ſacræ, ſanctæ & religioſæ; item liber homo, quia non eſt in commercio, & ſimilia, pretium nullum habent; ſic actiones ſacræ, exhibitio Sacramentorum &c. pretio comparari non debent. Item actiones, quæ animo perficiuntur, ut docere &c. licet, ut pro opera, quæ in his præſtatur, honorarium interveniat, æquum ſit. Quædam res ſeparatim teneri neque- Puf. d. c. 1. §. 5. l. 1. §. 5. D. de extra-ord. cogn.

unt, & ſic pretium non habent, niſi aliis rebus accedant, e. g. apricum lumen ſolis, liquidus & purus aër, amœna facies terræ, umbra & ſimiles res, quibus homines ſine uſu terræ frui non poſſunt, & hinc ſeorſim non habent pretium; at ſi jungantur cum regionibus, fundis ac prædiis, multum momenti adferunt ad augendum pretium.

XXII. *Quæ ſunt rationes, cur pretium mox augeatur, mox minuatur?*

Grot. l. 2 c. 12. §. 14. Boecl. in diſſ. de menſ. pret. p. 59. 62. 68. 70. Puf. l. 5. c. 1. §. 6.

℞. Variæ ſunt rationes; ad intenſionem pretii inprimis facit raritas; & ambitio mortalium præcipuè æſtimat ea, quæ quis cum paucis habet communia, & contrà vile eſt, quicquid intra cujuſvis ſuppellectilem cernitur. Res quotidiani uſus, & quæ potiſſimum ſpectant victum, amictum, & arma, præcipuam pretii ſui intenſionem nanciſcuntur, quando raritas conjungitur cum neceſſitate, ut fieri ſolet in annonæ caritate, in obſidionibus & ſimilibus (præter raritatem) neceſſitatibus. Pretia rerum artificialium intendi ſolent ex ſubtilitate & elegantia artis, ex fama artificis, interdum propter prioris poſſeſſoris præſtantiam &c. Operarum & actionum pretia intendit earundum difficultas, dexteritas, utilitas,

ſitas, neceſſitas, agentium raritas. Operæ quædam nobiliores ſunt, quia iis præſtantur ea, quæ æſtimari non poſſunt. Sic emis à medico rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam; à bonarum artium præceptore, ſtudia liberalia & animi cultum. Itaque his non rei, ſed operæ pretium ſolvitur, quod à rebus ſuis avocati nobis vacant, honorarium (non meriti ſui, ſed occupationis ſuæ) ferunt. Pretium animantium brutorum intenditur interdum, propter affectum peculiarem, ex quadam quaſi familiaritate, aut quia genio noſtro ſeſe aliquo modo applicare norunt, aut quia ope eorum magnum olim malum effugimus, aut quia inſignis eventûs monumentum ſunt, dexteritas etiam multum confert, raritas & neceſſitas. Præterea in communi pretio ſolet haberi ratio laborum & expenſarum, quas communiter mercatores faciunt; extraordinariæ huc non pertinent, quando forte mercator in advehendis rebus morbo correptus, multum impendit in medicos &c. ſed ſuperflua non æſtimantur. tempus, cogitationes & curæ, quas mercatores mercibus conquirendis, aſſervandis, aut diſtrahendis,

Senec. de benef. l. 6. c. 15.

Puf. d. l. §. 7.

Grot. d. c. 12. §. 14. n. 2.

Puf. d. l. §. 10.

impendunt; nec minus operæ famulorum, quos conducere neceſſe habent, conſiderandæ. Item longitudo ac periculum itineris, diverſus pecuniæ & mercium valor in diverſis locis. Qui vendunt merces minutatim, plus poſſunt exigere, quam qui in magna copia. Paucitas ementium & pecuniæ, mercium autem abundantia, & quando merx quærit emtorem, pretium minuunt: contrà ementium & pecuniæ copia & mercium raritas pretium augent. Habetur etiam ratio lucri ceſſantis, quod ex pretii ſolutione dilata aut anticipata naſcitur.

XXIII. *Materia pretii eminentis quod alias res æſtimat, ſeu nummi, qualis eſſe debet?*

Grot. l. 2. c. 12. §. 17. ℞. Quia nummus debet eſſe menſura rerum aliarum, materia (1.) talis eſſe debet, ut per ſe minime, aut ſaltem difficulter flecti poſſit, ita ut uſu & contrectatione perpetua non conſumatur. (2.) ut ſit è numero utilium & æſtimabilium, talis nempe, in qua propter nobilitatem & raritatem, multarum rerum pretia contineantur, ita ut hæc materia bonitate & quantitate rebus cæteris reſpondeat. Si enim nummi materia inutilis eſſet, nemo pro rebus ſuis eam acciperet, puta, ſi ex papyro, corio,

corio, &c. nummi fierent; (3.) debet eſſe tractabilis, i. e. debet facile poſſe circumferri, condi, liquari, cogi, duci, cudi, figurari & verſari, durare tamen in his omnibus minimo ſui detrimento. Hinc pleriſque gentibus commodiſſimum fuit viſum, adhibere metalla nobiliora & non ita frequentia, aurum ſcilicet, argentum & æs, habita tamen ratione præſtantiæ unius præ alio, quæ non in ſola hominum opinione, ſed in modò dictis conſiſtit.

Ziegl. de jur. Maj. l. 1. c. 49. §. 15.

Arniſ. de jur. Maj. l. 2. c. 7. n. 7. aliter.

XXIV. ***At ſæpe populi utuntur ſtanno, ferro, plumbo, etiam corio, cortice, papyro?***

℞. Verum quidem eſt, exempla paſſim proſtant, & patrum noſtrorum & noſtra memoria id uſu veniſſe ſcimus; tamen nummi iſti veri nummi non ſunt, ſed tantum vice nummorum, veluti ſubſidiarii quidam ſponſores, habentur. Nec ad materias tales confugere licet, niſi urgente ſumma neceſſitate, nec alia intentione, quam ut, ceſſante neceſſitate, eæ cum veris nummis iterum permutentur, & damnum communitati illatum reſarciatur.

Ren. Budel. de monet. l. 1. c. 1. n. 27. ſeqq. jung. l. 9. §. 2. D. ad L. Corn. de falſ. & Gothofr. in not. Budæus ad l. 1. D. de contrab. emt. Puf. l. 5. c. 1. §. 13.

XXV. ***An valor nummorum, pro lubitus ejus, qui ſummum imperium habet, poteſt augeri & minui, & an***

an tantum alieni metalli auro vel argento admiſcere poterit, quantum vult?

Ziegl. d. tr. l. 1. c. 49. §. 21. 22. & ſeqq. Puf. l. 5. c. 1. §. 14 & 15. Molinæus de uſur. n. 797.

℞. Non; cum enim nummus ſit menſura pretii aliarum rerum, & receptus ad commodius exercenda commercia, non ſolum inter cives, ſed & inter hos atque exteros, rector civitatis, ſi nummis ſuis enorme pretium poſuerit, eos ad commercia ſuorum civium cum exteris reddit inutiles; & cum electa ſit materia, cujus publica ac perpetua eſt æſtimatio inter gentes, quatenus functionem recipit in comparandis rebus aut omnibus, aut maxime neceſſariis, ſi alieni metalli quantitatem & bonitatem non rite temperet, ſaltem ut exterorum, quibuſcum nobis commercium eſt, monetà non ſint inferiores, ferè, præter permutationem mercium, cum exteris, civibus ſuis nihil reliquum facit.

XXVI. *Generali tractatione de contractibus abſoluta, quæritur, quando in emtione & venditione dominium transferatur?*

Kulpis ad Grot. l. 2. c. 12. Ex. 6. §. 4. Grot. l. 2. c. 12. §. 15. Puf.

℞. Quia ex contractu naſcitur tantum obligatio ad rem habendam, ante traditionem emtor non poteſt fieri dominus, vel conſequi jus, quod venditor

ditor in re habuit: non enim præciſe obligatur ad dandum, ſeu ad dominium transferendum, ſed ſufficit interdum emtori præſtitiſſe, ut habere rem liceat quandocunque velit: quod translatione poſſeſſionis & facultatis uſucapiendi abſolvitur. *l. 5. c. 5. 9. 3. in fin. aliter.*

XXVII. *At periculum ſtatim, perfecta emtione, pertinet ad emtorem, & res perit ſuo domino?*

℞. Quamvis periculum ſtatim pertineat ad emtorem, tamen inde non probatur, ante traditionem ipſum eſſe dominum; verum ideo hoc receptum eſt, quia ab emtoris voluntate pendet, rem venditam ſtatim vel per ſe, vel per alium accipiendi, ita ut res penes ipſum, non autem penes venditorem periiſſet: quare etiam oportet ut ſolvat pretium, licet rem nunquam ſit conſecutus. Quo accedit, quod cum omnia commoda ad ipſum pertineant ante factam traditionem, naturale eſt, ut ferat quoque incommoda, & ut periculum ſuſtineat. Tertia ratio, ſcilicet debitorem ſpeciei liberari à ſua obligatione, per rei interitum, probat quidem, venditorem cogi poſſe, ut rem tradat, ſed tamen ei exigendi pretium jus non tribuit. *Grot. d. l. aliter.* *Puf. d. l. aliter.* *Ziegl. h. l.*

XXVIII.

XXVIII. *Si res bis ſit vendita, quæ venditio valebit?*

Grot. d. c. 12. §. 15. n. 2.

℞. Ex duabus venditionibus ea valebit, quæ in ſe continuit præſentem dominii translationem: per hanc enim facultas moralis in rem abiit à venditore; quod non fit per ſolam promiſſionem.

XXIX. *An monopolia pugnant cum jure naturæ?*

Grot. l. 2. c. 2. §. ult. c. 12. §. 16.

℞. Monopolia non pugnant cum jure naturæ, quando is qui ſolus omnia coëmit, paratus eſt aliis vendere æquó pretio; tunc enim, licet alii non poſſint libere emere, à quocunque velint, tamen hoc impedimentum naturæ ſocietatis contrarium non eſt, cum ipſorum non interſit, â quo emant, quod ad deſideria naturæ attinet. Hinc etiam à ſumma poteſtate, juſta de cauſa, & pretio conſtituto, Monopolia permitti poſſunt. Privatis autem, citra privilegium, hoc non licet, i. e. ii prohibere non poſſunt, ne alii quoque cives certum genus mercium tractent: licet de compacto id interdum agant, ut res ſupra pretium, quod ſummum nunc eſt, in communi pretio vendantur, aut vi aut fraude impediant, ne major copia importetur, aut ideo merces coë-

Puf. l. 5. c. 5. §. 7.

l. un. C. de monop. Cap. Leop. art. 20. Joſeph. art. 19. Grot. d. l.

coëmant, ut ſic raritate earundem procurata, iniquo illas pretio vendant. Huc non referuntur iſti, qui ex ſolertia negotiativa plures merces coëmunt, ut data occaſione pluris, pro temporis tamen ratione pretio non iniquo, vendant.

XXX. *In locatione & conductione cujus damno ſunt ſterilitas & alii caſus uſum impedientes?*

℞. Venditioni & emtioni proxima quidem eſt locatio conductio, eiſdemque regulis conſiſtit. Reſpondet enim pretium penſioni ſive mercedi, & merci uſus rerum vel operarum; differunt tamen in caſus præſtatione: nam in emtione caſus pertinet ad emtorem, in conductione ad locatorem; quia eſt contra æquitatem naturalem, ut quis mercedem ſolvat pro uſu, quem citra dolum & culpam non percepit. Quare ſi nullus ſit uſus, nulla debetur merces, ſi aliquis ſit uſus, aliqua debetur merces; ita ut ex boni viri arbitrio, pro circumſtantiarum diverſitate, judicium ferri debeat de mercedis remiſſione.

pr. I. de loc. & cond.

l. 15. §. 2. D. loc. cond. Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 12. §. 18. Feld. d. l. Puf. l. 5. c. 6. §. 2. & 3. Grot. l. 2. c. 12. §. 18. aliter.

XXXI. *Si mea opera pluribus poſſit eſſe utilis, ut tamen mihi non exiſtat laborioſior, quam ſi uni duntaxat adhibeatur, an à ſingulis ſolidam*

dam mercedem, vel honorarium petere poſſum?

Puf. l. 5. c. 6. §. 4. Grot. l. 2. c. 12. §. 19. aliter. Feld. h. l.

℞. Si ſint operæ artificiales, quæ pluribus communicatæ vileſcunt, à ſingulis ſolidam mercedem ſtipulari licet: ſi non vileſcant, & ſi unus ſolus tantum promiſerit, quantum plures ſolverent, iſto invito plures admitti non poſſunt, quia per contractum facultas uſum locandi eo tempore mihi eſt ademta; & ſi me conſentiente plures admittat, æquum eſt, ut reliqui contribuant conductori. Idem dicendum de operis, quæ animo perficiuntur, & pretio nummario æſtimari non ſolent. Idem de operis vulgaribus, e. g. ſi quis ſolus navem conduxiſſet.

l. 2. §. 6. D. ad L. Rhod. de jact. Str. Ex. 20. th. 28.

XXXII. *Circa mutuum quæritur an uſuræ ſint vetitæ jure naturali?*

Oſ. ad Grot. l. 2. c. 12. §. 20. Molinæus de Uſur. q. 2. n. 86. Seld. l. 6. c. 10. & 11.

℞. Non; quia enim in mutuo dominium transfertur in accipientem, æquum eſt, ut dum re noſtra caremus, ille autem commodum & lucrum inde percipit, nobis aliquid pro uſu rei noſtræ ſolvatur. Quo accedit, quod Deus voluerit, Judæos fœnerare extraneis, non Cananæis duntaxat; ſed quibuſvis aliis gentibus: & verò Deus non præſumitur expreſſe indulgere violationem & tranſgreſſionem juris natu-

naturæ erga quoſcunque alios populos.

XXXIII. *At pecunia eſt res ſterilis, & vero iniquum videtur, ut pro uſu talis rei aliquid ſolvatur, inprimis cum uſus rei à re ipſa, qu tandem in eodem genere eſt reſtituenda, non poſſit diſtingui, ita ut videatur & res & uſus rei reddi?*

℞. Induſtria humana res ſua natura infœcundas, e. g. domos, & ſic pecuniam quoque, in quam pretium eminens eſt collatum, fructuoſas facere poteſt. Et licet uſus rei, ſeu pecuniæ, conſiſtat in abuſu, nec ſeparari poſſit ab ipſa re, ſeu pecunia, quæ aliquando in genere reſtituitur, tamen quia poſt certum tempus demum ea redditur, & interea accipiens re utitur, hoc æſtimabile eſt, & propterea aliquid ſolvendum. Hinc admittuntur alii contractus, qui in effectu cum uſuris coincidunt, ut ſunt cenſus annui, montes pietatis &c.

Grot. d. c. 12. §. 10. n. 1. & 2. Feld. b. l. Puf. l. 5. c. 7. §. 10. R. I. 1548. tit. 17. & Policey-Ordnung zu Franckf. 1577. tit. 17. Frantz. Ex. 9. q. 4. Puf. l. 5. c. 1. §. 11. & 12. Grot. d. c. 12. §. 21.

XXXIV. *Quomodo æſtimari debet pretium periculi, quod ſuſtinetur in contractu aſſecurationis?*

℞. Æſtimatio pretii, pro magnitudine periculi, intendi poteſt aut remitti, ita ut major ſit, ſi præter tempeſtates, etiam

Grot. l. 2. c. 12. & 23. in fin. Kulpis. Ex. 6. ad Grot. l. 2. c. 12. §. 6. Puf. l. 5. c. 9. §. 8.

etiam piratæ aut hoſtes metuantur, major etiam tempore hyberno, quam æſtivo.

XXXV. *Ut hic contractus ſubſiſtat, quid requiritur?*

Grot. d. c. 12. §. 23. Marq. de Jur. Merc. l. 2. c. 13.

℞. Hic contractus avertendi periculi, quem aſſecurationem vocant, omnino nullus erit, ſi contrahentium alter rem, de qua agitur, aut ſalvam, quo deſtinabatur, perveniſſe, aut periiſſe, ſciverit.

XXXVI. *In ſocietate negotiatoria quomodo partes in damno & lucro dicuntur æquales & inæquales?*

Grot. l. 2. c. 12. §. 24.

℞. Quando paria ſunt quæ conferuntur, ſive ſit pecunia, ſive ſint operæ, partes ſunt æquales in lucro & damno; ſi non ſint paria, partes ſunt inæquales, propter exactum reſpectum, quem partes lucri & damni habent ad ſortem.

XXXVII. *Poteſtne ſociorum aliquis particeps eſſe lucri, ut immunis ſit damni?*

Grot. d. §. 24. n. 3. l. 29. §. 1. D. pro ſoc.

℞. Hoc pactum quidem eſt præter naturam ſocietatis, quæ vult, ut lucrum & damnum, pro rata ſortis, ſint communia: poteſt tamen ſine injuria ita conveniri, modò tanto plus lucri ferat,

ferat, quam alioqui laturus fuerat is, qui in ſe damnum recepit.

XXXVIII. *An quis damnum ſentire poteſt ſine lucro?*

℞. Iniquiſſimum eſt genus ſocietatis, ex qua quis damnum, non etiam lucrum, percipit: nam ita naturalis eſt ſocietati utilitatum communio, ut ſine ea nequeat ſocietas conſiſtere. Grot. d. §. 24. n. 3. & d. l. 29.

XXXIX. *An hæc æqualitas etiam ita obſervatur in ſocietate univerſorum bonorum?*

℞. Quia incertæ ſpei & eventui ab initio ſe committunt ſocii, & æquale jus habent, tum circa lucrum futurum, tum circa impenſas, quilibet ſociorum, pro conditione ſua, quantum leges frugalis & honeſtæ œconomiæ ferunt, ex ſocietate ſumere poteſt ea, quæ ad ſui ſuorumque ſuſtentationem requiruntur; & ſocietate ſoluta, partes fiunt æquales, non habita ratione, an quis plus, an minus contulerit. Grot. d. §. 24. n. 3. in fin. Str. 22. th. 23. & ſeqq.

XL. *Quando ſocietas ſolvitur, ad quem pertinet periculum rerum, quæ collatæ ſunt?*

℞. Si plures pecuniam conferant, quilibet fert periculum ſuæ ſortis, ſicut & eam; ſoluta ſocietate, præci- Grot. d. §. 24. n. 2. Puf. l. 5. c. 8. §. 2

 puam

puam habet: ſi alter conferat pecuniam, alter autem operam, tunc aut (1.) opera confertur cum ſolo pecuniæ uſu, eoque caſu periculum pertinet ad ſolum dominum: & ſi pecunia ſalva ſit, domino ſalva eſt; aut (2.) opera confertur cum dominio pecuniæ: quo caſu opera habetur quaſi pretium ſorti adjectum, & ſi pecunia pereat, damnum erit commune, quemadmodum ſi ſocietas ſolvatur, is qui operam tantum impendit, particeps ſit ſortis.

XLI. *Quæ eſt communis utilitas in ſocietate navali, ſeu admiralitate?*

Grot. l. 2. c. 12. §. 25. Marq. de jur. merc. l. 2. c. 11. p. 305.

℞. Hæc ſocietas navalis, ſeu Admiralitas, ſpectat ad communem diverſorum mercatorum defenſionem adverſus piratas & hoſtes: hinc & præda communis eſt, & damna communiter feruntur, in quibus numerantur & vulneratorum impendia. Ut autem conſtet de quota parte damni ferendi, æſtimantur naves, & quæ in navi ſunt, & ſumma ex his conficitur, ut ſcilicet damnum reſarciatur à dominis navium, pro ea parte, quam quiſque habet in tali ſumma.

XLII. *An quæ hactenus dicta ſunt de æqualitate obſervanda in contra-*

tractibus, ſemper à contrahentibus obſervantur?

℞. Non, ſed apud omnes gentes, ad præcidendas controverſias infinitas, & ob incerta rerum pretia, naturaliter contrahentes ſe circumvenire poſſunt; i. e. natura negotiorum & commerciorum hoc requirit, ut interdum unus plus, alter minus accipiat. *Frantz. ex. 11. q. 3. l. 8. C. de reſc. vend. Grot. l. 2. c. 12. § 26. aliter. & Puf. l. 5. c. 3. §. 10.*

CAPUT XIII.

De Jurejurando.

I. *Quomodo pollicitationes, promiſſa, contractus &c. confirmari ſoleant.*
II. *Cur inprimis jurejurando ſoleant confirmari.*
III. *Quid ſit jusjurandum.*
IV. *Quotuplex.*
V. *Quæ ad Juramentum requirantur.*
VI. *Qui jurare non poſſint.*
VII. *An ſit juramentum, ſi quis non putans ſe jurare, proferat verba jurantia.*
VIII. *An teneatur jurans, ſi in mente ſua reſervet, quod non velit obligari.*
IX. *An is, qui verba jurantia deliberatò profert, animo tamen non jurandi.*
X. *Quid, ſi jusjurandum dolo ſit elicitum.*
XI. *Quid, ſi metu injuſto.*
XII. *An ex talibus juramentis Deo acquiratur obligatio.*
XIII. *Cur Deus perjuros puniat.*
XIV. *An juramentum de re illicita obliget.*
XV. *Quid ſi jusjur. non quidem ſit de re omninò illicita, ſed tamen impediat majus bonum morale.*
XVI. *Quid ſi de re naturaliter impoſſibili juramentum præſtetur, & res tantum pro tempore, aut ex ſuppoſitione, ſit impoſſibilis.*
XVII. *Quæ ſit forma jurisjurandi.*
XVIII. *An rectè juretur per creaturas.*
XIX. *An per falſos Deos.*
XX. *An Chriſtianus tale juramentum à gentilibus rectè exigat.*
XXI. *Quis ſit effectus juramenti.*
XXII. *An obligetur is qui aliquid jurato promittit latroni.*

XXIII. *An quis juramentum, perfido præſtitum, implere debeat.*
XXIV. *An contractus, in quo quis enormiter eſt læſus, poſſit reſcindi, ſi jurato fuerit confirmatus.*
XXV. *An hæres obligetur ex juramento defuncti.*
XXVI. *An per procuratorem & per literas jurari poſſit.*
XXVII. *An ſit perjurus, qui non implet juramentum, nolente altero, ut impleatur: aut ſublata qualitate, ſub qua juravit.*
XXVIII. *Quid contra juramentum ſit; quando tantum ſit illicitum, quando irritum.*
XXIX. *Quale jus ſuperiores habeant in juramenta inferiorum.*
XXX. *An eos à juramento abſolvere poſſint.*
XXXI. *Quale jus habeant in perſonam ejus, cui juratur.*
XXXII. *Quæ juramentis ſint affinia.*

I. *Quomodo pollicitationes, promiſſa, contractus &c. confirmari ſolent?*

Grot. l. 2. c. 13 §. 1. Puf. l. 4. c. 2. §. 1.

℞. Variis modis; pignoribus, fidejuſſoribus, ſed inprimis jurejurando.

II. *Cur inprimis jurejurando ſolent confirmari?*

Feld. b. l. *Grot. d. l.*

℞. Quia dum hæc negotia jurejurando confirmantur, homines cenſentur eſſe maxime ſecuri; nam juramentum præſtatur ſub amiſſione maximi boni, gratiæ nimirum Numinis æterni, quam nemo præſumitur velle amittere, quia ea amiſſa, ſalvus eſſe non poteſt. Hinc omnes populi, & ab omni ævo, nullum vinculum ad adſtringendam fidem jurejurandô arctius exiſtimarunt, & gravis pæna perjuris imminere nunquam

quam non credita eſt, ita ut & poſteritas majorum delicta lueret, ſecundum illud Poëtæ.

At juramento quædam eſt ſine nomine proles,
Trunca manus & trunca pedes: tamen impete magno
Advenit, atque omnem vaſtat ſtirpemque domumque.

III. *Quid eſt jusjurandum?*

℞. Jusjurandum eſt religioſa affirmatio, per invocationem Dei in teſtem, ſub amiſſione ipſius gratiæ facta. Grot. l. 2. c. 13. §. 1. n. 3.

IV. *Quotuplex eſt jusjurandum?*

℞. Eſt vel Promiſſorium, vel aſſertorium. Illud eſt vel promiſſorium in ſpecie, quando jurejurando aliquid promittimus, vel confirmatorium, quando actum præcedentem ſeu negotium præcedens jurejurando confirmamus. Hoc, ſcilicet aſſertorium, eſt illud, quod præſtatur ad rem controverſam decidendam. Puf. l. 4. c. 2. §. 18. 19. 20. 21. 22.

V. *Quæ requiruntur ad juramentum?*

℞. Requiritur (1.) animus rationis compos & deliberatus, (2.) ut res, quæ promittitur, & (3.) modus ſeu forma, ſit licita, (4.) finisque licitus & bonus. Grot. d. c. c. 13. §. 2. 6. & 10.

Grot. d. c. 13 §. 2. c. 11. § 5. Textor. c. 27. n. 23. & 24. aliter. Kulpis 7. th 3. in fin. Grot. l. 2. c. 20. §. 46. n. 4.

VI. *Qui ergo non poſſunt jurare?*

℞. Furioſi, mente capti, impuberes, qui non intelligunt quod agunt, ut in cap. de promiſſis dictum; item athei, quia Deum eſſe negant.

VII. *Si quis non putans ſe jurare, proferat verba jurantia, eritne juramentum?*

Grot. d. c. 13. §. 2. Puf. l. 4. c. 2. §. 3.

℞. Non; quia mens eſt, quæ jurat, non lingua, juxta illud Poëtæ:

Jurata lingua eſt: mente juravi nihil.

Sic, ſi quis juramentum recitat, vel etiam verba concepta alteri prælegit, talis non jurat.

VIII. *Quid ſi quis volens jurare, protulerit quidem verba jurantia, ſed tamen in ſua mente ſibi reſervet, quod non velit obligari, an ex tali promiſſo jurato obligabitur?*

Frantz. 2. reſol. 2. §. 8. & ſeqq. Puf. l 4. c. 2. §. 5. Grot. d c. 13 §. 3. paulò aliter. jung. l. 2. c. 4. §. 3. c. 11. § 4. n. 1. & 3.

℞. Affirmatur; quia quoties ſignis externis animum noſtrum alteri indicavimus, & is eum acceptavit, non poteſt non ſequi obligatio; nam aliàs omnis ratio intervenientibus ſignis ſeſe obligandi ex humana vita tolleretur, ſi quis tacita ſua intentione poſſet impedire, ne effectus ille actum aliquem ſequatur, cui producendo eſt inſtitutus.

IX.

IX. *An obligatur verba jurantia deliberatò proferens, animo tamen non jurandi?*

℞. Affirmatur: quia enim is actus ex animo deliberato proceſſit, & alter in eum ſenſum rem accepit, effectum, qui ex eo ſequitur, obligationem ſcilicet, intentione ſua impedire non poteſt; niſi qui jurat ſciat, aut probabiliter credat, ab eo, quîcum negotium eſt, verba aliter accipi: nam dictis teſtem adhibens Deum, debet dicta facere vera, quomodo putat intelligi. Quamvis tamen & ſic male faciat, dum nomen Dei aſſumit in vanum.

Grot. d. l. 2. c. 13. §. 3. n. 1. & 2. Oſ. b. l.

X. *An, quando jusjurandum dolo eſt elicitum, jurans obligatur?*

℞. Negatur; quia dolus excludit animum deliberatum, qui conſiſtit in eo, ut idem intelligamus & idem velimus; & quando dolo inducimur ad jurandum, præſupponimus factum ita ſe habere, prout ab altero fuit propoſitum, quod tamen revera ita ſe non habet: & ſic non idem intelligimus & volumus. At ſi dubium ſit, an non etiam ſine eo fuiſſet juraturus, an ſtandum ſit verbis [quia ſimplicitas quam maxima juramento convenit] dubitatur.

Grot. l. 2. c. 13. §. 4. Seld. c. 16. in princ.

XI. *Quid ſi juramentum metu injuſto ſit extortum?*

Puf. l. 4. c. 2. §. 8. Grot. d. c. 13. §. 14. aliter.

℞. Et hoc in caſu jurans non obligatur, quia metus injuſtus impedit conſenſum deliberatum & liberum, & metum injuſtum mihi inferens non habet jus exigendi à me juramentum.

XII. *Sed annon hoc in caſu Deo acquiritur obligatio?*

Feld. ad Grot. l. 2. c. 13. §. 14. Puf. l. 4. c. 2. §. 9. Grot. l. 2. c. 13. §. 14. aliter.

℞. Negatur; quia jusjurandum eſt teſtimonium aliquod Dei, teſtis autem ex teſtimonio ſuo non acquirit obligationem, ſed eam, vel factum aliquod, de quo teſtatur, præſupponit.

XIII. *At vero Deus non puniret perjuros, niſi jurans obligatus fuiſſet Deo?*

Puf. l. 4. c. 2. §. 2. aliter.

℞. Deus punit perjuros, non quia ex juramento nova obligatio oritur, ſed quia delictum cum juramento concurrit, ſi quis pejeret, & nomen Dei in vanum aſſumat. Hinc etiam apparet, fruſtrà non adjici juramentum negotiis antè validis; acerbius enim punitur, qui iram Dei expreſſe provocavit; & quantum in ſe fuit, ad ipſius miſericordiam ſibi viam præcluſit, quàm is qui nude promiſit, & promiſſa non ſervat.

Puf. d. l. 4. c. 2. §. 6.

XIV. *Si præſtetur jusjurandum de re*

re illicita, quid juris?

℞. Juramentum de re illicita aut naturaliter, aut divina interdictione, vel etiam humana, non obligat; quia eſt de re impoſſibili, & propter legis interdictionem, facultas illud adimplendi nobis eſt ademta. *l.14.& 15. D. de condit. Inſt. Feld.b.c. §. 6. Puf. l. 4. c. 2. §. 9.*

XV. *Quid ſi quidem res non ſit omnino illicita, ſed tamen impediatur majus bonum morale, ſeu ſi per id prohibeamur obire aliquod officium humanitatis & pietatis?*

℞. Jurans non obligatur, quia profectum in bono & officiis humanitatis, Deo & proximo debemus. Nam Deus vult, ut pro virili enitamur, iſta aliis præſtare: adeo ut ejus libertatem eripere nobis ipſis non valeamus. Huc pertinent iſti, qui tam duro atque inſociabili ingenio, morum feritatem jurejurando obfirmant, ſcilicet, ut ne hunc habeant menſæ aut lecti ſocium, ne illi bene unquam faciant &c. vel qui alios obſtringunt, ne honeſtam aliquam, & humano generi utilem artem cum altero communicent &c. *Grot. hoc c. 13. §. 7. c. 2. §. 11. & ſeqq.*

XVI. *Quid, ſi juramentum præſtetur de re naturaliter omninò impoſſibili?*

℞. Quia juramentum non mutat natu- *Feld. h. c. 13. §. 3.*

tu-

turam pacti aut promiſſi, cui illud accedit, ſatis manifeſtum eſt, ad omninò impoſſibile neminem obligari; etſi graviter peccet, qui ita temere jurando, nomine divino abutitur. Si tantum pro tempore, aut ex ſuppoſitione, ſit impoſſibile id quod juratur, ut ſi filiusfam. inſcio patre, matrimonium jurato promittat fœminæ, quod iſtam, ſoluta patria poteſtate, velit ducere, in pendenti eſt obligatio, & exiſtente tempore quod ſuppoſuit, tenetur verum facere id, quod juravit.

Grot. l. 2. c. 13. §. 8. & 9. c. 5. §. 10.

XVII. *Quæ eſt forma jurisjurandi?*

Grot. d. c. 13. §. 10. Str. Ex. 17. th. 9.

℞. Forma jurisjurandi eſt, ut fiat per religioſam invocationem nominis divini & devotionem ſui ipſius, ſive utrumque ſimul verbis exprimatur, ſive alterutrum tantum, puta hoc modo: Deus teſtis ſit & vindex, ſi ſciens fefellero; vel ita; Deus teſtis ſit, aut Deus ſit vindex; quæ duo in idem recidunt. Nam cum ſuperior, puniendi jus habens, teſtis advocatur, ſimul ab eo perfidiæ ultio poſcitur: & qui ſcit omnia, ultor eſt, ideo quia teſtis eſt.

XVIII. *Licetne jurare per creaturas?*

Str. Ex. 17. th. 7. Ziegl. h.

℞. Non; quia (1.) religioſa invocatio ipſis non debetur; (2.) quia ſolus Deus eſt

eſt omniſcius ac omnipotens, ideoque ſolus dignus, qui in conſcientiæ noſtræ teſtem & perfidiæ ultorem invocetur. Sic ergo non licet jurare per Angelos, nec per principem, per ſolem, terram, cœlum &c. Neque execrationes, quibus rem nobis chariſſimam devovemus, ut liberos, patriam, principem &c. quo de ſinceritate noſtra proximus certus ſit: neque obteſtationes, veluti cum res, quas magni facimus, deducimus in comparationem cum re jurata, ut ſic teſtemur, non minus id, quod aſſerimus, nobis cordi eſſe, (ideoque verum nos dicere) quàm eas res, quas obteſtati ſumus, confundi debent cum juramentis.

c. §. 10. & 11. Grot. h. c. §. 11. aliter. Puf. l. 4. c. 2. §. 3. aliter.

XIX. *Si quis juret per falſo Deos, an obligatur?*

℟. Affirmatur, quia ex errore putat ſe jurare per verum Deum; ſeu quia ſub falſis notis, generali tamen complexione. numen intuetur: ideò verus Deus, ſi perjeratum ſit, in ſuam injuriam id factum interpretatur.

Grot. h. c. §. 12. Feld. h l. Puf. l. 4. c. 2. §. 4. Ziegl. h. c. §. 12. & Oſiand. aliter.

XX. *An Chriſtiano licet à gentilibus, quibuſcum negotium eſt, tale juramentum exigere?*

℟. Chriſtiani quidem non debent ſub tali forma gentilibus deferre juramen-

Grot. h. c. §. 12. Oſ. d. c. §. 12. Str. Ex. 17. Feld. h. l.

mentum, multo minus ipſi ita jurare, quia idololatricum eſt; ſi tamen adduci non poſſint, ut aliter jurent, ipſi quidem jurabunt, ut oportet, à gentilibus autem accipiant juramentum, quale habere poſſunt.

XXI. *Quis eſt effectus juramenti?*

Grot. d. c. 13. §. 13. Feld. b. l. aliter.

℞. Sicut intendimus per juramentum, ut aut aliquid liciti promittatur, aut ut confirmetur, aut ut controverſiæ finis imponatur: ita etiam effectus juramenti varius eſt; præcipuus tamen eſt præcidere controverſias. Nam omnis diſputationis finis eſt juramentum rem ſanciens.

XXII. *An quis obligatur juramento aliquid promittens latroni?*

Puf. l, 4. c. 2. §. 8. Grot. l. 2. c. 13. §. 14 aliter. & cum eo Oſ. b. l. Ziegl. Frantz. 2, Reſol. 3. Kulpis. & plures alii. Grot. l. 3. c. 19. §. 1. c. 21. §. 26. & ſeqq.

℞. Non, quia vitium eſt in latrone, ſcilicet dum metum injuſtum mihi infert, non poteſt acceptare promiſſum, & ſic ſi de facto aliquid promiſi, nulla ex promiſſo oritur obligatio, ne quidem reſpectu Dei; nam Deo nihil promiſi, neque dixi in honorem & gloriam divini nominis latroni dabo. Idem dicendum, ſi quid, piratæ, qua tali, promittatur. Secus eſt, ſi hoſti publico, quia metus quem infert, juſtus eſt.

XXIII. *An cogitur quis fidem juratam*

tam iſti ſervare, qui eam anteà fregit?

℞. Si jurata promiſſio reſpectum habeat ad alterius promiſſionem, ita ut ei quaſi conditio inſit, cum alter promiſſionem non implet, non fit perjurus, ſi viciſſim non præſtet id quod juravit, ob defectum conditionis: à parte ſcil. ejus cui juravit; conditione autem deficiente, deficit promiſſio & nulla eſt: eventus enim oſtendit, nullam eſſe obligationem, utpote quæ non niſi ſub conditione contracta erat. Si verò diverſi generis ſint promiſſa, & reſpectum mutuum non habeant, omninò juramentum erit ſervandum. Licet enim alter contra jus naturæ egerit, quod vult pacta eſſe ſervanda, mihi tamen delinquendi impunitatem concedere nequit.

Grot. l. 2. c. 13. §. 16.

Grot. l. 3. c. 19. §. 14.

XXIV. *Si quis juramento confirmet contractum, in quo enormiter eſt læſus, poteſtne actus reſcindi?*

℞. Affirmatur, quia juramentum non mutat naturam contractus, cui accedit. Si ergo contractus, propter inæqualitatem intervenientem, poteſt reſcindi, etiam juramentum poteſt reſcindi, quod eam præſupponit æqualita-

Puf. l. 4. c. 2 §. 11. Grot. d. c. 13. §. 16. n. 2. aliter. Mornac ad l. 1. C. ſi adverſ. vend. Str. Ex. 8. th. 54.

litatem, quam contractus jure naturæ poſtulat.

XXV. *An hæres obligatur ex juramento defuncti?*

Grot. d. c. 13. §. 17. Puf. l. 4. c. 2. §. 17. ℞. Si ex promiſſo jurato perfectum jus tertio ſit acquiſitum, hæres obligatur, quia hoc onus bonis adhæret, in quæ ſuccedit, & in quibus defunctum repræſentat. Si nemini fuerit jus quæſitum, & ipſa obligatio conſiſtat tantum in pietate, fide, conſtantia &c. hæres non obligatur, quia hæc ad hæredem non tranſeunt, ſed finiuntur cum perſona jurantis. Imo priori in caſu, ſi hæres non præſtet factum defuncti, non fiet perjurus [quia juramentum continet devotionem ſui ipſius, & verò hæres ſe ipſum non devovit] ſed tantum perfidus. Grot. l. 2. c. 21. §. 8. & 19. Sic, ſi populus juraverit, illi tantum cives, qui jurarunt, ſi juratum non præſtetur, fient perjuri, non autem reliqui, qui juramento non conſenſerunt, & in quorum animam non eſt juratum: ſicut nec ſucceſſores, ſed tantum fiunt perfidi.

XXVI. *Poſſumuſne jurare in alterius animam?*

c. 6. de teſt. in 6. Ziegl. ad JusCan. ℞. Ita; ſi procurator meus, mandato ſpeciali inſtructus, nomine meo juret, ipſe

ipſe feciſſe videor, quod per alium fe- 3. tit. 1. n.
ci, & ſi non ſervem, quod jurato pro- 13. Frantzk.
miſi, perjurus ſum. Sic poſſumus ju- 2. Reſol. 1.
rare per literas, nihil enim refert, ſive § 47.
verbis ore prolatis, ſive ſcriptis, Deum Schilt. Ex. 23. th. 32.
invocemus in teſtem. & ſeqq.

XXVII. *Si jus, quod tertio ex juramento eſt quæſitum, remittatur ab ipſo, an perjurus ſio, ſi promiſſum non præſtem?*

℞. Non; quia remiſſio ipſius facit, Grot. d. c.
ut juramentum habeatur pro præſtito. 13. §. 18.
Sic etiam aliquis non amplius tenetur Puf. l. 4. c.
ex ſuo juramento, ſi qualitas, ſub qua 2. §. 11.
alicui juravit, ceſſet, ut ſi magiſtratus deſinat eſſe magiſtratus, ſi ſubditus diſcedat à civitate &c. Nec opus eſt ſpeciali remiſſione jurisjurandi.

XXVIII. *An quod contra juramentum fit, illicitum tantum eſt, an etiam irritum?*

℞. Judicandum hoc eſt ex natura a- Grot. l. il
ctûs. Aut enim juramentum continet c. 3. §. 16.
plenam abdicationem poteſtatis ad a- l. 2. c. 15.
ctum, ut ſi quis juret, ſe nec poſſe, §. 7.
nec velle fœdus facere cum aliis; ſi contra faciat, non erit tantum perjurus, ſed & fœdus erit irritum, propter defectum facultatis, quam abdicavit: aut ſola fides tantum adſtringi-

Str. Ex. 31. th. 38. Fach. 4. contr. cap. 8.

tur jurejurando, e. g. ſi quis hæredi inſtituto juret, ſe non mutaturum teſtamentum, & poſtea mutet, erit perjurus tantum, ſed teſtamenti mutatio valebit, quia facultatem mutandi teſtamentum retinuit. Sic, ſi rex regi juret, ſe certo in loco non exſtructurum munimenta, & poſtea exſtruat, fiet perjurus, exſtructio tamen valebit, quia facultatem retinuit munimenta exſtruendi.

XXIX. *Quale jus ſuperiores habent in juramenta inferiorum?*

Grot. d. c. 13. §. 20. Feld. h. l. Seld. l. 6. c. 1. p. 703. & c. 7.

℞. Quia actus inferiorum non ſunt plene in poteſtate ipſorum, ſed à ſuperioribus dependent, ideo duplex poteſt eſſe actus ſuperiorum circa id quod juratur: alter directus in perſonam jurantis, alter in perſonam cui juratur. In perſonam jurantis dirigi poteſt, aut antequam juretur, irritum nempe reddendo juramentum: quatenus jus inferioris ſub poteſtate ſuperioris continetur, & ſic facultatem ad actum ipſis auferendo, ut ſi ſuperior prohibeat inferioribus, ne vendant frumentum exteris, venditio contra prohibitionem facta, etiam jurato, erit nulla; aut poſtquam juratum eſt, ſcil. ne impleatur, idque propter ſummum imperium, quod ſu-

ſuperior in actiones inferiorum habet: aut ut non valeat, niſi certo reſpectu, ut ſi, forte propter imbecillitatem judicii, aliquis minor renunciaret beneficio ſibi competenti, hoc non valeat, niſi à majorenni approbetur; aut contrà, ut valeat, ſi confirmetur juramento.

Grot. d. c. 13. §. 20. n. 4.

XXX. *An ergò is, qui ſummum in civitate habet imperium, aliquem poteſt abſolvere à juramento?*

℞. Ita; quia enim ſummam habet poteſtatem in ejus perſonam, habet etiam in ejus verba & promiſſiones; ſive obligationem, ex jurata promiſſione ortam, totam tollat, ſive aliquem tantum abſolvat à juramento, ad effectum agendi, i. e. ut ſine metu perjurii agere poſſit.

Grot. d. c. 13. §. 20. n. 2. in fin. Inſt. Jur. Publ. p. 278. Brand. Myl. ad Jus Can. voce: Relaxatio juram. Ziegl. de jur. Maj. l. 1. c. 21. p. 355.

XXXI. *Quid juris quando actus ſuperioris eſt directus in perſonam ejus cui juratur?*

℞. Poteſt tollere ab eo jus, quod ex jurata promiſſione partum eſt, aut etiam vetare, ne quid ex tali juramento accipiat: idque duobus modis, ſive in pœnam, ſive ob utilitatem publicam, ex vi ſupereminentis dominii. Imò, ſi poſt juratam promiſſionem, vel etiam antè, ſubſit mutuum debitum, ipſe

Grot. d. c. 13. §. 20. n. 3. c. 11. §. 7.

Ziegl. h. l. Text. c. 27. §. 76. & 77. aliter.

ipſe jurans poteſt compenſare id quod is, cui juratum eſt, ipſi debet, cum eo quod jurato promiſit.

XXXII. *Quænam ſunt affinia juramentis, ſeu quæ habentur pro juramentis?*

Grot. l. 2. c. 13. §. 22. Text. c. 27. n. 41. & 42.

℞. Multis in locis receptum eſt vice jurisjurandi, ut fides datis dextris, aut alio quodam ſigno obſtringatur, ea vi, ut, ni impleatur promiſſio, promiſſor non minus deteſtabilis habeatur, quam ſi pejeraſſet. Præcipue de regibus, viriſque principibus dictum eſt uſitatiſſimum, fidem eorum pro jurejurando valere; talis eſt formula apud Germanos, *bey Furſtlichen, Græfflichen, Adelichen, Treuen und Ehren.* Hinc tales perſonæ debent eſſe bonæ fidei, & vitam potius ponere, quam fidem, quò pertinet illud Guntheri Ligurini:

Gail. 2. obſ. 59.

——*Unde jus & reverentia verbo Regis ineſſe ſolet, quovis juramine major.*

CAPUT XIV.

De eorum, qui ſummum imperium habent, promiſſis & contractibus, & juramentis.

I. *An hactenus dicta de promiſſis, contractibus & juramentis, etiam apud reges obtineant.*

II. *Quæ*

II. *Quæ quæſtiones peculiares circa eorum promiſſa, contractus & juramenta, ſint conſiderandæ.*
III. *An rex ſe ipſum in integrum reſtituere poſſit, & contractum ſuum irritum facere.*
IV. *An in integrum reſtitutiones ex jure civili veniant, & ad reges pertineant.*
V. *An non potius in integrum reſtituendi ſint ab eo, cui Monarchia univerſalis competit.*
VI. *An pacta cum extraneis, per tutores inita, Rex ſub obtentu minorennitatis, revocare poſſit.*
VII. *An exceptio metus, doli, læſionis &c. valeat contra capitulationes regibus præſcriptas.*
VIII. *An Rex juramentum ſuum reſcindere poſſit.*
IX. *An obligetur in iis, quæ ſine cauſa promiſit.*
X. *An emere & vendere ſine certo pretio, locare & conducere ſine certa mercede poſſit.*
XI. *Rex, cum ſubditis contrahens, an naturaliter obligetur, an Civiliter.*
XII. *An ipſis jus quæſitum auferre poſſit.*
XIII. *An res exterorum ſupereminenti alterius dominio ſubſint.*
XIV. *An contractus regum leges ſint.*
XV. *An ex regum contractibus teneantur ſucceſſores, vel ipſe populus.*
XVI. *Quouſque hæc facultas populum obligandi ſe extendat.*
XVII. *Cur hæc poteſtas populum obligandi non judicetur ex eventu.*
XVIII. *Si contractus incipiat vergere ad publicam perniciem, an reſcindi poſſit.*
XIX. *Quid ſi Rex alienare vellet partem regni aut regalis patrimonii.*
XX. *Beneficia principum an ſemper revocari poſſint.*
XXI. *An populi teneantur contractibus invaſorum imperii.*
XXII. *Modus iſte perveniendi ad imperium an non ſit illegitimus.*

I. *An ea, quæ dicta ſunt de promiſſis, contractibus & juramentis, etiam locum habent apud Reges, & eos qui par jus regibus obtinent?*

℞. Affirmatur, quia ſunt juris naturæ & gentium, quibus juribus *Grot. in Prol. in pr. l. 2. c. 11. §. 5. n. 3.*

ribus reges non minus obligantur, quàm privati quicunque.

II. *Sed annon peculiares quædam ſunt quæſtiones circa promiſſa, contractus & juramenta regum?*

Grot. l. 2. c. 14. §. 1. n. 1.

℞. Ita, ſcil. tum de eo, quod ipſis in actus ſuos licet, tum de eo, quod in ſubditos, tum de eo, quod in ſucceſſores ſuos licet.

III. *An Rex poteſt ſe ipſum reſtituere in integrum, & ſuum contractum irritum facere?*

Bod. l. 1. c. 8. Grot. d. c. 14. §. 1. n. 2. aliter. Grot. h. c. §. 11. n. 2. Boecl. de eo quod civit. p. 43. in fin. Kulpis. h. c arg. l. 41. D. de hær. Inſt. Gothofred. in C. ne quis in ſua cauſa. & Morn. ibi. Conr. de fin. Imp. c. 19. §. 3.

℞. Affirmatur, ſi ſcilicet ſit evidens æquitas; hæc enim uti omnibus hominibus hoc beneficium tribuit, ut æqualitas inter contrahentes obſervetur, ita & regibus, ſive actus ſint regii, ſive actus eorum privati, i. e. ſive contrahant, e. g. ut Leopoldus, Joſephus &c. Nam quamvis actus regii perinde ſint, ac ſi ipſa Communitas feciſſet, & communitas ſe ipſa non ſit ſuperior, tamen non requiritur, ut reſtitutio in integrum ſemper fiat à ſuperiori; nam ii qui ſunt Reges, aut parem ipſis poteſtatem habent, ſicuti iſti, qui copiam judicis habere non poſſunt, ſibi ipſis poſſunt jus dicere, & ſe ipſos in integrum reſtituere.

IV. *At vero reſtitutio in integrum* ve-

venit ex jure civili, quod ad reges, quà tales ſunt, non pertinet?

℞. Reſtitutio in integrum non venit ex jure civili, ſed ipſa æquitas naturalis vult, ut metu injuſto coactus, dolo circumventus, vel ætatis lubrico lapſus, abſentia vel alia juſta cauſa læſus in integrum reſtituatur, vel ut actus irritus declaretur: & in hac reſtitutione tempus, intra quod fieri debet, non eſt definitum, ſed definiri debet ex eo, ex quo potuit aliquis eam petere & impetrare, adeo, ut ſi quis iſtud tempus effluere patiatur, jus ſuum vel rem pro derelicto habeat.

Grot. d. c. 14. §. 1. n. 2: aliter. Corring. d. l. Puf. l. 8. c. 10. §. 2. Ziegl. h. c. §. 1. Bod. d. 1. c. 8.

V. *Annon videtur dicendum, ſi reſtitui debeat, hoc non fieri debere ab ipſis Regibus qui læſi ſunt, ſed ab eo, cui jure naturæ competit univerſalis Monarchia?*

℞. Non, (1.) quia Monarchia univerſalis non datur. (2.) Si Monarcha univerſalis læderetur, ſe ipſum deberet in integrum reſtituere. Quanquam autem hæc ſententia non ſit admittenda, tamen ſi res dubia ſit, eorum opinio non videtur ſpernenda, qui volunt opus eſſe, ut fiat reſtitutio per arbitros compromiſſarios; hi enim interdum ju-

Grot. l. 2. c. 22. §. 13. n. 2. in fin. Conring. de fin. Imp. c. 19. §. 8. in fin. Feld. h. c. §. 1. Grot. l. 2. c. 23. §. 8. l. 2. c. 20. §. 46.

judices inter Reges ſunt.

VI. *An pacta, cum extraneis per tutores legitime inita, Rex ſub obtentu minorennitatis, poteſt revocare?*

l. 47. D. de min. Str. Ex. 8. th. 48. Puf. l. 8. c. 10. §. 3. aliter.

℞. Affirmatur, ſi æquitas & læſio ſit evidens. Prætextus enim minorennitatis ſolus non ſufficit; & qui cum ipſis contraxerunt, ſi ſecuri non ſint, ſibi imputent, quod in ſuo contractu non obſervaverint æqualitatem, quæ inter contrahentes obſervari debet: non enim ſufficit, ſi legitime contrahatur, i. e. ſecundum formam & ſolennitates juris, verum etiam omnis læſio abeſſe debet.

VII. *An exceptio metus, doli, læſionis &c. valet contra Capitulationes, quæ regibus limitatis præſcribi ſolent?*

Grot. l. 2. c. 5. §. 6. & 10. c. 11. §. 5. Limn. in proœm. ad Capit. Imper. & Reg. ſect. 2. n. 1. & ſeqq. Puf. l. 5. c. 10. §. 2.

℞. Non, (1.) quia reges qui jurant in Capitulationes, ſemper ſunt perfectæ ætatis. (2.) Si leges iſtæ nimis duræ videbantur, nemo erat qui regnum ſuſcipere cogebat. (3.) Populus non præſumitur adeo imprudens eſſe, ut regem ſuum ejuſmodi legibus velit adſtringere, quæ ſummum imperium reddant mancum, aut velut mobile.

VIII. *An ea, quæ hactenus dicta ſunt, ob-*

obtinent etiam in juramentis regum?

℞. Affirmatur, quia juramentum judicatur ex natura actus, cui accedit; ſi æquitas velit, ut iſte actus reſcindatur, juramentum, quod huic actui acceſſit, reſcindi poteſt, ſive antecedenter hoc fiat, ſive conſequenter Nec magis hic requiruntur diſtinctæ perſonæ, quam in reſtitutione in integrum, ubi rex ſeipſum, vel per arbitros reſtituit: nec præſupponitur in relaxatione juramenti, illud præſtitum eſſe ab inferiori, ſed præſupponitur juſtam ſubeſſe cauſam, ex qua fit relaxatio.

Bodin. l. 1. c. 8. Grot. aliter. h. c. §. 3. & Ziegl. h. l. Kulpis. h. c. §. 2. in fin. Jung. Rhet. Inſt. Jur. publ. l. 3. tit. 6. §. 5. p. 549.

IX. *An Rex obligatur in iis, quæ ſine cauſa antecedente promiſit?*

℞. Ita: Nam non minus ad reges, quam ad alios pertinet, quod promiſſa plena, abſoluta & acceptata jus transferant in acceptantem. vid. c. 11. §. 4.

Grot. h. c. §. 4. c. 11. §. 10.

X. *An valent à Regibus facta emtio & venditio ſine certo pretio, locatio & conductio ſine certa mercede?*

℞. Non; quia determinatio pretii in emtione, & expreſſio mercedis in locatione, non ſunt à jure civili, ſed à jure gentium, ex natura ipſorum horum

Ziegl. h. l. Grot. h. c. §. 5. paulo aliter, contra Vasq. 2.

contractuum; adeo ut ſi pretium in emtione non ſit determinatum, non ſit emtio, & ſi merces non ſit determinata in conductione, non ſit conductio, ſed tranſeat in aliud genus contractus.

Controv. Illuſtr. c. 51. n. 34. §. ult. Inſt. Mand. Pichard. ad ad §. 1. Inſt. de emt. vend.

XI. *Quando Rex cum ſubditis contrahit, an obligatur tantum naturaliter, an verò etiam civiliter?*

℞. Si per obligationem civilem intelligamus talem, quæ juri naturæ eſt conveniens, & quæ approbatur vel comprobatur à jure civili, civiliter obligatur: ſin per obligationem civilem intelligamus obligationem, quæ à lege civili vim coactivam accipit, Rex non obligatur civiliter, ne quidem tanquam membrum cœtus; quia licet ſit membrum cœtus, ſeu civitatis, tamen eſt tale membrum, in quod tranſlatum eſt jus integri, ſeu omnia jura reliquorum membrorum, adeo ut à reliquis, tanquam univerſis, obligari non poſſit, nec à ſeipſo, quia ſe ipſo ſuperior non eſt. Obligatur ergò Rex tantum naturaliter: ut tamen ex hac naturali obligatione naſcatur actio, ſcilicet, ut contrahens petere poſſit, & ſi Rex facere velit id quod conſcientia, honeſtas & æquitas dictant, etiam cum effectu.

Grot. h. c. §. 6. n. 2. Feld. h. c. §. 6.

Grot. l. 2. c. 4. §. 12. h. c. §. 5. ſed aliter.

fectu. Et hinc eſt, cur Reges ſoleant permittere, ut conveniantur in propriis tribunalibus, ut jus creditoris declaretur, licet exactio ſequi non poſſit, ſi ſponte ſententiæ ſatisfacere non velint; nam ſubditis cogere eum, cui ſunt ſubditi, non licet. *A.B. Cap. 5. & ibi Limnæus.*

XII. *An Rex ſubditis jus quæſitum auferre poteſt?*

℞. Affirmatur; & quidem duplici modo ipſis jus quæſitum auferre poteſt, aut in pœnam, aut ex vi ſupereminentis dominii: neque neceſſe eſt ſtricto jure, ut fiat compenſatio, quia Rex jure ſuo utitur. Vi enim eminentis dominii, de rebus privatorum, in utilitatem publicam, diſponere poteſt eo modo, quo paterfamilias de iis diſponit in utilitatem ſuæ familiæ. Licet æquitas ſuadeat, ut damnum, quod omnium cauſa quis ſuſtinuit, ab omnibus, in quorum commodum ceſſit id quod eſt impenſum, reſarciatur. Neque intereſt, utrum jus quæſitum ſit ex jure naturali, an ex jure civili, nam in utrumvis par jus eſt regis, nec hoc magis, quam illud, ſine cauſa tolli poteſt, aut ſi ſine cauſa hoc Rex faciat, haud dubie tenetur reparare damnum datum; facit enim contra *Grot. d. c. 14. §. 7.* *Fr. Horn. l. 2. c. 4. §. 20. Grot. d. l. aliter.* *Grot. c. 14. §. 8. Ziegl. h. l. & de jur. Maj. l. 1. c. 4. p. 99.*

tra verum jus ſubditi & contra jus naturæ, quod non patitur, ut alicui jus, legitimo modo partum, ſine cauſa & facto ſuo auferatur.

Grot. l. 2. c. 14. §. 8. in fin.

XIII. *An exterorum bona, quæ tempore neceſſitatis apud nos deprehenduntur, dominis ipſorum alibi exiſtentibus, vi ſupereminentis dominii, detineri poſſunt?*

Grot. l. 2. c. 2. §. 10. Boecl. in com. d. c. 2. §. 10. Horn. l. 2. c. 4. §. 19. Conring. de Fin. Imp. c. 19. §. 6.

℞. Verior eſt affirmantium opinio, quia extrema neceſſitas aliàs ex jure humanitatis facit, ut alterius rem occupare poſſim, quæ non eſt in meo territoriuo; multo magis ergo, ſi talis res inveniatur in meo territorio, & intra meam jurisdictionem. Quo accedunt exempla populorum ita ſentientium.

XIV. *An contractus Regum ſunt leges?*

Grot. d. c. 14. §. 9. Feld. h. l. aliter.

℞. Non, quia ex promiſſis & contractibus jus naſcitur adverſus regem, non ex legibus; & ſi has revocet, nemini facit injuriam. Quædam tamen ex legibus & contractibus mixta eſſe poſſunt, ut contractus cum vicino Rege, aut cum publicano factus, qui ſimul pro lege publicatur, quatenus ei inſunt, quæ ſubditis obſervanda ſunt.

XV. *An ex Regum contractibus*

te-

tenentur ſucceſſores?

℞. Si ſint ſucceſſores omnium bonorum, & ſimul regni hæredes, ut in regno patrimoniali, quin promiſſis & contractibus teneantur, dubitandum non eſt; pro debitis enim, etiam perſonalibus, bona defuncti, reſpectu quorum dicimur creditores vel debitores, ut obligata ſint, ipſi rerum dominio coævum eſt: ſi verò ſint ſucceſſores tantum in jus regni, ut in regno non patrimoniali, vel electitio, vel ſucceſſivo, directè quidem & immediatè hi ſucceſſores, quà tales, non obligantur, quia jus non accipiunt ab eo, qui proxime deceſſit, ſed à populo: obligantur tamen per interpoſitam civitatem, quatenus imperium transferendo, civitas facultatem quoque regi conceſſiſſe videtur ſe obligandi, tanquam capiti ſuo. Nam in moralibus qui dat finem, dat ea, quæ ad finem perducunt; ſine enim hac facultate obligandi populum, regi nullum eſt medium expediendi negotia, ſive in ipſa civitate, ſive cum exteris: ſi ſunt ſucceſſores partim in bona, in jus verò regni in ſolidum, promiſſa & contractus reſpectu ipſorum bonorum, in quæ ſucceſſerunt, omnino ſervare debent;

Grot. d. c. 14. §. 10. & c. 21. §. 19.

l. 2. c. 5. §. 17. Boecl. de eo quod. civ. egit. §. 42. uſque ad 48.

bent: quæ vero promiſſa & contractus iſta bona non reſpiciunt, in iis obſervanda moda dicta diſtinctio, ſcilicet quod per interpoſitam civitatem obligentur.

XVI. *Quouſque hæc poteſtas populum obligandi ſe extendit?*

Grot. d. c. 14. §. 12. & c. 9. §. 8. n. 1. & 2. Carpz. de leg. reg. c. 13. ſect. 2. n. 13. in fin.

℟. Hæc poteſtas populum obligandi non abit in infinitum; neque enim obligandi infinita poteſtas ad imperium recte exercendum neceſſaria eſt, ſed requiritur, ut rex habeat probabilem rationem: quod in dubio, ob regentium auctoritatem, præſumi debet, ſive poſtmodum exitus reſpondeat conſilio & rationi regis, ſive non reſpondeat. Non enim exitus in hac re, ſed probabilis ratio rei gerendæ, ſpectanda eſt, quæ ſi adſit, & populus ipſe obligatur, ſi quo caſu ſui juris eſſe cœperit, & ſucceſſores, ut populi capita. Sicut &, ſi quid populus liber contraxiſſet, obligaretur is, qui poſtea regnum pleniſſimo jure à populo acciperet. An verò, ſi talem populum bello Rex ſubegiſſet, idem obtinere debeat, vid. cap. 9.

Ziegl. h. c. §. 12.

XVII. *Cur hæc poteſtas populum obligandi non judicatur ex eventu?*

Grot. d. c. 14. §. 12. n. 1.

℟. Reip. non expedit, imò periculo-

culoſum eſſet, ad tales anguſtias reipublicæ imperantem velle adigere. Facile enim inde oriri poſſet confuſio; dum actum utiliter modò geſtum aſſererent, modò negarent, ut ſic nulla contrahentibus eſſet ſecuritas.

XVIII. *An ſi contractus incipiat vergere ad publicam perniciem, declarari poteſt nullus, quaſi factus ſub conditione, ſine qua juſte fieri non poteſt?*

℞. Difficilis & periculoſa eſt hæc declaratio, ubi cum exteris agitur, qui bona fide contraxerunt, & nullo jure caſus Reip. ferre coguntur; imò, ſi talis conditio ſubintelligeretur, quis unquam exterorum certus eſſet de ſuo contractu, & quis cum alio rege vel populo contracturus eſſet? Grot. d. c. 14. §. 12. n. 4. aliter.

XIX. *An contractus valent, ſi pertineant ad alienationem regni, ejusve partis aut regalis patrimonii, quatenus id regi non eſt permiſſum?*

℞. Non, quia facti ſunt de re aliena. Tantundem erit in regnis reſtrictis, ſi quam materiam aut actuum genus populus à poteſtate regia exceperit. Nam, ut tales actus valeant, populi per ſe, aut per eos, qui populum legitime re- Grot. a 14. §. 14. n. 6.

fe-

ſerunt, conſenſus requiritur, ut ſuprà dictum, cap. 6.

XX. *An beneficia principum, quæ liberaliter ſunt conceſſa, ſemper poſſunt revocari?*

Grot. d. c. 14. §. 13. Tabor. de oblig. ſucceſſ. in off. c. 5. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 12. p. 237. Inſt. Jur. Publ. p. 484. & ſeqq.

℟. Donationes, beneficia & privilegia, ſi probabilem habeant rationem, ſine juſta cauſa, nec à concedente, nec à ſucceſſore, revocari poſſunt, niſi adſit precarii clauſula, quia imperantes hoc in caſu habent facultatem concedendi, & alii habent jus ſeu facultatem acquirendi, ita ut jus ſemel acquiſitum ſine juſta cauſa iis citra injuriam auferri non poſſit. Privilegia tamen, quæ vinculum duntaxat legis demunt, ſine ullo contractu, [ut ſi quem Princeps eximeret ex numero eorum, qui neceſſarias collectas ſolvunt] revocabilia ſunt, quia hîc nullum jus quæſitum eſt adverſus legis auctorem, & lex ſublata reponi poteſt.

XXI. *An populi tenentur contractibus eorum, qui imperium invaſerunt?*

Grot. d. c. 14. aliter. & Kulpis l. l.

℟. Deciſio omnino difficilis eſt: nobis videtur dicendum, quod, ſi (ſimulac invaſerunt imperium, & populus reſiſtendi animum depoſuit) majeſtatem ſtatim conſequantur, citra omne pactum expreſſum, & quod, ſi ipſis

ſolis

ſolis inſit jus integri, populum efficaciter obligare poſſint; modus enim acquirendi jus non poteſt mutare ipſum jus acquiſitum, ſeu rem ipſam.

XXII. *At modus eſt illegitimus?*

℞. Poſtquam populus depoſuit reſiſtendi animum, rex eſt legitimus, à Deo tali modo conſtitutus, qui reſpectu hominum illegitimus eſt, reſpectu Dei verò legitimus: ſolus enim Deus reges imponit & deponit iis modis, quibus ipſi viſum fuerit. Minùs dubitamus, ſi aliquis invaſor juſtam bellandi cauſam habuerit; hujus enim contractus, ſi probabilem cauſam habeant, æque erunt ſervandi, ac ſi is per ſucceſſionem vel electionem ad regnum perveniſſet.

Boecl. de eo quod civit. egit. p.9.& ſeqq. Text. c.23. n.10. conf. l.1.c. 4.§.15.& ſeqq.

CAPUT XV.

De fœderibus & ſponſionibus.

I. *Quid ſint conventiones publicæ.*
II. *Quotuplices.*
III. *Quid ſit fœdus.*
IV. *Qui jus faciendi fœderis habeant.*
V. *An tyrannus.*
VI. *An rex regno pulſus.*
VII. *Fœdera quomodo dividantur.*
VIII. *Quotuplicia ſint fœdera, quæ juri naturæ aliquid addunt, quid æqualia, quid inæqualia. Æqualia quotuplicia ſint.*
IX. *Quotuplicia ſint inæqualia.*
X. *An fœdera cum his, qui à vera religione alieni ſunt, licita ſint.*
XI. *An cum atheis.*
XII. *Si plures fœderatorum bella gerant, cui potius auxilium ſit ferendum.*
XIII. *An fœdus tacite renovatum cenſeatur.*

XIV. *An partis alterius perfidia alteram à fœdere liberet.*
XV. *Quid ſit ſponſio.*
XVI. *Quotuplex.*
XVII. *Quid ſi ſponſio à rege aut civitate improbetur.*
XVIII. *An ſponſio obliget ſummam poteſtatem ex notitia & ſilentio.*

I. *Quid ſunt conventiones publicæ?*

Grot. l. 2. c. 15. §. 1.

Publicæ conventiones ſunt, quæ niſi jure imperii majoris aut minoris, fieri nequeunt. qua nota non tantum à contractibus privatorum differunt; ſed & â contractibus regum circa negotia privata.

II. *Quotuplices ſunt?*

Grot. d. c. 15. §. 2.

℞. Sunt vel fœdera, vel ſponſiones, vel pactiones aliæ.

III. *Quid eſt fœdus?*

Grot. l. 2. c. 15. §. 1. & 9. n. 2.

℞. Fœdus eſt conventio publica, ab iis qui majeſtatem habent, in communem vel alterius utilitatem, facta.

IV. *Quinam habent jus faciendi fœdus?*

d. c. 15. §. 3. n. 1. in fin. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 38. p. 684. Inſtr. Pac. art. 8. n. 2. Cap. Leop. & Joſeph. art. 10. Inſtr. Pac. d. art. n. 2. in fin. Inſt. Jur. Publ. p.

℞. In regnis regum eſt facere fœdus, in aliis civitatibus eorum, penes quos eſt majeſtas, vel exercitium hujus juris; leges enim fundamentales, ut in aliis, ita & in hoc jure, ſemper ſunt inſpiciendæ. Sic in Imperio Romano-Germanico, ſecundum diſpoſitionem Inſtrumenti Pacis, fœdera nomine Imperii in comitiis fieri debent: ſed juxta Capitulationem Leopoldi & Joſephi,

phi, in caſu neceſſitatis, Electores eum Imperatore de facto hoc jus ſibi ſolis fecerunt commune. Status Imperii fœdera faciunt ratione ſuorum territoriorum, etiam inconſulto Imperatore.

450. in fin. Kulpis. add. Monz. p. 2. c. 5. §. 8. p. 87. in fin.

V. *Quid dicendum de tyranno, an fœdus facere poteſt?*

℞. Si majeſtatem habeat, poteſt, ſi non habeat, non poteſt. Vide cap. præced. quæſt. ult.

VI. *Quid de rege regno pulſo?*

℞. Si jus regni penes ipſum maneat, poteſt, utcunque poſſeſſionem amiſerit: ſi jus regni penes ipſum non maneat, non poteſt.

Grot. l. 1. c. 4. §. 15. & 16.

VII. *Quotuplicia ſunt fœdera?*

℞. Alia (1.) idem conſtituunt, quod juris eſt naturalis, ut de ſimplici humanitate invicem exercenda, vel de non inferenda noxa. Hæc fœdera omnino ſunt neceſſaria & utilia; quia quamvis natura cognationem inter omnes homines conſtituerit, & nefas ſit, alterum ab altero lædi, tamen apud plures homines, imò apud integros populos, malis moribus hæc jura ſunt obliterata, ita ut latrocinari & prædas agere in extraneos, nullo bello indicto, pro licito habeatur. De cætero

Grot. l. 2. c. 16. §. 17. Boecl. de eo quod civit. egit, p. 10. & 11. Grot. d. c. 15. §. 5. n. 1. & l. 3. c. 3. §. 2. n. 3.

d. c. 15. §. 5. n. 1. in fin. l. 1, D. de

cond. ob turp. cauſ. Puf. l. 8. c. 4. §. 2. in med. vid. tamen l. 50. D. de pact. Obrecht. de ſponſ. pac. c. 1. §. 3.

tero pudere propemodum debet homines cultos, pactum inire, cujus capita nihil aliud continent, quam ne ſimpliciter & directe jus naturæ violetur. Huc tamen non ſemper referri debet, ut utrinque jus hoſpitii aut jus commercii ſit; quamvis enim hæc debeantur ex humanitate, tamen non ita ſunt definita, ut nunquam ulteriori determinatione, quæ pactis & fœderibus fieri debet, opus habeant. vid. lib. 2. c. 2. Alia (2.) juri naturæ aliquid adjiciunt.

VIII. *Quotuplicia ſunt fœdera, quæ juri naturæ aliquid adjiciunt?*

℞. Alia ſunt æqualia, quæ utrinque eodem modo ſe habent; alia inæqualia, quæ ſe habent modo inæquali. Utriuſque modi fœdera pacis aut ſocietatis alicujus gratia fiunt. Æqualia fœdera pacis ſunt ea, quæ v. g. de reſtituendis captivis, rebus captis &c. pacis & ſecuritatis gratia conveniri ſolent. Æqualia ſocietatis aut ad commercia pertinent, aut ad belli communitatem, aut ad res alias. Æquales de commerciis pactiones variæ eſſe poſſunt, puta ne utrinque vectigal ullum ſolvatur, aut ne majus ſolvatur, quam in præſens, aut ad certam quantitatem. Sic in bellica ſocietate,

d. c. 15. §. 6. n. 1. & 2.

tate, ut auxilia præſtentur paria equitum, peditum, navium, ſive ad omne bellum, ſive ad certum, aut contra incertos hoſtes, aut in omnes quidem, ſed exceptis ſociis. Ad alias res pertinent, ut ne in confinio alterius alter arces habeat, ne iter alterius hoſti præbeat &c.

IX. *Quotuplicia ſunt inæqualia?*

℞. In fœderibus inæqualia promittuntur aut ex parte digniore, aut ex parte minus digna. Ex parte digniore, ut ſi quis auxilia promittat, nec reſtipuletur, aut ſi majora promittat: ex parte indigniore inæqualia ſunt aut cum imminutione ſummi imperii, aut ſine ejus imminutione. Cum imminutione ſummi imperii ſunt iſta, quæ & facultatem & voluntatem, proprio arbitrio hoc vel illud in ſuo territorio faciendi communicant aut adimunt, e. g. ne quis bellum gerat injuſſu alterius. Quicunque enim mihi præcipere & me jubere poteſt, me eſt ſuperior, omniſque mea agendi & voluntas & facultas ex ipſius arbitrio pendet. Sine imminutione ſummi imperii, cum facultas quidem retinetur, ſed voluntas certo modo determinatur ex alterius voluntate, e. g. ſi quis promittat, ſe

d. c. 15. §. 7.

l. 1. c. 3. §. 16. n. 2.

Grot. l. 1. c. 3. §. 21. n. 1. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 1. p. 35.

ſe alterius majeſtatem comiter culturum; retinet enim & tunc ipſe majeſtatem, licet exercitium certo modo à promiſſione ſua, non autem à vi ſuperioris determinetur. Item, ut hoſtes vel amici habeantur illi, quos velit partium altera: utraque enim pars retinet majeſtatem circa bellum & pacem; licet ex mutua promiſſione voluntas majeſtatem exercendi ſit determinata. Item, quod quis in certis locis non velit conſcribere militem, arcem exſtruere &c. Retinet enim jus conſcribendi militem, arcem exſtruendi &c. licet exercitium ad certum locum reſtringatur. Poſſunt autem talia fœdera contrahi, non tantum inter victores & victos, ſed & inter potentiores & impotentiores, etiam tales, qui bello inter ſe experti non ſunt.

d. c. 15. §. §. 7. n. 4.

X. *Licetne fœdus inire cum iis, qui à vera religione alieni ſunt?*

℞. Licet; quia cum omni eo, cum quo eſt juris naturæ communio, ſicut alias conventiones, ita & fœdera inire licet, & jus naturæ ita omnibus hominibus commune eſt, ut religionis diſcrimen non admittat. Imo ipſi Hebræi talia fœdera inierunt; ipſi Impera-

Grot. d. c. 15. §. 8. & 9. n. 1. c. 2. §. 11. n. 1. & 2. Limn. ad Cap. Car. V. p. 101. Textor. c. 23. §. 13. & 14.

peratores noſtri & ſummi Pontifices. Volunt tamen Doctores, ſequentia obſervari: (1.) ut ſit caſus ſummæ neceſſitatis, (2.) ne id fiat contra fideles & Chriſtianam religionem, (3.) cavendum, ne profanæ opes inde magnum incrementum accipiant.

Oſ. b. l. Reink. de Reg. Sec. & Eccl. l. 2. cl. 3. c. 3. p. 1030. aliter. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 38. p. 652. aliter.

XI. *An cum atheis?*

℟. Cum athei retineant communionem juris naturæ, non videmus, cur non poſſint fœdera contrahere; imo licet jurare non poſſint, quia Deum nolunt credere (tametſi conſcientia aliud dictet) tamen cum in fœderibus neceſſario juramenta non requirantur, ab hoc jure Athei excludendi non ſunt. Utrum autem conſultum ſit, nec ne, fœdus cum ipſis facere, eſt quæſtio prudentiæ civilis: & fortè non magis conſultum eſt, fœdus cum Atheis contrahere, quàm cum perfidis, quia hi quamvis jus naturæ habeant, tamen ea, quæ ſunt juris naturæ, non faciunt, & ſic ipſorum promiſſiones non ſunt ſecuræ.

Ziegl. b. aliter. Textor. c. 27. §. 73. & 74. Grot. l. 2. c. 20. §. 46. n. 4. conf. Gisbert. Voet. de Atheiſmo.

XII. *Si quis fœderatus ſit pluribus, qui bellum gerunt, cuinam auxilium ferre debet?*

℟. Ad injuſta bella nulla eſt obligatio, quare qui fœderatorum juſtam ha-

d. c. 15. §. 13. n. 1. Alber. Gent. l. 3. c. 10. p. 637.

habet belli cauſam, præferendus eſt cæteris, ſi cum extraneo res ſit: imò etiamſi ſit cum alio fœderato; niſi convenerit, ne adverſus eum auxilia mittere liceat. Quod ſi fœderati inter ſe committantur, ex cauſis utrinque injuſtis, utraque parte abſtinendum erit. Si in alios bellent, juſta quiſque de cauſa, & utrique auxilia mitti poſſint, puta in milite, aut in pecunia, mittenda erunt. At ſi ipſius, qui promiſit, præſentia requiratur, quæ individua eſt, tunc præferendus eſt is, cum quo eſt antiquius fœdus; modò poſterius fœdus non contineat quaſi imperii translationem, puta ſubiectionis aliquid, ſeu deditionis. Nam & ſimili modo dicimus in venditione priorem præferri, niſi in poſteriorem emtorem dominium ſit tranſlatum.

Grot. d. c. 15. §. 15. n. 4. & l. 1. c. 3. §. 8. n. 3. l. 2. c. 12. §. 15. n. 2.

XIII. *An finito tempore fœdus tacite renovatum cenſetur?*

R. Finito tempore fœderi adjecto, hoc ipſum quoque finitur, quod tacite renovatum non intelligitur. Nemo enim præſumitur, ad novum onus ſeſe voluiſſe adſtringere, vel nimium coarctare libertatem agendi quæ vult; niſi ſint tales actus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt, e. g. ſi quis tem-

Grot. d. c. 15. §. 14. c. 16. §. 14. in fin. & §. 16. n. 3. in fin. Puf. l. 8. c. 9. §. 11. Text. c. 25. §. 17. Kulpis h. c. §. 4. Ziegl. de jur. maj.

tempore fœderis præterlapſo, efflagitet auxilium ex fœdere, & fœderatus non ignarus, tempus jam effluxiſſe, illud præſtet, videtur tacite renovaſſe fœdus, quia hic actus non videtur aliam interpretationem recipere, quàm renovati fœderis, quamdiu id durat. Nam ultra id tempus ne quidem tacite videntur ſe obligaſſe; imó priori tempore videtur hic actus potiùs eſſe ſignum benevolentiæ & amicitiæ (quæ etiam finito tempore durat) quàm renovati fœderis; vel ſi fœdus renovatum dicamus, hæc renovatio complectitur ſub ſe omnia capitula fœderis prioris, & qui hoc vel illud capitulum non comprehendi dicit, contra ipſum eſt præſumtio in contrarium.

l. 1. c. 38. §. 10. p. 654. in fin. & in comment. h. c. §. 14.

Text. d. c. 25. §. 18.

XIV. *Si pars una fœdus violaverit, an alteri licet à fœdere diſcedere?*

℞. Affirmatur; nam ſingula fœderis capita vim habent tacitæ conditionis: niſi expreſſè aliter convenerit; quod fieri interdum ſolet, ne ob quaſvis offenſas diſcedere liceat à fœdere, ſed ut priùs provocetur ad arbitros, aut pœna adjecta præſtetur; vel etiam hoc in caſu altera pars non tenetur præſtare id quod capiti ab una parte neglecto reſpondet.

Grot. d. c. 15. §. 15. l. 3. c. 20. §. 35. l. 1. c. 3. §. 16. n. 5. in fin. Inſt. Pac. art. 17 §. 5. & 6. Pac. Neom. art. ult.

XV. *Quid eſt ſponſio?*

Grot. d. c. 15. §. 3. ℞. Sponſio eſt conventio publica, quæ à miniſtro ſummæ poteſtatis, circa negotium ad eandem ſpectans, ſine ipſius mandato initur.

XVI. *Quotuplex eſt ſponſio?*

d. c. 15. §. 16. ℞. Sponſionum ſpecies tot poſſunt eſſe, quot ſunt fœderum, & diſtant à fœderibus perſonarum facientium poteſtate.

XVII. *Si improbetur à rege aut civitate ſponſio quid juris?*

Grot. d. c. 15. §. 16. n. 1. & 4. ℞. Sive ſponſio purè ſit facta, citra adjectam conditionem ratihabitionis faciendæ à ſumma poteſtate, ſive non purè, populus nullam in partem obligatur: ſed priori caſu ſponſorum bona primum obligantur ad id quod intereſt, ſponſionem ratam haberi; & ſi ea non ſufficiant, ſponſor eſt dedendus, ut is cui debetur, videat, quomodo capienda ſit ſatisfactio ab eo, qui ipſum inanibus pactis decepit.

XVIII. *An ſponſio obligat ſummam poteſtatem ex notitia & ſilentio?*

Grot. d. c. 15 §. 17. n. 2. Ziegl. h. l. ℞. Præter notitiam & ſilentium, res aliqua accedere debet, ſeu ſignum externum, ex quo ratihabitio inducatur, e. g. verba vel factum ad impletionem ſponſionis tendens; nam ſine ſigno ex-

externo, aut facto aliquo, ſilentium non ſatis probabilem voluntatis conjecturam ſuppeditat.

CAPUT XVI.

De interpretatione.

I. *Cum interni actus per ſe ſpectabiles non ſint, quomodo promiſſa exteriùs obligent.*

II. *Quid ſit interpretatio.*

III. *Quotuplex.*

IV. *Quæ ſit menſura rectæ interpretationis.*

V. *Quotuplicia ſint ſigna, ex quibus mens colligitur.*

VI. *Verba quomodo ſint intelligenda.*

VII. *Quando conjecturis opus ſit.*

VIII. *Ex quibus locis conjecturæ voluntatis depromantur.*

IX. *Conjuncta quotuplicia ſint.*

X. *Quotuplicia ſint ea quæ promittuntur. Quid favorabilia: quid odioſa: quid mixta.*

XI. *Quomodo verba ſint explicanda in non odioſis.*

XII. *Quomodo in favorabilibus.*

XIII. *Quomodo in odioſis.*

XIV. *An ſociorum nomine tantum intelligantur præſentes, aut etiam futuri.*

XV. *An ergo novus ſocius contra primum fœderatum defendi vel adjuvari poſſit.*

XVI. *Si convenerit, ne alter fœderatorum, alterius injuſſu, bellum gerere poſſit, quale bellum intelligatur.*

XVII. *Præmium promiſſum illi qui primus aliquid fecerit, ſi plures ſimul faciant, cui debeatur.*

XVIII. *Quomodo pacta & fœdera realia diſtinguantur à perſonalibus.*

XIX. *An perſona fœderi adjecta ſemper faciat fœdus perſonale. In dubio, qualia cenſeantur eſſe fœdera, an perſonalia, an realia.*

XX. *An omnes ſocietates morte finiantur, & an fœdera ad Regum ſucceſſores tranſeant, cum juramenti vis perſonam non exeat.*

XXI. *An fœdus, cum Rege initum, extendatur ad Regem regno pulſum.*

XXII. *An ad regem in vaſorem.*

XXIII. *Quodnam ſit aliud interpretandi genus, ex conjecturis ſcilicet, extra verborum ſignificationem.*

XXIV. *An extendens interpretatio facile procedat.*

dat.
XXV. *Quando locum habeat.*
XXVI. *An mandatum per aliud æque utile impleri poſſit.*
XXVII. *Interpretatio reſtringens unde petatur, extra ſignificationem verborum.*
XXVIII. *Quid ſi res comprehendatur ſub ratione, ſecundum potentiam moraliter conſideratam.*
XXIX. *An promiſſa in ſe habeant tacitam conditionem, ſi res maneant eo quo ſunt loco.*
XXX. *Quot modis dijudicari poſſit, utrum caſus poſtea emergens pugnet cum voluntate aliquid in genere conſtituentis. Quid primum ejus repugnantiæ ſit ſignum.*
XXXI. *Quid ſecundum.*
XXXII. *An ſervanda promiſſa, quæ iis, quibus facta, inutilia ſunt, aut plus nocent promittenti, quàm alteri proſint.*
XXXIII. *Quæ ſint alia ejus repugnantiæ ſigna.*
XXXIV. *An ſcriptura in dubio ad contractus validitatem requiratur.*
XXXV. *Regum contractus an ex jure Romano ſint interpretandi.*
XXXVI. *An verba conditionem offerentis, an acceptantis, magis ſint ſpectanda.*
XXXVII. *Antequam accepta ſit conditio, an teneatur is qui obtulit.*

I. *Cum interni actus per ſe ſpectabiles non ſint, quomodo ſtatuetur aliquid certi, ne nulla ſit obligatio ex promiſſis & contractibus, ſi quiſque poſſit ſe liberare, ſenſum ſibi affingendo, quem vellet?*

Grot. l. 2. c. 16. § 1. Puf. l. 5. c. 12. § 2.

Grot. c. 12. § 8.

R. Ipſa dictante naturali ratione, jus eſt ei, cui quid promiſſum eſt, promiſſorem cogere ad id, quod recta interpretatio ſuggerit. Quia enim leges, promiſſiones, & pacta inter homines ſunt recepta, ut ordo in ſocietate rationali, & æqualitas inter homines conſervetur, legiſlator, promitten-

tentes, atque paciſcentes, mentem ſuam aperire debent ſignis externis inter homines receptis, & ad id conſtitutis; actus enim interni non apti ſunt ad ſocietatem, & mente ſic aperta, alteri jus perfectum acquiritur, alias enim, cum homo ſit animal fallax, ſi ſemper aliam atque aliam mentem verbis affingere poſſet, res nunquam exitum haberet, quod in moralibus pro impoſſibili habetur.

II. *Quid eſt interpretatio?*

℞. Interpretatio eſt ſignorum externorum, quibus mentem noſtram indicamus, æqua & commoda ad eandem accommodatio.

III. *Quotuplex eſt interpretatio?*

℞. Eſt triplex; declarativa ſeu ſimplex, extenſiva & reſtrictiva. *Grot. d. c. 16. §. 2. & 20.*

IV. *Quæ eſt menſura rectæ interpretationis?*

℞. Collectio mentis ex ſignis maximè probabilibus. *Grot. d. c. 16. §. 1. n. 2. Feld. h. c. §. 1. n. 2.*

V. *Quotuplicia ea ſunt?*

℞. Sunt duplicia, verba ſcilicet & conjecturæ aliæ, quæ ſeorſim conſiderantur, aut conjunctim.

VI. *Quomodo ſunt intelligenda verba?*

℞. Si nulla ſit conjectura, quæ ducat aliò, verba intelligenda ſunt ex proprie- *Grot. d. c. 16. §. 2. & 3. l. 3. c. 1. §. 8. n. 1.*

prietate, non Grammatica, quæ eſt ex origine, ſed populari ex uſu, ſeu tali quem uſus communis ipſis impoſuit,

Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

Sic, ſi quis juret, ſe pactis ſtaturum, quamdiu hanc terram inſiſtat, terram calceamentis fortè injectam non intelligimus. In artium vocabulis, quæ populus vix capit, adhibenda erit artis cujusque prudentum definitio; e. g. ſi in fœdere aliquo cautum ſit, ne quis cum exercitu alterius fines tranſeat, videndum, quanta manus & quot copiæ apud prudentes, reſpectu habito tum ad vires hoſtium, tum ad proprias, exercitum conſtituant. Et ſi artium vocabula à diverſis diverſimode definiantur, expedit ad præſcindendas lites, ut popularibus verbis exprimatur, in quonam ſignificatu iſta vox eo loco capiatur.

Puf. l. 5. c. 12. § 4. in pr. & fin.

VII. *Quando opus eſt conjecturis aſſumtis?*

d. c. 16. § 4.

R. (1.) Cum verba aut verborum complexio plures recipiunt ſignificationes, & (2.) quoties in pactis eſt ſpecies quædam repugnantiæ. Si enim certa ſit pugna, tunc id, quod poſterius inter contrahentes placuit, derogabit prio-

priori: quia uno tempore nemo contraria potuit voluiſſe, & ea natura eſt actuum, qui à voluntate pendent, ut novo actu voluntatis diſcedi inde poſſit.

VIII. *Ex quibus locis depromuntur conjecturæ voluntatis?*

℞. Quamvis conjecturæ interdum ita ſint evidentes, ut ſponte ſe ingerant, etiam contra receptiorem verborum ſignificationem: plerumque tamen voluntatem conjicimus vel (1.) ex materia, ut ſcil. res pro materia ſubſtrata intelligatur. Sic, ſi convenerit, ne alter alteri arma inferat, intelligimus milites & exercitum; ſi autem convenerit, in deditione præſidii, de tradendis armis, militibus diſcedendi facultas conceditur, inſtrumentis bellicis relictis. Vel (2.) ex effectu. Nam ne ſignificatio poſt ſe trahat effectum à ratione alienum vel abſurdum, à receptiore ſenſu pauliſper erit deflectendum, ut evitetur nullitas aut obſcuritas. Ex. gr. ſi ſtatutum eſſet, ut quicunque in platea alteri ſanguinem elicuerit, graviſſimas pænas daret, ex hac lege chirurgus, qui alicui venam in platea ſecat, conveniri non poteſt. Sic, ſi quis hæredem aliquem ſcribat, ad-

Grot. d. c. 16. § 4. n. 2. & § 5.

Puf. l. 5. c. 12. § 8. in med.

Puf. d. c. 12. §. 5. in fin. addita clauſula, ut tertio alicui det ea quæ ipſe velit, non cogitur totam hæreditatem huic tertio reſtituere. Vel (3.) ex conjunctis.

IX. *Conjuncta quotuplicia ſunt?*

Grot. d. c. 16. §. 7. ℞. Conjuncta ſunt aut (1.) origine, quando ejuſdem auctoris ſententia ex alio quodam Tractatu præcedente explicatur, ut ſi quis uno in loco clare mentem ſuam circa rem quampiam expreſſerit, alio quoque loco & tempore ſibi conſtare præſumitur: niſi mutatio expreſſe appareat; nam in dubio voluntas ſibi creditur conſentiens. Sic, *l. 115. in pr. de V. O* ſi quis promittat alicui triticum vel vinum, ſine expreſſione quantitatis vel qualitatis, promiſſio non valet, niſi ex tractatu prius habito appareat, de certo genere certaque quantitate tritici vel vini cogitatum & actum eſſe. Aut etiam (2.) loco, cum ſcil. ex e- *l. 9. §. 5. verſ. & l. 7. eet. D. de jur. & fact. ign. Suarez. de leg. l. 6. c. 5. & ſeqq.* juſdem loci antecedentibus & conſequentibus interpretatio deſumitur; ut, ſi in aliqua lege exemplum exprimatur, definitio autem generalis vel antecedat, vel ſequatur, lex non tantum de exemplo expreſſo, verum de omnibus aliis, quæ ſub tali definitione comprehenduntur, eſt intelligenda. Ad ea, quæ loco conjuncta ſunt, potiſſi-

tiſſimum refertur ratio legis, (quam cum mente multi confundunt, cum tamen ea ſit ex indiciis, quibus mentem venamur) quæ ſi unica ſubſit, ad voluntatem movendam, ceſſante tali ratione, ceſſat voluntas. Sic leges, quæ loquuntur de donatione propter nuptias, ſemper intelligendæ ſunt ſub conditione, ſi nuptiæ ſequantur. Si verò ſint plures rationes, non ſtatim, ceſſante una tota quoque lex ceſſat. *Grot. d. c. 16. §. 8.*

X. *Ea quæ promittuntur, quotuplicia ſunt?*

℞. Alia ſunt favorabilia, alia odioſa, alia mixta; ſive media. Favorabilia ſunt, quæ æqualitatem in ſe habent, quæque communem utilitatem ſpectant, ſocietatem & quoslibet actus & jura conſervant. Quæ utilitas quo major eſt, & quo latiùs patet, eo major eſt promiſſi favor. Sic, eorum quæ ad pacem faciunt, major eſt favor, quàm quæ ad bellum; & belli defenſivi major, quàm offenſivi. Odioſa contrà ſunt, quæ unam tantum partem, aut unam magis, quàm alteram gravant, ut quæ ſocietatis deſtructionem, pœnam, juris ſui remiſſionem &c. continent, vel quæ actus quoſdam faciunt irritos, aut de prioribus aliquid immutant. *Grot. d. c. 16. §. 10.*

Quod ſi autem aliquid ſit mixtum, puta tale, per quod priora quidem immutantur (dummodo id fiat pacis cauſa) id pro magnitudine boni aut mutationis, modò odioſum, modò favorabile cenſebitur: ita tamen, ut cæteris paribus favor cenſeatur prior & potior.

XI. *Quæ regulæ ſunt tenendæ circa interpretationem & ſignificationem promiſſorum, in non odioſis?*

Grot. d. c. 16. §. 11. ℞. In non odioſis ſumenda ſunt verba ſecundum totam proprietatem uſûs popularis: & ſi plures ejuſdem vocis ſint ſignificationes in populari uſu, illa eſt ſumenda, quæ eſt latiſſima. Sic, jung. d. c. 16. §. 9. maſculinum ſumitur pro genere communi, ſeu ſub ſe comprehendit fœmininum. Sic, ſi convenerit, ut alter Puf. l. 5. c. 12. §. 13. in alterius territorio quaslibet feras venari poſſit, ut tamen cervi excipiantur, etiam cervæ intelliguntur. Indefinita locutio pro univerſali habetur. Sic ſi convenerit, ut utrinque captivi reſtituantur, intelligendum hoc erit de omnibus & ſingulis Captivis.

XII. *Quomodo verba ſumenda ſunt in favorabilibus?*

℞. Laxiùs verba ſunt ſumenda, ut

etiam

etiam includant ſignificationem artis, aut quam lex dedit, ſi loquens utatur conſilio eorum qui jus intelligunt. Ad ſignificationes vocis plane improprias non eſt recurrendum, niſi alioquin abſurdum, aut inutilitas pacti legiſve ſequeretur: quia natura talium negotiorum requirit, ut clare & perſpicue ſenſa animi exprimantur, & regulariter quilibet hoc præſumitur facere. Contrà, verba etiam ſtrictiùs, quàm aliàs ipſorum proprietas requirit, erunt intelligenda, ſi quidem id neceſſarium fuerit ad vitandam iniquitatem aut abſurditatem. Si hoc non ſit neceſſarium, verba intra proprietatem ſumenda ſunt, ita tamen, ut ſi utilitas ſit in reſtrictione, ſubſiſtendum ſit inter arctiſſimos terminos propriæ ſignificationis; niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant. *Grot. d. c. 16. §. 12. n. 2. Puf. d. c. 12. §. 13. In med.*

XIII. *Quomodo in odioſis?*

℞. In odioſis etiam ſermo figuratus aliquantulum poteſt admitti, ut onus vitetur. Inde in donatione & juris ſui ceſſione verba, quantumvis generalia, reſtringi ſolent ad ea, de quibus veroſimile eſt fuiſſe cogitatum. Sic auxilia, promiſſa ab una tantum parte, intelliguntur impendiis ejus deberi, qui poſtulabit. Sic fœdus initum pro defen- *Grot. d. c. 16. §. 12. n. 3. Puf. d. §. 13.*

fenſione ditionis, domino in poſſeſſione exiſtente, non extenditur ad eandem recuperandam, poſtquam iſte fuit ejectus.

XIV. *Si convenerit in fœdere, ut utriuſque populi ſocii ab utroque populo tuti ſint, an tantum ſocii, qui fuerunt tempore fœderis, an & futuri intelliguntur?*

Grot. c. 16. §. 13. n. 1. l. 3. c. 20. §. 33. Ziegl. h. l.

℞. Verbum *Socii*, & ſtrictam illam de iis, qui erant fœderis tempore; & ampliorem alteram ſignificationem, quæ ad futuros quoque ſocios porrigitur, recipere poteſt ſalva ratione recti ſermonis. In hoc fœdere, ſecundum regulas antè traditas, futuri non intelliguntur ſocii, quia agitur de fœdere rumpendo; quæ odioſa eſt materia.

XV. *Si ergo alios ſocios alteruter poſtea aſſumat, & hi primum fœderatum injuria afficiant, poteſtne ſalvo fœdere, primus fœderatus his poſterioribus bellum inferre, & alter eos defendere?*

Grot. & Ziegl. d. l. Feld. aliter.

℞. Affirmatur: adſciſcere eos poteſt, & defendere, ex jure naturali, quod primo fœdere non erat abdicatum; ſicut & primus fœderatus bellum ipſis inferre poteſt; nam apud utroſque eo

loco

loco ſunt, quaſi nihil de iis conveniſſet. Nec pugnat cum fœdere, ut quos alii offendent, hi defendantur ab aliis, manente de cætero pace. *Grot. d. §. 13. n. 3.*

XVI. ***Si convenerit, ne alter fœderatorum bellum gerat alterius injuſſu, quale bellum hic intelligendum?***

℞. Belli gerendi nomen ad omne bellum, offenſivum & defenſivum, pertinere poteſt: hîc arctiorem ſignificatum ſumimus, & intelligimus tantum bellum, quod infertur; non autem quod repellitur, ne nimium coarctetur libertas naturalis, qua contra vim ſibi illatam defenſionem ſui licet ſuſcipere. *Grot. d. c. 16. §. 14. c. 15. §. 7. n. 1. & 2. Puf. d. c. 12. §. 15.*

XVII. ***Si præmium promiſſum ſit ei, qui primus ad metam perveniſſet, debeturne utrique, ſi ſimul pervenerint, an neutri?***

℞. Vox *primus*, ambigua eſt, nam aut eum ſignificat, qui omnes antecedit, aut quem nemo: licet quandoque pares gradu habere poſſit. Hîc, quia præmia virtutis favorabilia ſunt, verius eſt, concurſuros eſſe ad præmium, ſi res poſſit dividi, aut ſi non poſſit dividi, ſorte decidendum, vel novo curſu certandum; quanquam liberalius faciant ii, *Grot. d. c. 16. §. 19. Puf. d. c. 12. §. 14. Ziegl. h. c. §. 19.*

qui præmium promiſerunt, ſi utrique ſolidum ſolvant.

XVIII. *Quomodo pacta & fœdera realia diſtinguenda ſunt à perſonalibus?*

Grot. d. c. 16. §. 16. Boecl. de eo quod civit. egit. p. 51. Str. Ex. 6. th. 48. & 49. Schilt. Ex. 8. th. 15. & ſeqq.

℞. Pacta & fœdera realia tranſeunt ad ſucceſſores, & eos obligant, perſonalia non item. Et ſi quidem cum populo libero actum ſit, dubium non eſt, quin quod ei promittitur, ſui natura reale ſit, quia ſubjectum eſt res permanens, & propter perpetuam ſubſtitutionem non moritur. Imo etiamſi ſtatus civitatis in regnum mutetur, manebit fœdus, quia manet idem corpus, & rex præeſt ut caput hujus, non ut caput alterius corporis; niſi appareat, cauſam fuiſſe propriam iſti ſtatui, ut ſi liberæ civitates, libertatis civilis tutandæ cauſa, fœdus cotrahant, & ſponte poſteà iſtum ſtatum mutent in regnum.

XIX. *Si fœdus cum rege contractum ſit, an propterea, quia perſona pacto inſeritur, fœdus eſt perſonale?*

Grot. d. c. 16. §. 16. n. 2. c. 9. §. 8. Conring. ad Lamp. part. 1. §. 60. & 61

℞. Non; plerumque enim perſona pacto inſeritur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum eſt. Hinc, ſi fœderi adje-

jectum, ut perpetuum ſit, aut factum in bonum regni, aut cum ipſo rege & ſucceſſoribus, aut ad tempus definitum, jam ſatis apparet, reale fœdus eſſe. In dubio favorabilia, ut pacis aut commerciorum cauſâ facta fœdera, realia ſunt: odioſa verò, e. g. quæ fiunt propter bellum offenſivum (quia magis ad onera accedunt) ſunt perſonalia; inprimis, quod in fœdere ad bellum quodvis præſumitur ratio habita prudentiæ & pietatis ejus, quocum agitur, ut qui non modo non injuſte, ſed nec temere bellum ſuſcepturus videtur. *Grot. d. c. 16. §. 16. n. 3.*

XX. *At vero ſocietates morte finiuntur, & præterea fœdera jurejurando confirmantur, quod ad hæredes non tranſit?*

℞. Cum ſocietates ex amicitia oriantur, & ex conſideratione ſingularis induſtriæ, quæ ad heredem non tranſeunt, natura ſocietatum exigit, ut morte finiantur: verum in tali fœdere rex, ut caput populi, contraxit, populus autem non moritur; hinc mirum non eſt, ſi ſucceſſores obligentur, qui ſunt caput hujus, ut modò dictum, non alterius populi. Et licet fœdera plerumque juramentis confirmentur, *Feld. ad Grot. h. c. §. 16. n. 4. Grot. d. c. 16. §. 16. n. 4. aliter. Grot. d. c. 16. §. 16. n. 5. c. 13. §. 17.*

tamen cum in ipſa promiſſione, cui majoris religionis cauſa jusjurandum adjicitur, ſatis ſit efficaciæ, hæc obligatio ex promiſſione ad hæredes tranſit.

XXI. *An fœdus, cum Rege initum, extenditur ad Regem regno pulſum?*

Grot. d. c. 16. §. 17. junge ſuprà l. 1. c. 4. q. 24 & c. præc. q. 6.

℞. Cum jus regni penes ipſum maneat, ſi injuſte poſſeſſionem amiſerit, cum Rege initum fœdus manet, etiamſi Rex ipſe, aut ſucceſſor, regno à ſubditis ſit pulſus.

XXII. *An ad regni invaſorem extenditur?*

Grot. d. c. 16. §. 18. plura vid. ſuprà l. 1. c. 4. q. 19. & c. præc. q. 5.

℞. Negatur, niſi vel per pactionem ſecutam, vel per victoriam pleniſſimus iſtius regni dominus fuerit conſtitutus.

XXIII. *Quodnam eſt aliud interpretandi genus ex conjecturis, extra verborum ſignificationem?*

Grot. d. c. 16. §. 20. Puf. l. 5. c. 12. §. 17.

℞. Verborum quidem unicus eſt uſus, ſcil. animi ſenſa exprimere: & hinc non improbabile eſt, illum verborum ſenſum animo loquentis fuiſſe obverſatum, qui ab uſu communi non penitus abhorret, ſive iſtam conjecturam ſumamus ex materia, ſive ex effectu, ſive ex conjunctis origine aut loco; ta-

Conf. qu. 8. & 9. h.

men

men cum mens loquentis interdum alia ſit, quam verba præ ſe ferunt, aliis conjecturis opus eſt, & quidem certiſſimis, quæ mentem evincant. Id quod fit duobus modis, vel per interpretationem extendentem ſeu extenſivam, ut loquuntur, vel coarctantem ſeu reſtrictivam.

XXIV. *An utraque æque facile procedit?*

℞. Non; quæ extendit interpretatio difficilius procedit, faciliùs quæ arctat. Nam ſicut in rebus omnibus, ut effectus non ſequatur, ſatis eſt, unam deeſſe cauſam, ut vero naſcantur, omnes convenire oportet, ita & in obligatione conjectura extendens obligationem non temere admittenda eſt; quia extra verba promittentis hîc conjecturam quærimus. Nec ſimilis ratio ſemper ſufficit, nec eadem, quia ſæpe voluntas eſt cauſa per ſe ſufficiens, etiam ſine ratione illa, ut in omnibus privilegiis, quæ non extenduntur, neque propter ſimilem rationem, neque propter eandem.

Grot. & Puf. d. l. Suarez. de LL. l. 6. c. c. 4. n. 6. & ſeqq.

§. 6. l. de I. N. G. &c.

XXV. *Quando ergo locum habet hæc Interpretatio?*

℞. Interdum propter ſimilitudinem rationis, ut in favorabilibus; ut plurimum

Grot. d. c. 16. §. 20. & Puf. d. c. 12. §. 17.

mum autem, & (ut recte fiat) propter eandem rationem: & quidem opus eſt, ut conſtet, rationem, ſub qua venit caſus, quem volumus comprehendere, eſſe cauſam unicam & efficacem, quæ legiſlatorem vel promittentem moverit, eamque rationem ab eo conſideratam in ſua generalitate, ita ut eandem ad præſentem quoque caſum voluiſſet applicare, ſi quidem eum prævidiſſet: idque ideo, quia alioquin lex aut promiſſio futura fuiſſet iniqua aut inutilis; e. g. pactio, ne quis locus muris cingatur, facta eſt eo tempore, cum non aliud eſſet muniendi genus: is locus ne aggere quidem aut vallo cingi poterit, ſi ſatis conſtet, prohibendi muros unicam fuiſſe cauſam, ne iſte locus muniretur, & ad vim depellendam fieret idoneus. Huc pertinent ea, quæ à JCtis traduntur de his, quæ fiunt in fraudem legis.

l. 26. & 30. D. de LL. Ziegl. ad Grot. h. c. §. 20.

XXVI. ***An mandatum impleri poteſt, non per idem quod mandator præſcripſit, ſed per aliud æque utile, aut utilius?***

Grot. d. c. 16. §. 12. in fin. Boecl. in diſſert. de relig. mand. Puf.

℞. Diſtinguendum inter mandatum imperantis, ſeu quod per imperium ſuperioris injungitur, & mandatum committentis, ſeu quod ex contractu ultro-

ultroneo ſuſcipitur. In hoc aliquando mandatum poteſt impleri per æquipollens, ſeu per utilius vel commodius, ſcilicet, quando mandatum non erat præſcriptum ſub ſpeciali ſua forma, ſed ſub conſideratione generaliori, quæ aliter quoque obtineri poſſit; tunc enim non verba, ſed mentem reſpicimus; e. g. mandavi tibi, ut fidejuberes pro Titio apud Sempronium, tu non fidejuſſiſti, ſed mandaſti Sempronio, ut crederet Titio: ſi jam aliquid eo nomine Sempronius præſtitit, me convenire poteris, quia obtinui finem meum, qui erat, ut crederetur pecunia Titio à Sempronio. In illo (ſcil. mandato imperantis) regulariter id fieri non poteſt, quia ſuperior non niſi meram executionem injunxiſſe cenſetur: nam alias diſſolveretur officium imperantis, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non reſponderet debito obſequio & conſilio non deſiderato; & ſæpe reſp. in caſum daretur, ſi proprio auſu miniſter partes imperanti proprias ſibi vindicare vellet. Interdum tamen, per expreſſam clauſulam, in mandato licentiam accipiunt miniſtri & legati, ut ſupplere aut immutare in eo aliquid poſſint, ſi ratio & tempus id poſtulent.

l. 5. c. 4. §. 5. l. ult. D. mand. & ibi Gloſſa.

Ziegl. ad Lanc. 3. tit. 1. §. 18.

Paſchal. de legat. c. 56. & ſeq. Limn. A. B. cap. 19.

XXVII.

XXVII. *Unde petitur interpretatio reſtringens, extra ſignificationem verborum, quæ promiſſionem continent?*

Grot. c. 16. §. 12. Puf. d. l. 5. c. 12. §. 19.

℞. Petitur vel (1.) ex defectu originario voluntatis, vel (2.) ex caſûs emergentis repugnantia cum voluntate. Defectus originarius intelligitur ex abſurdo, quod aliàs ſequeretur; nemo enim credendus eſt velle abſurda, e. g. præceptor convenit cum diſcipulo, ne honorarium ipſi ſolvatur, ſi diſcipulus cauſam non obtinuerit. Abſolutis ſtudiis, diſcipulus negat honorarium; præceptor ad judicem eum vocat, qui eum condemnat ad ſolvendam honorarium; nam diſcipulus ſe non poteſt tueri exceptione pacti, quippe cum in eo ineundo de hoc cogitatum non fuerit, & abſurdus foret, qui ſuo pacto efficeret, quominus obtineret, quod ex eodem pacto ipſi debetur. Vel (3.) ex ceſſatione rationis, quæ voluntatem unicè movet, e. g. negotiatores, qui annonam urbis adjuvant, item navicularii, qui annonæ urbis ſerviunt, immunitatem à muneribus publicis domeſticis conſequuntur, quia iis peregrè cum labore & periculo funguntur; hæc immunitas ceſſat, ſi non amplius

l. 5. §. 3. D. de jur. immun. jung. l. 5. §. 3. D. de capt. & poſtl. reverſ.

ſint

ſint in ejuſmodi actu. Vel (4.) ex materiæ defectu, nam ea ſemper intelligenda eſt obverſari animo loquentis, etiamſi verba latiùs pateant, e. g. aliquis acquirit feudum pro ſe & hæredibus ſuis; per hos intelliguntur tantum deſcendentes maſculi, ſeu hæredes feudales.

Struv. Synt. J. F. c. 4. aph. 12. n. 6.

XXVIII. *Si res comprehendatur ſub ratione, ſecundum potentiam moraliter conſideratam, quid juris?*

℞. Reſtrictio facienda non eſt. Sic, ſi cautum ſit, ne exercitus aut claſſis aliquò ducatur, non poterit duci, etiam animo non nocendi: quia in pactione non certum damnum, ſed periculum qualecunque ſpectatum eſt, quod moraliter à tali exercitu aut claſſe timeri poteſt, ſi in tali loco verſetur.

Grot. d. c. 16. §. 25. Puf. l. 5. c. 12. §. 20.

XXIX. *An promiſſa in ſe habent hanc tacitam conditionem, ſi res maneant eo quo ſunt loco?*

℞. In genere negatur; quia cum hæc conditio promiſſum reddat irritum, eſt odioſa, & ſic non præſumitur, ſed expreſſe addi debet. Interdum tamen tacitam iſtam conditionem in ſe habent, ſcilicet quando apertiſſime patet, ſtatum illum præſentem in unica illa (quam modo diximus) ratione incluſum

Grot. d. c. 16. §. 25. n. 2.

Ziegl. h. c. §. 25. Puf. d. l. 5. c. 12. §. 20. in fin.

cluſum eſſe. Sic paſſim in hiſtoriis legimus, legatos à ſuſcepto itinere domum rediiſſe, quod res ita mutatas intelligerent, ut tota legationis materia aut cauſa ceſſaret.

XXX. *Quot modis poteſt dijudicari, utrum caſus, qui poſteà emergit, pugnet cum voluntate, nec ne?*

Grot. d. c. 16. §. 26. Puf. d. c. 12. §. 21. Frantz. in Dig. de LL. §. 78. & ſeqq.

℞. Repugnantia caſûs emergentis cum voluntate poteſt dijudicari duplici modo: nam aut voluntas colligitur ex naturali ratione, aut ex alio ſigno. Ex naturali ratione ſubſidio æqui-prudentiæ in intellectu, & æquitatis in voluntate; quæ æquitas eſt correctio ejus, in quo lex (ſuo modo & ad teſtamenta & ad pacta hæc referri poſſunt) deficit, ob univerſalitatem: ſeu eſt æqua & commoda legis interpretatio, qua ex naturali ratione oſtenditur, caſum quendam peculiarem ſub lege univerſali non comprehendi, & ipſum legislatorem excepturum eum fuiſſe, ſi tempore latæ legis caſum iſtum prævidiſſet. Id quod fit, quando caſus repugnat juri naturæ aut divino, ad quod legislator ſubditos obligare non poteſt, e. g. ſi fur rem furtivam deponat, lex quæ vult, ut deponenti res reſtituatur, non obligat, ſi verus

verus dominus ſuperveniat & rem repetat.

XXXI. *Eſtne adhuc aliud indicium, legislatorem vel. promittentem non voluiſſe caſum comprehendere?*

℞. Secundum indicium eſt, ſi verba ſequi non quidem per ſe & omnino illicitum ſit, ſed æque & humaniter rem æſtimanti nimis grave atque intolerabile: ſive (1.) abſolute ſpectata humana conditione (quædam enim omnibus hominibus intolerabilia videntur, e. g. fames; ſit ergo lex de certis panibus vel cibis non comedendis, ea in caſu extremæ neceſſitatis non obligabit) ſive (2.) comparando perſonam & rem, de qua agitur, cum ipſo fine actûs, ita ut tunc huic perſonæ hoc grave videatur & incommodum. Sic, qui rem ad dies aliquot commodavit, intra eos dies repetere eam poterit, ſi ipſe re valde egeat, quia actus tam benefici ea eſt natura, ut non credendus ſit quiſquam, ad magnum ſuum incommodum ſeſe voluiſſe obligare. Sic qui auxilium fœderato promiſit, excuſabitur, quamdiu ipſe domi periclitatur, in quantum copiis opus habet; prima enim defenſionis cauſa eſt ſubdito-

Grot. d. c. 16. §. 27. *Puf. l.* 5. *c.* 12. §. 22. & *l.* 3. *c.* 7. §. 5.

c. 25. §. 1. *n.* 2. & *l.* 1. *c.* 5. §. 3. *in fin.*

ditorum, qui ſunt pars imperantium.

XXXII. *An ſervanda ſunt promiſſa, quæ iis, quibus promiſiſti, ſunt inutilia, aut ſi tibi plus noceant, quàm illis proſint?*

Grot. d. c. 16 §. 27. n. 2. Puf. l. 5. c. 12. §. 22. in fin.

℞. Non quidem promiſſorum ſemper eſt judicare, an res utilis ſit futura iſtis, quibus promiſſa eſt, nec ne, tamen ſi promiſſor ſit ſuperior, & cura eorum, quibus promiſſum eſt, ipſi incumbat, de eo judicare poteſt, & non ſemper cogitur illud ſervare; vel ſi ſuperveniat aliquid, cur natura prohibeat promiſſum præſtare, ut furenti gladium depoſitum reddere. Nec etiam quodlibet nocumentum liberat promiſſorem à ſua obligatione; nam omnis gratuita promiſſio videtur conjuncta cum aliquo onere, ſed tale oportet ſit, quod pro natura actûs credi debeat exceptum. Sic qui operas vicino ad dies aliquot promiſit, non tenebitur, ſi morbus ſonticus patris aut filii ipſum detineat.

XXXIII. *Quænam ſunt alia ſigna, quæ oſtendunt, certum caſum à lege vel pacto, univerſaliter concepto, eſſe exceptum?*

Grot. d. c. 16. §. 28.

℞. Quando verba alio loco poſita cum præſenti lege aut pacto non quidem

dem directè pugnant, ſed tamen, per incidentem ſingularem caſum, inter ſe ita committuntur, ut licet diverſo tempore ſervari & impleri potuiſſent, non tamen poſſint eodem & hoc tempore, quo incidit hic ſingularis caſus. Hic ergo tenendæ ſequentes regulæ: (1.) Illud, quod tantum permittitur, cedit ei, quod jubetur; nam permiſſioni tantum ineſt libertas faciendi vel omittendi, juſſus autem involvit neceſſitatem faciendi & omittendi, atque in præſenti caſu libertatem tollit, e. g. ſi lege permittatur, ut omnis civis Romanus poſſit habere concubinam, tempore belli autem conſtituatur mulierem in caſtris miles non habeto, prior lex cedit huic poſteriori. (2.) Quod faciendum eſt certo tempore, ſeu ubi obligatio concurrit, cui ſaltem poteſt ſatisfieri hoc præſenti tempore, id præfertur ei, quod quovis tempore poteſt fieri, ſeu illi obligationi, quæ impleri poteſt quovis tempore, e. g. promiſi operam annuam, quæ poteſt impleri quovis tempore & quavis hora diei; ſed eandem operam promiſi alteri, quæ poteſt tantum præſtari certo tempore, ſeu certa hora in die; hæc poſterior obligatio præfertur priori. Hinc tamen apparet, non poſſe uni & eidem

Ziegl. h. l. §. 23.

vel injungi, vel ab eo promitti, quod ſimul expediri nequit, & quorum neutrum fert dilationem. (3). Affirmativum præceptum cedit negativo, ſcilicet ſi impleri non poſſit, niſi per violationem præcepti negativi; præcepta enim negativa ſemper obligant, & ad ſemper, ſeu nunquam licet malum facere; affirmativa verò ſemper, ſed non ad ſemper, ſcil. tunc demum, quando adeſt occaſio agendi. Sic corium non debemus furari, ut pauperibus eleemoſyna detur, vel ut ipſis gratis fiant calcei. (4.) Inter conventiones legeſque qualitatibus pares præfertur quod magis eſt peculiare, & ad rem propiùs accedit: nam ſpecialia ſolent eſſe efficaciora generalibus; e. g. ſit lex, ut Imperator in negotiis magni momenti adhibeat conſenſum Electorum, etiam omnium Statuum interdum. Sit alia lex, quando Electoratus vacat, Imperator de ipſo debet & poteſt providere, tanquam de re ad ſe & Imperium legitimè devoluta. Hic ſequimur legem ſpecialiorem, & Imperator providebit non adhibito Electorum vel Statuum conſenſu. (5.) Si ſint duæ leges prohibitivæ, & caſus emergat, ut uni ex duabus prohibitio-

Ziegl. d. l.

l. 80. de R. J. & ibi Jac. Gothof.

Capit. Leop. art. 39.

A. B. tit. 7. Inſt. Jur. Publ. p. 375.

tionibus ſit contraveniendum, illa tunc videtur permiſſa, quam violari minoris intereſt; e. g. ſit lex, nullus ex ſubditis noſtris huic vel iſti regi militet; ſit altera, nullus ex ſubditis noſtris eidem regi pecuniam vel quicquam aliud contribuat. Huic poſteriori potiùs, quam priori contraveniendum, ſi caſus emergat, ut aut militet, aut pecuniam ſolvat. (6.) Si ſint duæ leges vel præſtationes, quæ in certo articulo collidunt, quarum una habet cauſas magis honeſtas vel utiles, quàm altera, hæc cedit priori; e. g. promiſi operas bellicas primo fœderato, eaſdem promitto fœderato poſteriori, ſub cujus protectione, forte etiam ſumptibus cujus vivo: caſùs autem emergit, ut uterque fœderatus opus habeat operâ bellicâ; promiſſio poſterior præfertur, quia habet cauſas magis honeſtas & utiles, propter fortiorem obligationem. (7.) Propter eandem rationem, quando duo pacta, juratum & injuratum, ſimul nequeunt impleri, certo eventu præferendum erit id, cui adeſt jurisjurandi religio. (8.) Obligationi perfectæ mutuæ, homines utrinque reſpicienti, cedit obligatio imperfecte mutua. Sic quæ

Puf. l. 5. c. 12. §. 23.

Grot. l. 2. c. 15. §. 13. n. 4.

Puf. d. l. 5. c. 12. §. 23.

ex contractu debentur, potiùs ſolvenda ſunt, qvàm quæ ex promiſſo gratuito. (9.) Lex beneficentiæ cedit legi gratitudinis, cæteris paribus, quia favorabilius eſt debitum grati animi, quàm beneficentiæ; in illo enim reddimus, quod debemus, in hoc vero damus aliquid gratis. (10.) Inter leges, quæ à poteſtatibus ſubordinatis proficiſcuntur, lex inferioris cedit legi ſuperioris, ubi utrique ſimul ſatisfieri nequit; ſic Deo magis, quàm hominibus eſt obediendum.

Grot. l. 1. c. 4. §. 6. n. 3. l. 2. c. 26. §. 3.

XXXIV. *Contractus, an in dubio cenſetur eſſe perfectus, antequam ſcriptura confecta eſt & tradita?*

Grot. d. c. 16. §. 30. l. 1. C. de fide inſtr. Str. 28. th. 34. Grot. l. 2. c. 15. §. 16. l. 3. c. 22. §. 12.

Niſi aliud convenerit, in dubio credendum, ſcripturam adhiberi ut monumentum contractus, non ut ſubſtantiæ ejus partem. Alioquin exprimi id ſolet, ut interdum in induciis, in pace, in fœderibus, quæ rata non ſunt ante conſcriptas conditiones, nec ante mutuam ſuperiorum ratihabitionem, & inſtrumentorum traditionem.

XXXV. *An contractus regum, & eorum, qui ſummam habent poteſtatem, ſunt interpretandi ex jure Romano?*

℞. Non;

℞. Non, quia hoc jus eſt civile, quod ſummas poteſtates non obligat; niſi forte appareat, inter quoſdam populos jus iſtud in his, quæ ſunt juris gentium, etiam receptum eſſe: quod tamen temere non eſt præſumendum, quia obligationem inducit. *Grot. l. 2. c. 11. §. 5. n. 3. c. 16. §. 31.*

XXXVI. *An debemus magis attendere verba conditionem offerentis, an accipientis?*

℞. Attendi debent verba ejus, cujus favorem conditio continet. Si contineat offerentis favorem, & verba non ſint clara, contra ipſum ea interpretamur; ſin contineat favorem accipientis, & verba non ſint clara, contra ipſum ea interpretamur; nam hic clariùs debuit exprimere ea, quæ voluit in ſui favorem eſſe adjecta. *l. 39. D. de pact. l. 21. & 34. in pr. de contr. emt. Grot. d. c. 16. §. 32. aliter,*

XXXVII. *Si conditio nondum ſit acceptata, an is tenetur, qui obtulit, an verò eum pœnitere poteſt?*

℞. Non tenetur, qui obtulit, quia nullum adhuc jus quæſitum eſt ei, qui acceptare debuit, & oblatio conditionis minus eſt promiſſione. *Grot. l. 2. c. 11. §. 14. c. 16. §. 32. in fin.*

CAPUT XVII.

De damno per injuriam dato, & obligatione, quæ inde oritur.

I. *Quid ſit damnum injuria datum.*
II. *Qualis oriatur obligatio ex damno dato.*
III. *Quot modis aliquid noſtrum eſſe dicatur.*
IV. *An ſola aptitudo verum & perfectum jus tribuat.*
V. *An tantum jus petendi juxta alios.*
VI. *An is, cui magiſtratus collatio mandata eſt, reip. teneatur ad eligendum eum, qui dignus ſit.*
VII. *In damni æſtimatione, an tantum æſtimetur res ipſa, an etiam fructus.*
VIII. *Quinam, præter eum, qui immediate damnum dedit, teneantur.*
IX. *Quid ſi ſine eorum actu aut neglectu, is qui damnum dedit, certus fuerit id ipſum dare.*
X. *Quo ordine conveniantur.*
XI. *Si plures delictum commiſerint, an ſinguli teneantur in ſolidum, an pro parte damni dati.*
XII. *Quibus exemplis hæc illuſtrentur.*
XIII. *Ad quid teneatur is qui contractui aut promiſſioni cauſam dedit dolo, vi, aut metu injuſto.*
XIV. *Quid ſi quis ipſe in cauſa ſit, cur vim pati, aut metu cogi debeat.*
XV. *An poteſtates civiles teneantur ex damno, à ſubditis per latrocinia & piraticam dato.*
XVI. *Quid ſi eorum milites vel miniſtri, contra ipſorum imperium, amicis noceant.*
XVII. *An dominus teneatur ex damno ab animali ſuo dato.*
XVIII. *An damnum adverſus honorem & famam dari poſſit.*

I. *Quid eſt damnum injuria datum?*

§. 3. I. de L. A. l. 44. D. eod. Grot. l. 2. c. 17. §. 2. n. 2.

℟. Damnum injuria datum eſt maleficium ſeu delictum, quo dolo vel culpa res alterius læditur. Seu in genere, cum quis minus habet ſuo.

II. *Qualis oritur obligatio ex damno dato?*

℟. Na-

℞. Naturaliter oritur inde obligatio, ut id reſarciatur. Nam natura unicuique indidit tam tenerum ſui & eorum, quæ ad ipſum pertinent, amorem, ut omnibus modis nitatur repellere eum, qui damnum ipſi infert, adeo ut, niſi deſiſtat, & damnum datum reparet, juſtam videatur habere bellandi cauſam; cumque præterea velit natura, ut in ſocietate civili ordinata & rectæ rationi convenienti tranquille vivamus, neceſſarium fuit præceptum de tribuendo unicuique, quod ſuum eſt, de nemine lædendo, aut ſi quis fuerit læſus, etiam culpa, de damno iſto reſarciendo. *d. c. 17. §. 1. Puf. l. 3. c. 1. §. 1. aliter.* *Grot. l. 1. c. 2. §. 1. n. 1.*

III. *Quot modis aliquid noſtrum eſſe dicitur?*

℞. Noſtrum eſt, quod nobis competit, ſive ex mera natura, ſive accedente facto humano, puta dominio, aut pacto, ſive ex lege. Natura ad nos pertinet vita, non quidem ad perdendum, ſed ad cuſtodiendum, corpus, membra, fama, honor, actiones propriæ. De dominio & pactis ſuprà dictum. Ex lege jus nobis oritur, quia idem aut plus lex poteſt in nos & noſtra, quam ſinguli in ſe & ſua. Sic pupillus jus habet, exactam diligentiam *d. c. 17. §. 2. n. 1.* *Grot. l. 1. c. 1. §. 6. d. c. 17. n. 1. in fin.*

quandam exigendi à tutore, reſpublica à magiſtratu, imò & cives ſinguli, quoties lex id expreſſè, aut per ſufficientem conſequentiam, ſignificat.

IV. *An etiam ex ſola aptitudine jus perfectum acquirimus, ut inde oriatur reſtitutionis obligatio, ſi occaſione ejus damnum aliquod patiamur?*

Grot. l. 1. c. 1. §. 7. d. c. 17. §. 2. n. 2. Ziegl. h. l.

℞. Sola aptitudo verum & perfectum jus ſeu dominium non tribuit, quia id, ad quod apti ſumus, non ſtatim noſtrum eſt; & ſic eo interverſo, ſuper damno accepto queri non poſſumus.

V. *Sed annon ex hac aptitudine jus verum habeo petendi juxta alios?*

Grot. d. c. 17. §. 3. Puf. l. 3. c. 1. §. 3. in med. l. un. D. & C. ad L. Jul. de ambitu. & ibi Brun.

℞. Quamvis civis, etiam non indignus, adverſus civitatem non habeat jus proprium ad officium aliquod, habet tamen verum jus petendi juxta alios, in quo ſi per vim aut fraudem ab alio impediatur, exigere poteſt æſtimationem, non quidem totius rei expetitæ, ſed incerti iſtius damni, ſeu ſpei incertæ obtinendi munus petitum.

VI. *Quando reſp. alicui mandat collationem magiſtratus, an contra eum habet jus verum?*

℞. Reſp.

℞. Reſp. adverſus talem mandatarium habet jus proprium & verum, ita ut, ſi ex indigni electione damnum fecerit, ille hoc reſarcire teneatur. *d. c. 17. §. 3.*

VII. *An tantum æſtimatur damnum, quod datum eſt in ipſa re noſtra?*

℞. Damnum aliquis feciſſe intelligitur, non in ipſa re tantum, ſed & in fructibus, ſive illi percepti ſint, ſive non: ſi tamen ipſe eos percepturus erat: deductis quoque impenſis in fructus factis, & in rem neceſſariis & utilibus; idque ex regula, quæ nos vetat locupletiores fieri cum aliena jactura. Sic & ſpes lucri ex noſtro æſtimabitur ſecundum propinquitatem ad actum, ut in ſemente ſpes meſſis, prout hæc vel inſtat, vel remota eſt. *d. c. 17. §. 4. Ziegl. h. l.* *d. c. 17. §. 5.*

VIII. *Suntne alii, quàm ille ipſe, qui immediate dat damnum, qui tenentur?*

℞. Affirmatur, & quidem interdum alii tenentur, qui momentum attulerunt, aut ad totum damnum, aut ad partem, vel faciendo vel non faciendo, idque vel primariò vel ſecundario. Et primariò quidem is, qui jubet, qui conſenſum requiſitum adhibet, qui adjuvat, qui receptum præſtat, aut qui alio modo in ipſo crimi- *d. c. 17. §. 6. ſeqq. & Ziegl. ibi.*

X 5 ne

ne participat; item, qui vetare debet præcepto, aut opem ferre ei, cui ſit injuria, & id non facit. Secundariò tenetur, qui conſilium dat, laudat, aſſentatur: item qui non diſſuadet, cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debet; ſive hoc debitum oriatur ex lege (ſic vaſallus vel ſubditus revelare debet domino vel ſeniori, conſilia contra ipſum ſuſcepta) ſive ex officio; ſic quilibet magiſtratus, vel officialis, ſuo ſuperiori tenetur ad omne damnum, quod ex ſilentio circa ea, quæ concernunt officium, in ipſum redundat.

2. *Feud.* 6. & 7.

IX. *Sed quid juris, ſi ille, qui damnum dedit, certus fuerit, id ipſum dare, etiamſi alii non concurriſſent?*

Ziegl. h. c. §. 10. *Frantz. Ex.* 12. *quæſt.* 5. *Grot. d. c.* 17. §. 10. *aliter.*

℞. Tamen hi laudatores ſunt puniendi, quia laudando augent malitiam; licet non ſemper teneantur ad damni reparationem. Sic & illi tenentur, qui ſuaſerunt vel juverunt ideo, quia ſi ipſi hoc non feciſſent, alii defuturi non fuiſſent, qui ſuaderent aut juvarent: nam ſicut hi obligarentur ex delicto, ſi feciſſent, ita & illi, quia fecerunt.

X. *Quonam ordine conveniuntur?*

℞. Uter-

℞. Uterque quidem hîc obligatur, & mandans & mandatarius; verum quia patrator facinoris immediate dedit damnum, & ſcire debuit, rei turpis mandatum non obligare, primus convenitur, & poſt eum cæteri, qui mandarunt, vel alio modo damnum dederunt.

Ziegl. h.c. §. 11. Grot. d. l. §. 11. aliter. Kulpis Ex. Grot. 8. h.c.

XI. *Quid ſi plures delictum commiſerint?*

℞. Aut (1.) actus eſt individuus, ad quem multi concurrunt, ſed ita, ut ex unius opera integer actus potuerit ſequi, neque ſingulis certa pars poſſit aſſignari, ut eſt incendium, aggerum perfoſſio, & ſimiles actus, tunc ſinguli tenentur in ſolidum: ita tamen, ut ſi omnes ſimul deprehendantur, æquales damni partes ſinguli ſarcire debeant; & ubi, reliquis elapſis, unus tantum deprehenditur, ab ipſo ſolidum, ſcil. non tantum damnum quod dederunt, ſed & omnia quæ ex actus vi ſequuntur, exigi poſſint. Item, ſi ex deprehenſis aliqui non ſint ſolvendo, hoc onerat reliquos. Et in hoc differt reparatio damni ab exactione pœnæ, quod ibi, uno ſolvente, reliqui liberantur (cum idem damnum bis reparari, æquum non ſit) hîc ſolida pœna ſingu-

Puf. l. 3. c. 1. § 5. Grot. d. c. 17. §. 11. Str. Ex. 14. th. 47. Ex. 49. th. 50.

ſingulis, qui ad idem facinus concurrerunt, infligitur; juſtum enim eſt, ut qui malum fecit, malum ferat. Aut (2.) actus eſt dividuus, ubi nempe ſingulis certa velut pars aſſignari poteſt: ut ſi plures fuſtibus alium invadant, quorum unus capiti vulnus infligit, alter brachium rumpit, tertius oculum excutit &c. tunc ſinguli non de tota læſione, ſed quiſque de eo, quod fecit, tenetur. Etſi per modum pœnæ, ſi reliqui elabantur, & unus deprehendatur, interdum deprehenſus pro omnibus ſolvat.

Grot. l. 3. c. 10. §. 4.

XII. *Quibus exemplis hæc illuſtrantur?*

Grot. d. c. 17. §. 13.

℞. Homicida injuſtus tenetur ſolvere impenſas, ſi quæ factæ ſint in medicos, & iis ſatisfacere, quos occiſus alere ex officio ſolebat, puta parentibus, uxori, liberis, ſcilic. dare tantum, quantum illa ſpes alimentorum, ratione habita ætatis occiſi, valebat: non autem lucrum ſperatum & incertum, quod occiſus facere potuiſſet, ſi diutiùs vixiſſet. Nam tale lucrum non eſt inter bona noſtra, & futurum tempus æque ad damna, quam ad lucra patet. Sic qui mutilavit, tenetur ad impenſas, & ad æſtimationem ejus, quod

Puf. l. 3. c. 1. §. 7. Ziegl. h. c. §. 13. ſed aliter.

quod jam is qui mutilatus eſt, minus *Grot. d. c.*
poterit lucrari. Ita & cicatrices inter- *17. §. 14.*
dum æſtimantur, ut ſi puellæ innuptæ *Boecl. l. 2.*
facies deformetur, quæ nubere non *c. 1. §. 6.*
poteſt; niſi ampliore dote conſtituta, *Puf. l. 3. c.*
nam oris gratia ſæpe eſt dotis inſtar. *1. §. 8. in fin. Brun. ad l. 13. D. ad L. A.*
Sic adulter & adultera tenentur non *Grot. d. c.*
tantum maritum indemnem præſtare *17. §. 15.*
ab alenda prole: nam ad pullos ſuppo- *Puf. §. 9. ibid. Ziegl.*
ſititios pro ſuis alendos nemo tenetur; *h. c. §. 15.*
ſed & legitimis liberis, qui jure natu- *ſed aliter.*
ræ in ſucceſſione bonorum parentum
præferuntur illegitimis, rependere, ſi
quod damnum patiantur, ex concurſu
ita ſuſceptæ prolis ad hæreditatem.
Qui virginem imminuit vi aut fraude, *Grot. d. c.*
tenetur ei reſarcire, quanti minoris *17. §. 15.*
ipſi valet ſpes nuptiarum: imò & ducere
tenetur, ſi ea promiſſione corporis u-
ſuram impetraverit; jure enim naturæ
inter pactum matrimonii, ejuſque exe- *Puf. d. c.*
cutionem, nullum requiritur interval- *1. §. 10.*
lum: & cum ſolus conſenſus nuptias
faciat, non erit turpis conditio, eris
mihi uxor, ſi ſtatim, tanquam uxor,
corpus tuum mihi præbueris. Fur &
raptor tenentur rem ſubtractam redde-
re, cum ſuo incremento naturali, & *Ziegl. h. c.*
cum ſequente damno, aut ceſſante lu- *§. 16. Puf. d. l. §. 11.*
cro, & ſi res perierit, ſummam æſti- *Grot. d. c. 17. §. 16.*
matio- *aliter.*

mationem; ſi enim, ubi invitus rem vendo, ex affectione illam æſtimare poſſum, cur furi, qui invito mihi aufert aliquid, remittere hoc deberem? Et ſi fur ſit ſuſpenſus, hæredes ejus ad idem mihi obligantur, quia ſicut aliud æs alienum, ita & hoc ſolvere debent: nec pœna huic perſecutioni præjudicare poteſt. In hac claſſe ponendi ſunt, qui legitima vectigalia fraudant, item qui judicio injuſto, accuſatione injuſta teſtimonio injuſto, damnum dederunt.

Brun. l. fin. D. de furt. Str. Ex. 4. 8. tb. 22. Carpz. prax. crim. q. 80. n. 10.

XIII. *Ad quid tenetur, qui contractui aut promiſſioni cauſam dedit dolo, vi, aut metu injuſto?*

℞. Tenetur eum, quicum actum eſt, in integrum reſtituere, ſi quid ab eo acceperit; quia ille jus habuit, tum ne deciperetur, tum ne cogeretur. Illud ex natura contractus, quæ æqualitatem exigit; hoc ex naturali etiam libertate, quæ non admittit, ut alter alteri vim injuſtam inferat, ſed vult, ut à mutua læſione abſtineamus. His annumerandi ſunt, qui id quod ex officio facere tenebantur, facere noluerunt, niſi pecunia accepta.

Grot. d. c. 17. §. 17. & c. 12. §. 8.

Str. Ex. 49. tb. 73.

XIV. *Si quis cauſam dedit, cur vim pati aut metu cogi debeat, ut ſi bellum alteri denunciet?*

℞. Huic

℞. Huic juri ſuo, ſcil. ne ab alio lædatur, renunciare quis poteſt, vel (1.) tacite, ut ſi quis ſine juſta cauſa alium invadat, hic omni modo vi ipſum repellere poteſt: nam manus propterea homini datæ ſunt; vel (2.) expreſſe, cum ſcil. bellum alteri denunciat; belli enim lex eſt, ut cuique liceat, quantum poteſt, hoſtem ſuum lædere & in perſona & in rebus. Sibi ergò imputet, ſi lædatur, & involuntarium ex voluntario ortum, moraliter habetur pro voluntario.

Grot. d. c. 17. §. 18. Puf. l. 3. c. 1 §. 7. in med.

Grot. l. 1. c. 5. §. 1.

Grot. l. 3. c. 4. §. 7. n. 2. & 3.

XV. *Quid ſi reges & magiſtratus non inhibeant latrocinia aut piraticam?*

℞. Tenentur ex neglectu, ſi non adhibeant, quæ debent ac poſſunt adhibere remedia, ad impedienda latrocinia ac piraticam. Contrà, ſi legibus prohibeant, ne amicis noceatur, ſi parati etiam ſint, noxios, ſi reperiri poſſunt, aut punire aut dedere, præterea ſi jus in bona raptorum reddant, ipſis imputari nihil poteſt.

Grot. d. c. 17. §. 20. c. 21. §. 3. & 4.

XVI. *Si milites, aut terreſtres, aut claſſiarii, contra imperium, amicis noceant?*

℞. Reges non tenentur, niſi forte in culpa ſint, ut ſi forte militibus non bene

Grot. d. c. 17. §. 20. n. 2. l. 3. c. 17. §. 2. n. 6.

bene ſolvant ſtipendia; tunc enim non tantùm militibus tenentur de damnis inde ſecutis, ſed & iis, quos milites inedia coacti male habuerunt.

XVII. ***An, ſi mancipium alicujus aut animal mihi damnum dedit, aut pauperiem, dominus mihi obligatur?***

Gabr. Vaſq. de reſtit. c. 1. §. 2. Grot. d. c. 17. §. 21. aliter.

℞. Affirmatur; cum enim ante diviſionem jus habuerim, ab animali, quod mihi damnum dederit, reparationem iſtius quocunque modo quærendi, per diviſionem hoc jus mihi ſublatum non eſt. Quare cum ipſum animalis corpus mihi ſit obnoxium, ſi dominus illud retinere velit, oportet ut retineat cum juribus, quæ corpus iſtud ſequuntur, i. e. ut aut æſtimationem damni ſolvat, aut animal noxæ dedat.

XVIII. ***Poteſtne damnum dari adverſus honorem & famam?***

Grot. d. c. 17. §. 22. Ziegl. h. l.

℞. Dari poteſt verberibus, contumeliis, maledictis, calumniis, irriſu, aliiſque ſimilibus modis: & damni reparatio hîc fit culpæ confeſſione, exhibitione honoris, teſtimonio innocentiæ, & per ea, quæ his ſimilia ſunt; quamquam & pecuniâ tale damnum rependi poterit, ſi læſus velit, quia pecunia communis eſt rerum utilium menſura.

CA-

CAPUT XVIII.

De legationum jure.

I. *Quid ſit legatus.*
II. *Quotuplex.*
III. *Jus mittendi legatos ex quo jure ſit.*
IV. *Quibus competat.*
V. *An illis, qui impari fœdere juncti ſunt. An Regibus regno exutis.*
VI. *Quid ſi civitas per bellum civile ita ſcindatur, ut dubium ſit, à qua parte ſtet jus imperii.*
VII. *An competat rebellibus.*
VIII. *Quænam in hac materia de legatis ad jus naturæ & gentium referri ſoleant.*
IX. *An omnes legati admitti debeant.*
X. *Quot ſint rejectionis cauſæ. Quid ſi quis legatum ſine cauſa rejecerit.*
XI. *Cur legati jure naturæ & gentium ſint inviolabiles.*
XII. *Si legatus aliquid contra ſalutem reip. moliatur, an occidi poſſit.*
XIII. *An etiam hoc in caſu Principem repræſentet, & an ipſe Princeps occidi poſſit.*
XIV. *An lex de non violando legato etiam obliget eum, per cujus territorium tranſit.*
XV. *An jure talionis interfici aut male tractari poſſit legatus.*
XVI. *An ejus comites, miniſtri & vaſa, ſancta ſint.*
XVII. *An legatus jurisdictionem in ſuam familiam habeat.*
XVIII. *An jus aſyli in domo ſua.*
XIX. *An legati bona mobilia pignoris cauſa, vel ad debiti ſolutionem, capi poſſint.*
XX. *An hoc jure creditoribus denegato, facile & recte quis cum legato contracturus ſit.*
XXI. *Quid ſi violetur legatus.*

I. *Quid eſt legatus?*

℞. Legatus eſt miniſter publicus, à ſumma poteſtate ad aliam ſimilem poteſtatem miſſus, ut negotium ſibi demandatum nomine mittentis proponat & tractet.

II. *Quotuplex eſt legatus ?*

℟. Omnibus legatis debetur quidem eadem fides, & propter perſonam mittentis omnes ſunt ſancti & inviolabiles, ſed cum non omnes eadem ſolennitate & iisd. ceremoniis recipiantur, factum eſt ut dividantur in legatos cum charactere repræſentativo, & eos, qui principalem ſuum ratione honoris & præcedentiæ non repræſentant. Et hinc alii ſunt legati primi ordinis, in ſpecie dicti *Geſandten*, alii ſunt legati ſecundi ordinis, ablegati communiter dicti, *Abgeſandten*, gallice *Envoyez*, licet hæc vocabula ſæpe confundantur. Hæc diſtinctio uſum habet ratione præcedentiæ; legatus primi ordinis præfertur legato ſecundi ordinis, quanquam poſterioris principalis præcedentiam prætendat. Sic Rex Galliæ Viennam mittit legatos ſecundi ordinis, quia legatus Regis Hiſpaniæ in Imperatoris aula ipſi præfertur.

Kirchn. l. 1. de legat. c. 1. n. 22. Limn. ad A. B. c. 1. §. 1. Obſ. 8. Rhet. Inſt. Jur. Publ. l. 2. c. 23. p. 456. Kulpis. de legat. ſtat. Imp. c. 2. & 21.

III. *Ex quo jure eſt jus mittendi legatos ?*

℟. Jus mittendi legatos eſt ex eo jure, ex quo eſt negotium, propter quod mittuntur; ſi mittantur vel ad pacem faciendam, vel ad eam per fœdera & pacta magis confirmandam, jus

Grot. l. 2. c. 18. §. 1. aliter. Puf. l. 2. c. 3. §. 22. in fin. aliter Text. c. 14. n. 2.

jus naturæ, quod vult ut in pace vivamus, eorum admiſſionem præcipit cum effectu, & ſic ſpecialem ipſis præſtat ſecuritatem. Si mittantur propter commercia, aut ſimilia negotia, quæ communem neceſſitatem & utilitatem inter omnes gentes continent, jus gentium eos & admitti & ſanctos vult haberi. Si mittantur vel ex civilitate, vel ex ſingulari amicitia ad congratulandum, e. g. propter matrimonium, nativitatem principis, obtentam victoriam &c. jus civile, ſeu potius voluntas ejus, ad quem mittuntur, eorum admiſſionem, & ſanctitatem ſpecialem, quam jure gentium habent, confirmat. Sic juris civilis, ſeu voluntariæ tantum ſunt ceremoniæ, ſolennitates, obviationes, hoſpitii jura ſpecialia, i. e. ut legati vivant ſumtibus & expenſis ejus, ad quem mittuntur &c.

Kulpis. Ex. Grot. l. 2. c. 18. aliter.

IV. *Quibus competit jus mittendi legatos?*

℞. Iis hoc jus competit, qui ſummi imperii ſunt compotes inter ſe, quia hi ſoli jus habent tractandi de iis negotiis, propter quæ legati mittuntur, & ab ipſorum perſona tantum ſanctitas & ſecuritas legatorum derivari poſſunt

Grot. d. c. 18. §. 2. n. 1. Boecl. diſſert. Pol. 11.

ac debent. Legati provinciales, municipales, ſeu qui mittuntur à Pro-Regibus, præſidibus, vel ducibus belli, non fruuntur juribus legatorum ſpecialibus, ſeu iis quæ Legatis jure gentium competunt, ſed jure civili reguntur, vel potiùs gaudent tantum iis juribus, quæ hæc vel iſta majeſtas iſtis tribuit.

Horn. l. 2. c. 8. §. 1. Kirchn. l. 1. de legat. c. 3.

Principes Imperii Romano-Germanici, quia ipſorum poteſtas eſt majeſtati analoga, & quia jura belli, fœderum &c. ipſis conceduntur, legatos mittere poſſunt, etiam cum charactere. Quo accedit, quod alii reges legatos ad ipſos mittant, & ipſorum legatos agnoſcant: licet forte ſolennitates ſolitæ in regum legatis in receptione ipſorum non adhibeantur. Hæc enim, ut modo diximus, non ſunt juris naturæ vel gentium, ſed pendent à voluntate iſtius, ad quem mittuntur.

Inſtr. Pac. art. 8. n. 2. in fin. Myl. ab Ehrenb. de Stat. Imp. part. 1. c. 17. §. 15 Rhet. d. l. Text. c. 14. §. 8. Inſt. Jur. Publ. l. 3. tit. 2. §. 71. & ſeqq. & tit. 19. §. 153.

V. *Quid dicendum de iis, qui impari fœdere juncti ſunt?*

℞. Si fœdus non contineat imminutionem majeſtatis, legatos mittere poſſunt. Idem dicendum de iis, qui ex parte ſubditi ſunt, ex parte non ſunt, pro ea ſcil. parte, qua ſubditi non ſunt, hoc jure gaudent. At reges, qui bello ſolenni victi, regnoque exuti ſunt, cum

Grot. d. c. 18. §. 2. n. 2. c. 15. §. 7. n. 1.

cum aliis regni bonis & jus legandi perdiderunt. Item, qui regnum dereliquerunt; item qui pulſi ſunt regno, ita ut nullum jus retinuerint; item qui abdicarunt regnum. d. l. §. 2. n. 2.

VI. *Quid ſi civitas ſcindatur in partes æquales, quarum utraque ſummum affectat imperium, ut dijudicari vix poſſit, utri iſtud competat, & quæ ſuperior haberi debeat?*

℞. Neceſſitas huic juri locum facit, & hoc eventu gens una pro tempore quaſi duæ gentes habetur. Imo fieri poteſt, ut nunquam deinceps in unum populum redeant & coaleſcant, ſed pro una gente duæ poſthac ſemper maneant, quarum unaquæque abſoluto imperio & regimine ſummo utatur. Idem dicendum, quando jure admodum controverſo de regni ſucceſſione decertant. Grot. d. c. 18. §. 2. n. 3. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 32. §. 9.

VII. *An rebelles habent jus mittendi legatos?*

℞. Non; & hinc eorum legati plerumque in carcerem conjiciuntur: at ne media reconciliationis & excuſationis ipſis adimantur, eorum deputati repelli non debent, præſertim ſi de innocentia ſua docere velint. Sic piratæ, latrones, proſcripti, quia civita- Kirchn. l. 1. c. 13. n. 38. Alber. Gent. de legat. l. 2. c. 2. Grot. d. c. 18. §. 2. n. 3. in med.

 tem

tem non faciunt, jure gentium niti non poſſunt, ſed interdum tales qui ſunt, jus legationis nanciſcuntur fide data.

VIII. *Quænam in hac materia de legatis ad jus naturæ & gentium referri ſolent?*

Grot. d. c. 18. §. 3. n. 1.

℞. Duo ſunt: prius, ut admittantur; quamvis & hoc interdum pendeat à voluntate ejus, ad quem mittuntur, vid. q. 3. in fin. deinde, ne violentur.

IX. *An jus naturæ & gentium omnes legatos admitti præcipit?*

Grot. d. c. 18. §. 3. n. 1. Feld. b. l. Horn. c. 8. §. 2. n. 3. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 32. §. 11. Text. c. 14. §. 28. aliter.

℞. Non, ſed vetat ſine cauſa rejici: ſecus, quam quando admiſſio pendet tantum à voluntate ejus, ad quem mittuntur; licet ſic peccetur in civilitatem vel amicitiam ſingularem.

X. *Quot ſunt cauſæ rejectionis?*

℞. Cauſa poteſt eſſe (1.) ex eo, qui mittit, ut ſi ille qui mittit, alterius Populi, ad quem mittuntur, legatos antehac rejecit ipſe: aut ſi callida legationis ſimulatione ſæpe antehac alterum decepit, & nunc ſimile deceptionis metuatur artificium; quod autem veniat ab hoſte armato, id non videtur ſemper eſſe juſta repudii cauſa. (2.) Ex eo, qui mittitur; ut, ſi odioſa fuerit legati perſona, ſi crimine in admit-

Grot. d. c. 18. § 3. n. 2. Ziegl. d. c. §. 21.

ten-

tentis territorio commiſſo notata, ſi perfida in principem fuerit, ad quem mittitur, ſi contumeliis antehac eum proſciderit &c. Huc non refertur, ſi legatus veniat ab hoſte, & antè fuerit ſubditus ejus, ad quem mittitur. (3.) Ex eo, ob quod mittitur, ut ſi aperte conſtet, legatum non venire, ut agat id, quod palam profitetur, ſed ut ſeditiones moveat, concitet populum; aut ſi non ex dignitate aut temporibus conveniens ſit legatio; ut, ſi plures, arcto fœdere uniti, pacem non ſint facturi, antequam hoſtem ſuperbum & perfidum intra juſtos limites ad reſtitutionem inique ablatorum coëgerint, vireſque nocendi ita ademerint, ut juſta ultione poſthac ſecuritati ſuæ conſultum eſſe appareat, & ille malo ſuo delinquere dedoceatur. An autem juſta ſit rejectionis cauſa, ſi legatio debeat eſſe perpetua, ſeu an jure rejicere poſſimus legatos perpetuos, qui Reſidentes vocari ſolent? dubitatur. Cæterum, ſi ſine juſta cauſa aliquis rejiciat legatos, non tantum peccat contra officium, ſed & contra jus humanitatis, ita ut, cæteris paribus, hæc poſſit eſſe juſta belli gerendi cauſa.

Kulpis. d. Ex. 8. c. 18. §. 2. in fin. Grot. h. c. §. 3. n. 2. in fin. & Ziegl. h. l. aliter.

XI. *Cur legati jure naturæ & gentium ſunt inviolabiles?*

Horn. d. c. 8. §. 8. *Ziegl.* §. 13. *Grot. h. c.* §. 4. *n.* 5. *aliter.*

℞. Quia legatus ſubit principis vices, qui cum majeſtate gaudeat, æqualis cenſendus erit principi, ad quem miſſus eſt, & ſic neutiquam cogendus, ut diſcrimen judicii ſubeat. Et quemadmodum princeps, alterius territorium ingrediens volente domino, quamdiu ſe hoſtem peregrinæ reip. non profitetur, eo honore eaque reverentia colendus eſt, ac ſi apud ſuos ageret, ita & legatus, qui principem repræſentat. Hinc eſt, cur non fiant ſubditi temporarii ejus, in cujus territorio ſubſiſtunt, & cur jure civili populi, apud quem vivunt, non teneantur: & ſi delictum committant, tale quidem, quod contemni poſſe videatur, id aut diſſimulandum erit, aut è finibus jubendus excedere legatus: ſi ſcilicet per tale delictum ita vileſcat perſona legati, ut turpe ſibi ducat princeps, cum tali homine tractare; aut ſi tale non ſit, remittendus erit legatus ad eum, qui miſit, cum poſtulato, ut eum puniat, aut dedat.

XII. *Si legatus moliatur aliquid in ſtatum reip: ſi in caput regis conſpiret, populum concitet &c.?*

℞. Pro

℞. Pro ratione delicti commiſſi, occidi poterit, non per modum pœnæ, ſed per modum naturalis defenſionis, tanquam hoſtis: modò crimen adeo manifeſtum ſit, ut vel negare id nequeat, vel apertis convinci teſtimoniis poſſit. Non hic ſuſpicionibus agendum, quæ temerariæ plerumque ſunt, & ut in virum bonum non cadunt, ita non ſufficiunt, ut viri magni, quales ſunt legati, ex iis ſortiantur judicium.

Grot. d. c. 18. §. 4. n. 7. Horn. §. 10. Text. c. 14. §. 44. aliter.

XIII. *At legati principem repræſentant, & vero princeps præter Deum non agnoſcit ſuperiorem?*

℞. Poteſt princeps hoſtilia moliri, & contra hoſtem arma ſumere licet, & victus captuſque, ſi ita res ferat, trucidari poteſt. Princeps ergo, quamdiu princeps manet, majeſtatem retinet, & ſic ſanctus eſt & inviolabilis: ubi verò in hoſtem degenerat, in victoris manum & poteſtatem redigitur, exſpirat priſtinum imperii axioma, ſubjicitur alterius arbitrio, & judicium ſubit, qui anteà nullum patiebatur judicem. In hoſte nemo quæſiverit, princeps ſit, nec ne. Hoſtilia molientem hoſtilia manent. Cenſeatur eo-

Ziegl. d. l. §. 18. Horn. d. l.

dem jure legatus; dum pacem colit, & ipſe colatur, dum hoſtis ſit, hoſtili jure puniendus.

XIV. *An lex de legatis non violandis etiam obligat eum, per cujus territorium tranſit legatus?*

Horn. d. c. 8. Feld. h. l. Grot d. c. 18. §. 5. n. 1. aliter.

℞. Affirmatur; quia principem ſuum repræſentat, qui eſt inſtructus imperio ac majeſtate, quocunque loco fuerit, & divinitatis quendam characterem ſibi impreſſum circumfert, & univerſæ reip. inſtar eſt. Neque admiſſio demum ipſum reddit ſanctum & inviolabilem, ſed ſecurum tantum reddit, nullam eſſe rejectionis cauſam; & hæc etiam ratio eſt, cur legationes ſoleant denunciari, & cur literæ ſalvi conductus dentur. Sicut autem in territorio iſtius, ad quem mittuntur, non ſunt ſancti, ſi hoſtilia moliantur, ita nec in territorio iſtius, ubi tranſeunt, ſi certum ſit, hoſtem eſſe legatum, qui ad amicum aut confœderatum miſſus eſt, ut iſtum ſollicitet, & in hunc tertium concitet.

XV. *An jure talionis interfici, aut male tractari legatus poteſt, ab eo veniens, qui tale quid patravit?*

℞. Sunt quidem ultionis talis exempla

pla in hiſtoriis ſatis multa; ſed nimirum hiſtoriæ non tantum ea quæ juſte, ſed & quæ inique, iracunde, impotenter facta ſunt, commemorant. Jus naturæ & gentium non tantum mittentis cavet dignitati, ſed & ejus, qui mittitur, ſecuritati. Imo videtur quis facere contra fidem, quam legatum admittendo dedit; niſi (1.) contingat, talem mitti, qui anteà auctor exſtitit injuriæ alterius legato inferendæ; quanquam & hoc caſu videatur dicendum, per admiſſionem remiſſam eſſe injuriam, & plenam ſecuritatem promiſſam. (2.) Niſi levius aliquod contumeliæ genus fuerit, legati corpus non affligens: iſta enim ignominia non legato, ſed principi, qui ſimilia primus commiſit, aſperſa cenſebitur.

Grot. d. c. 18. §. 7. Horn. l. 2. c. 8. §. 11.

Horn. d. c. 8. §. 11.

Feld. ad Grot. h. c. §. 7.

XVI. *Legati comites, miniſtri, famuli, & vaſa habentne ſanctimoniam?*

℞. Habent ſui generis ſanctimoniam; ſcilicet, ſancta ſunt acceſſorie, & à nemine lædi poſſunt. Itaque, ſi quid comites gravius deliquerint, poſtulari à legato poterunt, ut eos dedat (vi enim abſtrahendi non ſunt) aut puniat; quod ſi dedere nolit, eadem facienda erunt, quæ ſupra de legato diximus.

Grot. d. c. 18. §. 8. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 32. §. 21.

XVII.

d.§.8.n.2. XVII. *At legatus eos punire non poteſt, quia nullam in ſuos comites habet jurisdictionem, verum ea tantum exercetur à territorii domino?*

Horn. d. c. §. 5. ℞. Legatus principem refert, qui nunquam eſt ſine imperio. Hinc quemadmodum dominus territorii non poſſet in ipſius principis mittentis comites, ſi præſens eſſet, animadvertere, ita nec in comites legati, qui tantam videtur conſecutus jurisdictionem in ſuos comites, quanta requiritur ad eos regendos, & ad legationis finem obtinendum; in moralibus enim qui dat jus ad finem, dat jus ad media.

Ziegl. h. l.

XVIII. *Eſtne jus aſyli in domo legati pro quibuſvis eò confugientibus?*

Grot. d. c. 18. §. 1. n. 2. Kulpis. Ex. Grot. h. l. aliter. ℞. Hoc pendet ex voluntate ejus, ad quem miſſus eſt; ſi hic concedat, habebit, ſecus, ſi non concedat. Nam jure naturæ & gentium ea cenſentur ſaltem competere jura legato, quæ ad legationem obeundam ſunt neceſſaria. Adde, quod is quis deliquit, eſt ſubditus domino territorii, & locus, in quem fugit, eſt in & de territorio, cui talis ſecuritas annexa non eſt: nam ea quæ manant à perſona legati, ad ipſum

ipſum legatum, comites, & vaſa pertinent, non ad alios, vel ad hunc locum.

XIX. *An legati bona mobilia, pignoris cauſa, aut ad ſolutionem debiti, capi poſſunt?*

℞. Non, nec per judiciorum ordinem, nec manu regia. Nam omnis coactio abeſſe à legato debet, tam quæ res ejus neceſſarias, quam quæ perſonam tangit, quo plena ei ſit ſecuritas; & cum publico nomine adſit, omnia quæ cum ipſo ſunt, eo jure cenſeri debent. Hinc, ſi quid debiti contraxit, & ut fit, res ſoli eo loco nullas poſſideat, ipſe compellandus erit amicè, & ſi detrectet, is qui miſit; ſi ille juſtitiam nobis deneget, vel malitioſe protrahat, ad poſtremum ea uſurpare poſſumus, quæ adverſus debitores, extra territorium poſitos, uſurpari ſolent, ſcilic. Repreſſalias.

Grot. d. c. 18. §. 9. Horn. c. 8. §. 4. n. 7. Textor. c. 14. n. 25. aliter. Feld. b. l. aliter.

Grot. l. 3. c. 2. § 4.

XX. *At hac ratione nemo invenietur, qui cum legato contrahere velit?*

℞. Hoc non eſt metuendum; nam & Regibus qui cogi nequeunt, non deſunt creditores: & qui cum ipſis contrahunt, aut curent, ut pariter impleatur contractus, aut ſi fide nuda contenti ſint, ſibi imputent, quod deluſi ſint.

Grot. d. c. 18. §. 10.

XXI.

XXI. *Si violetur legatus, quid juris?*

Grot. d. c. 18. §. 11.

℞. Naſcitur parti læſæ jus belli. Sane bellorum, quæ ob male habitos legatos ſuſcepta ſunt, plenæ ſunt profanæ hiſtoriæ. Extat in ſacris libris memoria belli, quod eo nomine David geſſit adverſus Ammonitas.

CAPUT XIX.

De jure ſepulturæ.

I. *Quid ſit hominum mortuorum ſepultura.*
II. *Quotuplex.*
III. *Ex quo jure oriatur.*
IV. *An omnes homines ſint ſepeliendi.*
V. *Quid dicendum ſit de exemplis in contrarium allegatis.*
VI. *An ſepultura debeatur inſigniter facinoroſis.*
VII. *Quibus non debeatur.*
VIII. *Mortui, cum nihil ſentiant, an recte ita puniri dicantur.*
IX. *An homo ſe ipſum occidere non poſſit.*
X. *Quid ſi quis videat, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei.*
XI. *An virgo ſe ipſam occidere poſſit, ne pudicitiam amittat.*
XII. *An proditores patriæ ſepeliri debeant.*
XIII. *An ob negatam ſepulturam, bellum juſte ſuſcipi poſſit.*

I. *Quid eſt ſepultura hominum demortuorum?*

℞. Sepultura hominum demortuorum eſt officium, quod hominibus poſt mortem debemus ad cadavera ipſorum reponenda, ut perpetuò ab injuria quaſi tuta ſint, & ne ex ipſorum fœtore aër inficiatur.

II. *Quotuplex eſt ſepultura?*

℞. Se-

℞. Sepultura alia eſt honeſta, cui ceremoniæ atque ritus certi, pro cujuſque gentis & loci conſuetudine, adhibentur; alia inhoneſta ſeu ignominioſa, quæ abſque ceremoniis atque receptis ritibus fieri debet: ſeu ubi hæ ceremoniæ atque ritus adhiberi non poſſunt, propter legis prohibitionem. Ad hanc referimus aſininam ſive caninam ſepulturam, quando cadaver humanum, extra locum conſuetum, in bivio vel trivio, aut ſub patibulo, aut ubi brutorum cadavera abſcondi ſolent, à carnifice terra obtegitur.

Grot. l. 2. c. 19. §. 2. n. 4. Carpz. in Juriſp. Conſiſt. 2. p. 382. Ziegl. ad Lanc. 2. tit. 24. §. 9. p. 580. in fin.

III. *Ex quo jure oritur ſepultura?*

℞. Juri naturæ conveniens eſt, ut cadaveri humano humus porrigatur; at proteri ac laniari corpus humanum, alienum merito videtur ab iſtius naturæ dignitate. Hinc Jus gentium hoc inter omnes gentes, quæ ratione ſua recte utuntur, conſtituit, ut cum homo cæteris animantibus præſtet, cadaver ejus in talem locum reponatur, ubi ab omni quaſi injuria inferenda liberum ſit, & ne fœtore ipſius aër inficiatur.

Grot. d. c. 19. §. 1. n. 1. & 4. & §. 2. n. 4. & 5. h. l. & Ziegl. Oſiand. Puf. l. 2. c. 3. §. 22. in fin. aliter.

IV. *An omnes homines ſepeliendi?*

℞. Omnes, etiam inimici & hoſtes, quia hoc officium non tam homini, i.

Grot. d. c. 19. §. 2. n. 6. & §. 3. n. 1. Seld. l. 6. c. 16. p. 783.

e. perſonæ, quàm humanitati, i. e. naturæ humanæ, præſtari dicitur. Nullum cum victis certamen & æthere caſſis; nam quod malorum eſt extremum, illis jam accidit. Si inter viventes fuerat certamen, odia mors aliena compeſcat; jam tacet, cum quo antè litigabas.

V. *At exempla extant in contrarium, & hoſtibus ſepultura eſt denegata?*

Grot. d. c. 19. §. 3. n. 4. & Oſiand. ibi.

℞. Verum eſt; ſed hæc exempla communi judicio ſunt damnata: & ferinum eſt, bellum gerere cum mortuis, qui ejuſdem naturæ fuerunt. Præterea extant exempla eorum, qui eos vel ſepeliendos curarunt, vel tradiderunt.

VI. *An etiam debetur ſepultura inſigniter facinoroſis?*

Feld. b. c. Grot. d. c. 19. §. 4. Oſiand. b. l. & Giſbert. Voet. ibi alleg.

℞. Affirmatur, niſi ultra mortem quid meriti ſint; ſcilicet ad hoc, ut omnem tandem humanitatem exuamus erga mortuum, requiritur tale facinus, quod in hominem non cadit, ſed à feritate quadam proficiſcitur. Quorum enim cadavera ſine ſepultura projiciuntur, feris æquantur.

VII. *Quinam ſunt iſti?*

Grot. d. c. 19. §. 5. n. 1.

℞. Qui deliberato animo ipſis ſibi mor-

mortem conſciverunt; nam in hos, qui mortem pro ſupplicio non habent, aliud ſupplicium conſtitui non poteſt.

VIII. *At vero mortui nihil ſentiunt, nec damno nec pudore affici poſſunt?*

℞. Verum eſt, nihil ſentiunt, tamen poſt mortem fama vivit, quæ damno & pudore quaſi afficitur: & ſatis eſt, id quod mortuis accidit, metui à vivis, ut hoc pacto à peccato retrahantur.

Grot. d. c. 19. § 5. n. 1. in fin.

IX. *An ergo homo ſe ipſum interficere non poteſt?*

℞. Non, quia homo nullum jus habet in ſuam vitam, ad eam deſtruendam, ſed tantum ad eam conſervandam: nec injuſſu ejus, à quo animus nobis datus eſt, ex hac vita demigrandum. Imo quia proximum ſuum occidere non poteſt, multo minus ſe ipſum; quilibet enim ſibi ipſi proximus eſt, & ſe ipſum ad minimum debet amare, ut proximum. Adde, quod natura vitam ponit in bonis, mortem in malis, ut eo ipſo ab occiſione ſui ipſius deterreat hominem.

Grot. d. c. 19. §. 5. n. 2. Molina tom. 4. tr. 3. diſp. 9. Franc. à Vict. relect. de Homic. 10. n. 2. p. 430. Matth. de crim. ad l. 48. tit. 5. c. 1. §. 9.

X. *Quid ſi quis videat, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei, an non ex præſumta Dei volunta-*

Z te,

te, aliquis ſe ipſum interficere poteſt?

Oſiand. ad d. c. 19. §. 5. n. 4. Ziegl. h. l. Grot. d. l. aliter.

℞. Non, (1.) quia ita certò hoc non poteſt prævideri, Deo enim ſingulis momentis varii ſunt modi illud probrum impediendi, talem hominem vindicandi, & gloriam ſuam manifeſtandi. (2.) Quamvis ſic, vitam ſibi tollendo, impediat probrum, quod in Deum redundaret, tamen non ſequitur, quod hic actus ſit bonus & licitus, quia ad hoc requiritur etiam medium licitum. (3.) Voluntas Dei non poteſt præſumi, cum oppoſita voluntas de non interficiendo ſe ipſo, ſit revelata. Idem dicendum, ſi quis ſe ipſum interficiat, ne tormentis adactus Chriſti religionem ejuret.

XI. *An virgo ſe occidere poteſt, ne pudicitiam amittat?*

Matth. d. l.

℞. Non, quia quæ vi ſtupratur, mente virgo eſt: mens enim peccat, non corpus, & ubi conſilium abeſt, ibi crimen abeſt. Quid gravius pati poteſt, quæ alienæ libidini corpus ſuum ſubſternere conſtanter recuſat, quàm mortem? ea igitur exſpectanda, non occupanda; nam mori velle, ne moriare, furor eſt. Idem dicimus de iis, qui ſe vel interficiunt, vel mandant

hoc

hoc aliis, ne in hoſtis manus perveniant, à quo metuunt cruciatus & mortem ignominioſam. Quamvis tamen omnibus his in caſibus, ſi quis humanæ imbecillitati cedat, & de facto ſe ipſum occidat, eum excuſandum potius æſtimemus, quàm iſtum qui, citra neceſſitatem, ſciens atque volens ſe occidit. Idem ſtatuendum, ſi quis citra mandatum pulvere nitrato accendat navim, ne in hoſtium forte manus veniat, & ne hoſtis navi, cum publico damno, potiatur. Item, ſi quis ab hoſte captus examinatuſque, ad evitanda tormenta, quibus ſe parem fore deſperat, ſe interimat, ne arcana reip. ei concredita, cum evidenti malo ſuorum concivium, prodere cogatur.

Puf. d. l. 2. c. 4. §. 5. jung. Grot. l. 2. c. 20. §. 29. n. 1.

Leſſ. de J. & J. l. 2. c. 9. dub. 6. n. 34. aliter.

XII. *An ſepeliri debent proditores patriæ?*

℞. Apud plures gentes his denegatur ſepultura, propter criminis enormitatem, ut exemplum ſtatuatur. Hinc etiam fluit, cur in aliis delictis, ſi opus ſit exemplo, damnatorum corpora diu in publico conſpectu relinquantur. Et ſicut propter exemplum ſtatuendum, ipſis omnino ſepulturam poſſumus negare, ita propter publicam uti-

Grot. d. c. 19. §. 5. n. 5.

Grot. d. c. 19. §. 4. n. 8. aliter.

Matth. Steph. de juriſdict. l. 1. c. 6. n.

332. *Limn. l. 8. c. 4. n. 32.*

utilitatem, magiſtratus eorum corpora diſſecanda tradere poteſt.

XIII. *An ob negatam ſepulturam bellum juſte ſuſcipi poteſt?*

Grot. d. c. 19. §. 5. n. 5. & Kulpis. ibi. Ziegl. Oſiand. h. l. aliter.

℞. Affirmatur, ſi ſcilicet ex denegata ſepultura, magna injuria ſeu contumelia redundet in ipſam remp. e. g. ſi alicujus populi Rex, in bello occiſus, à victore ex patibulo ſuſpendatur, vel in alio loco ignominioſo diu aliorum conſpectui exponatur. Si enim juſta ſuſcipiantur bella propter violatos legatos, cur non, ſi per eum, qui fuit reip. caput, injuria reſp. afficiatur?

CAPUT XX.

De Pœnis.

I. *Conſideratis factis, ut poſſunt reparari, quomodo ea porrò conſideranda ſint.*

II. *Quid ſit pœna.*

III. *Quid ſit malum paſſionis.*

IV. *An incommoda ex morbis recte pœnarum nomine veniant.*

V. *An delinquentem punire, licitum tantum ſit, an verò præceptum.*

VI. *Pœna an ad juſtitiam aſſignatricem, an ad expletricem pertineat.*

VII. *Jus puniendi an competat ſoli ſuperiori.*

VIII. *An quis male agendo & delinquendo, aliis non delinquentibus ſe ſubjiciat.*

IX. *Superior æque nocens an alium punire poſſit.*

X. *An pœna utilitatis alicujus cauſa exigi debeat.*

XI. *Quæ ſint utilitates pœnæ, & quotuplex ſit ejus finis.*

XII. *Quæ pœna reſpiciat primum finem.*

XIII. *Cui delinquentis emendatio competat; an ſuperiori; an hoc pœnæ genus ad mortem pertingere poſſit.*

XIV.

XIV. *Quæ pœna reſpiciat finem ſecundum.*
XV. *Cui competat jus hanc pœnam exigendi, an itidem ſuperiori.*
XVI. *Quid ſi quis verſetur in locis, ubi copiam judicis habere non poteſt.*
XVII. *Quæ pœna reſpiciat finem tertium.*
XVIII. *An jus hanc pœnam exigendi etiam ſuperiori competat.*
XIX. *An leges humanæ, quæ interfectionem quorundam hominum permittunt, interfectoribus jus verum apud Deum præſtent, an tantum inter homines impunitatem.*
XX. *An omnes actus vitioſi ab hominibus puniri poſſint.*
XXI. *An interdum ignoſcere aut veniam dare liceat. An & ante & poſt legem pœnalem latam.*
XXII. *Quomodo poſt legem pœnalem latam; quum legiſlator legibus ſuis teneatur. Quomodo ante legem pœnalem latam.*
XXIII. *Quotuplices ſint cauſæ ad ignoſcendum probabiles. Quæ ſit cauſa intrinſeca.*
XXIV. *Quæ ſint cauſæ extrinſecæ.*
XXV. *Quæ conſideranda ſint ad juſtam pœnæ taxationem.*
XXVI. *In merito, ſeu delicto, quæ examinanda ſint. Quæ ſint cauſæ ad delinquendum impellentes.*
XXVII. *Quotuplex ſit cauſa, quæ à delinquendo abſtrahere debuit.*
XXVIII. *An vita anterior, ſimul cum delicto, in æſtimationem veniat.*
XXIX. *Perſonæ aptitudo quid conferat ad æſtimandum meritum ſeu delictum.*
XXX. *An in pœnis requiratur paſſio omninò par delicto, an verò extendi poſſit ad majus nocumentum, quàm quod peccans intulit.*
XXXI. *Quæ ſit intrinſeca pœnæ taxatio, quæ extrinſeca.*
XXXII. *Quæ ſint præcipua incitamenta ad peccandum, & an propter facilitatem & conſuetudinem peccandi, pœnæ intendantur.*
XXXIII. *Ubi pœna eſt arbitraria, an rectius minuatur.*
XXXIV. *An ad pœnam exigendam bellum ſuſcipi poſſit.*
XXXV. *An reges jus habeant puniendi quaſvis perſonas jus naturæ & gentium violantes.*
XXXVI. *An detur bellum pœnale, propter delicta in Deum commiſſa.*
XXXVII. *An ad religionem Chriſtianam propagandam, bellare liceat.*
XXXVIII. *An in Chriſtianos quà tales, vel eos qui*

Chriſti legem pro vera quidem habent, ſed circa ejus interpretationem hallucinantur.

I. *Conſideratis factis, ut poſſunt reparari, quomodo ea porrò conſirantur?*

Grot. l. 2. c. 20. §. 1. n. 1. ℞. Ut punienda.

II. *Quid eſt pœna?*

Grot. d. c. 20. §. 1. n. 1. l. 131. de V. S. ℞. Pœna eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis: ſeu pœna eſt noxæ vindicta, & delictorum coërcitio.

III. *Quid eſt malum paſſionis?*

Grot. d. c. 20. §. 1. n. 1. Puf. l. 8. c. 3. §. 4. Kulpis. h. c. Ziegl. aliter. ℞. Paſſionis malum eſt omne id, quod per modum coactionis & pro imperio alicui imponitur, propter malum actionis, ſeu propter delictum præcedens: ſive in agendo, ſive in omittendo conſiſtat; omiſſio enim comprehenditur hîc ſub actione. Huc referuntur operæ, quæ alicui pro pœna injunguntur, ut ſi quis condemnetur ad metallum, àd ergaſtulum, extruendum vallum &c. ſi ſcilicet tantum conſiderentur ut moleſtæ, & ut paſſiones, propter præcedens delictum; ſi enim conſiderentur ut debitæ vi ſummi imperii, etiam invito poſſunt injungi, ſed pœnæ non ſunt.

IV. *Quid dicendum de incommodis, quæ patiuntur aliqui ob morbum con-*

contagioſum, aut corpus mutilum, aut ob alias impuritates?

℞. Quamvis reſpectu Dei pœnæ poſſint vocari, & etiam ita appellari ſoleant, tamen hominum reſpectu pœnæ non ſunt; quia hæ requirunt & præcedens delictum & ſuperioris ſententiam. Hinc etiam, ante ſententiam latam, carcer pro pœna haberi non poteſt, ſed tantum pro cuſtodia. *Grot. d. c. 20. §. 1. n. 3. Puf. l. 8. c. 3. §. 4. circa fin. Ant. Matth. de crimin. tit. quibus modis crimen extingu. c. 5. n. 3.*

V. *An aliquem pœnâ licet afficere?*

℞. Jure naturæ non tantum æquum eſt, ut qui malum fecit, malum ferat, verum etiam præcipitur, ut delinquentes puniantur; nam eâdem operâ, qua Jus illud prohibet delicta, præcipit quoque pœnam; & lex, niſi ſit imperfecta, ſanctione non caret. *Ziegl. b. c. §. 1. n. 2. & de jur. maj. l. 1. c. 8. n. 10 & 11. Puf. l. 8. c. 3. §. 1. in med. Grot. b. c. §. 1. n. 2. aliter.*

VI. *Pœna an pertinet ad juſtitiam aſſignatricem ſeu diſtributivam, an ad expletricem ſeu commutativam?*

℞. Pertinet ad expletricem ſeu commutativam, quia eſt tantùm collatio rei cum re, ſeu tantùm confertur pœna cum delicto: ſi hoc ſit magnum vel parvum, etiam pœna eſt magna vel parva. Sicut in emtione eſt collatio mercis ad nummos, quanquam alibi merx eadem plus, alibi minus valet, *Grot. c. 20. §. 2. n. 3. & §. 33. Feld. §. 2. & Kulpis paulò aliter. Str. Ex. 1. th. 29. Puf. l. 8. c. 3. §. 5. in fin. aliter.*

itemque nummi. Hinc quoque eſt, cur ad hanc æqualitatem & proportionem obſervandam, pœnæ magnitudo non tantum nude ſpectetur, ſed & cum reſpectu ad patientem; nam mulcta eadem pauperem onerabit, ſecus quam divitem: & vili ignominia leve erit malum, honorato grave.

VII. *Cui competit jus puniendi?*

Ziegl. h. c. §. 3. de jur. maj. l. 1. c. 8. §. 11. Puf. l. 8. c. 3. §. 7. Grot. c. 20. §. 3. n. 1. aliter.

℞. Recta ratio dictat, hoc jus competere ſuperiori, ſeu illi, qui in civitate habet majeſtatem; infligitur enim pœna propter legis tranſgreſſionem, poſt cognitionem factam & ſententiam latam: quod jus tantum competit ei, qui habet ſummum imperium, vi cujus leges fert, & tranſgreſſores punit. Hinc omnia mala, quibus quis in bello ſubjicitur, huc non pertinent, licet inferantur propter præcedens delictum.

Grot. c. 20. §. 3. n. 1.

VIII. *At eo ipſo, dum alius peccat, me ſuperiorem & ſe inferiorem facit, & quaſi ex hominum cenſu ſe detrudit in beſtiarum numerum, quæ homini ſubjacent?*

Grot. l. 2. c. 1. §. 9. n. 2. c. 8. §. 20. Puf. l. 8. c. 3. §. 7. in med. vid.

℞. Delictum imperium nec confert, nec adimit, nec ſuperiorem nec inferiorem facit: aliàs uxor maritum, filius patrem, ſervus dominum, ſubdi-

tus

tus regem punire naturaliter poſſet. Sed ſi in naturali libertate degam, & alius contra me delinquat, reparationem damni & cautionem per modum belli exigere licet.

tamen Grot. l. 2. c. 14. §. 6. n. 2. in fin.

IX. *Quid ſi ſuperior æque nocens ſit?*

℞. Officio judicis nihil decedit: licet ſit indecorum & legum reverentiam valde minuat, ſi exactor juſtitiæ iisdem vitiis maculatus ſit, quæ in aliis vindicat; videtur enim non vitiis iraſci, ſed eorum dulcedinem aliis invidere.

Ziegl. h. c. §. 3. n. 2. Puf. l. 8. c. 3. §. 7. in med. Grot. h. c. §. 3. n. 2. aliter.

X. *An homo poteſt ab homine puniri, tantùm puniendi cauſa, ſeu ut tantum voluptatem capiat ex pœna?*

℞. Non; nam homo ita alteri ipſa conſanguinitate alligatur, ut nocere ei non debeat, niſi boni alicujus conſequendi cauſa: & ad vindictam veniendum, non quaſi dulce ſit vindicare, ſed quaſi utile. Dictat enim ratio homini, nihil agendum, quo noceatur homini alteri, niſi id bonum aliquod habeat propoſitum. In ſolo autem inimici dolore ita nude ſpectato nullum eſt bonum, niſi falſum & imaginarium; ut in divitiis ſupervacuis, multiſque aliis rebus ejuſmodi. Et quo hominum quiſque minus valet rationis uſu, eo

Grot. c. 20. §. 4. n. 2. §. 5. n. 1. 2. & 3.

ad vindictam eſt pronior, juxta illud Juvenalis:

—— —— —— quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exigui-
que voluptas
Ultio; continuò ſic collige, quod vin-
dicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina.

XI. *Quæ ergo utilitates rectam faciunt pœnam?*

Kulpis.b.c. ſ. 6. Grot. c. 20. ſ. 6. n. 2. Struv. Ex. 1. th. 33.

℞. Quæ ſumuntur ex fine pœnarum. Finis pœnæ alius eſt internus, qui eſt ſatisfactio juſtitiæ, & hunc etiam Deus in omni pœna intendit; alius externus, qui præterea aliud utile atque bonum erga ſocietatem civilem reſpicit, aut utilitatem ejus qui peccavit, aut ejus cujus intererat, aut indiſtincte quorumlibet.

XII. *Quæ pœna reſpicit primum finem?*

Grot. c. 20. ſ. 7. n. 1.

℞. Quæ conſtituitur in emendationem, peccantem reddens meliorem medendi modo, qui eſt per contraria. Nam quia omnis actio, præſertim deliberata ac frequens, quandam gignit ſui proclivitatem, quæ adulta habitus dicitur, ideò vitiis, quam primum fieri poteſt, adimenda eſt illecebra, quod fieri

fieri rectiùs nequit, quam ſi dolore quodam ſubſequente ſaporem dulcedinis amittat.

XIII. *Quibus hæc punitio competit naturaliter?*

℞. Iſtis quibus naturaliter competit imperium; in familia patrifamilias, ita ut pro natura negotii, aliquid aſperioris diſciplinæ adhibere poſſit, ut diximus h. l. cap. 5. qu. 7. Parem fere poteſtatem obtinent ii, quibus loco parentum, juventus gubernanda eſt commiſſa, ut ſunt tutores, præceptores, magiſtri, qui citra modicam coërcitionem officio ſuo vix ſatisfacere poſſunt; quamvis hæ correctiones proprie pœnæ non ſint, verum vi imperii paterni vel ſimilis, alicui competant. In civitate magiſtratui: ita tamen, ut hoc genus pœnæ ad mortem uſque procedere non poſſit, cum abſurdùm videatur, aliquem emendationis cauſa in eum ſtatum redigere, ut emendationis ſpecimen exhibere non poſſit, niſi eo modo, quem reductivum vocant, in quantum ingeniis inſanabilibus melius eſt, i. e. minus malum, emori, quàm vivere, quando certum eſt, vivendo pejores evaſuros. Caſtigatio, quæ fit verbis, magis

Puf. l. 8. c. 3. §. 10. Ziegl. h. c. §. 7. n. 2. Kulpis. Ex. 9. §. 3. Grot. c. 20. §. 7. n. 2. aliter.

gis conſilium & admonitio videtur, quam pœna: & ſi fiat vehementioribus verbis, non tam communi aliquo jure eſt conceſſa, quam vel jure imperii, vel amicitiæ lege.

XIV. *Quæ pœna reſpicit finem ſecundum?*

Grot. c. 20. §. 8. Puf. l. 8. c. 3. §. 11.

℞. Hunc, ne ſcil. ille, cujus intererat, non peccatum eſſe, poſthac tale quid patiatur ab eodem, aut ab aliis. Illud tribus modis curari poteſt: primum, ſi tollatur is qui deliquit; deinde ſi vires nocendi ei adimantur; poſtremò, ſi malo ſuo dedoceatur delinquere. Hoc, ſcilicet, ne ab aliis lædatur, qui læſus eſt, punitione non quavis, ſed aperta atque conſpicua, quæ ad exemplum pertinet, obtinetur.

Puf. d. c. 3. §. 11. Oſ. l. c. §. 8.

Unde eſt, quod fere pœnæ infligi ſoleant in locis celebribus, & cum terribili apparatu, ut horror vulgi animis incutiatur.

XV. *Cui competit jus exigendi hanc pœnam?*

Grot. c. 20. §. 8. n. 2. aliter. Boecler. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 15. Frantzk. Ex. 12. q. 6. Boecr. de

℞. Iſti ſoli, penes quem eſt ſummum imperium; etſi in nonnullis civitatibus legiſlatores etiam privatis hoc jus permittere ſoleant. Sic Germanicis nationibus, ante Chriſtianiſmum, uſitata erant certamina ſingularia, quæ alicubi

licubi nec dum ſatis deſueta ſunt: alicubi autem, ubi officio ſuo recte & cum immortali laude funguntur imperantes, hodie ſub pœna capitis prohibita ſunt.

bel. & duel. l. 2. c. 2. §. 4. & ſeqq. Thomaſius de duell. var. gen. mor. c. 1. §. 25. & ſeqq. Conſt. Ser. El. Brandenb. de duellis.

XVI. ***Quid ſi quis verſetur in locis, ubi copiam judicis habere non poteſt, vel in ſtatu naturali extra civitatem?***

℞. Adverſus eum, qui me inſultat, defendere me poſſum, interdum etiam jure belli ipſum occidere; ſi deſiſtat, injuriam illatam vindicare, citra auctoritatem publicam, non licet. Jus enim naturæ vult, ut me non amplius lædentem amem, propter cognationem, quam natura inter nos conſtituit, non autem ut eum lædam.

Grot. d. c. 20. §. 8. n. 5. Ziegl. b. c. §. 8.

XVII. ***Quæ utilitas reſpicit tertium finem?***

℞. Utilitas indiſtincte quorumlibet; qui finis eaſdem habet partes, quas ille, qui ad læſum pertinet. Nam aut hoc agitur, ne qui uni nocuit, aliis noceat: quod fit eum tollendo, aut debilitando, e. g. arma ipſi auferendo aut conſtringendo, ita ut nocere nequeat, aut emendando: aut ne alii, impunitate illecti, aliis quibusvis moleſti ſint; quod ex ſuppliciis conſpicuis obtine-

Grot. c. 20. §. 9. Puf. l. 8. c. 3. §. 12

tinetur ſeu exemplis, quæ ideo adhibentur, ut unius pœna metus ſit multorum, utque pœnæ genere cæteri deterreri poſſint.

XVIII. *Cui competit jus exigendi hanc pœnam?*

Puf. d. c. 3. §. 13. Ziegl. h. c. §. 9. Oſiand. h. c. §. 9. Grot. c. 20. §. 9. n. 2. aliter.

℞. Iſti qui ſummum imperium habet, & cui à ſummo imperio hoc eſt conceſſum. Sic quando apud quosdam populos, & patribus in liberos, & dominis in ſervos, conceditur jus puniendi plenum, etiam ad mortem usque, hæc eſt particula quædam imperii publici, auctoritate publica exercendi. Si quid perpetratur in illis locis, atque inter illas perſonas, quæ certis judiciis non ſubſunt, puta in piratas, id ad jus belli pertinet, quod à poteſtate pœnas exigendi diverſum eſt. In piratas enim ac prædones cum omnium hoſtes ſint, quilibet homo miles eſt.

XIX. ***An leges humanæ, quæ interfectionem quorundam hominum permittunt, interfectoribus jus verum præſtant, etiam apud Deum, an tantum inter homines impunitatem?***

Ziegl. h. c. § 17. Puf. l. 8. c. 3. § 24.

℞. Leges humanæ verum jus præſtant, etiam apud Deum, quando naturæ & divinis legibus non ſunt contrariæ: id quod ex finium connexione con-

conſtare debet, nam prout fines obtineri poſſunt, vel non, ita & pœnæ poſſunt remitti vel intendi. Interim hæc regula tenenda: Ubi lex dolori indulget, pœnam humanam tollit, non vitium, ut in marito, qui adulteram uxorem aut adulterum occidit; ſi verò periculum reſpiciat futuri mali ex dilatione pœnæ, cenſenda eſt jus ac poteſtatem publicam privato concedere, ita ut jam privatus non ſit. Sic qui hoſtili animo venit ad delendam patriam, fures nocturni, latrones, & populatores agrorum nocturni recte occiduntur, quoniam ſerum eſt legis auxilium exſpectare.

Grot. c. 20. §. 17.

Ant. Matth. de crim. l. 48. tit. 5. c. 2. §. 6. & 7.

XX. *An omnes actus vitioſi puniri ab hominibus poſſunt?*

℞. Pro certo habendum eſt, non omnes eſſe tales. Primùm enim actus mere interni, ut cogitatio de peccato aliquo, cupiditas, deſiderium, quia civilis ſocietas his non læditur, non ſunt puniendi, etiamſi caſu aliquo, puta per confeſſionem ſubſecutam, ad notitiam aliorum perveniant: modò in externos non influant; tunc enim veniunt in æſtimationem, quia ad qualitatem & quantitatem meriti ſeu delicti maximum momentum adferunt, & mul-

Grot. c. 20. §. 19. n. 1. & 2. Puf. l. 8. c. 3. §. 14.

multum intereſt, an dolo, an verò culpa quis delinquat; item, an cogitet ſaltem quis v. g. de ſtupranda virgine, an verò etiam eam proſternat, tametſi perficere non potuerit. Secundò, puniendæ non ſunt culpæ minores & quaſi quotidianæ; nam ab omni omninò peccato & ſemper abſtinere, ſupra humanam eſt conditionem, ut ea nunc eſt, & cognatum homini eſt peccare: tamen qui ob corporis concretionem in animum tranſeuntem (ut, in quibus bilis prævalet, iracundi ſunt, in quibus ſanguis, ad venerem proni) aut ex adulta conſuetudine peccant, puniri ſolent ob culpam præcedentem, quia aut neglecta ſunt remedia, aut ultrò attracti in animum morbi. Tertiò, quædam peccata interdum ideò non puniuntur, quia citra convulſionem civitatis tolli nequeunt, ut lupanaria in quibuſdam civitatibus. Quartò, illa vitia humana, quæ ex corruptione mortalium communi reſultant, quamdiu in enormes actus non erumpunt, non ſunt punienda, ut avaritia, ambitio, inhumanitas, ingratus animus, & in genere talia vitia, quibus opponuntur virtutes, quarum natura coactionem repudiat.

Ziegl. h. c. §. 19.

Puf. l. 8. c. 3. §. 14. in fin

Grot. h. c. §. 20. n. 1. in fin. & n. 2.

Seld. de J. N. & G. l. 6. c. 6. p. 728. & ſeqq. Boecl. diſſert. ad Grot. l. 3. p. 100.

XXI.

XXI. *An ignoſcere aut veniam dare licet interdum?*

℞. Licet, ſive pœna penitùs tollatur, ut fit in diſpenſatione, ſive minuatur, ut fit in mitigatione; & non ſolum ante, ſed & poſt legem pœnalem latam. Si enim majeſtas totam legem tollere poteſt, etiam vinculum ejus circa perſonam aut factum ſingulare, manente de cætero lege.

Grot. c. 20. §. 21. 22. & 24. n. 2. Ant. Matth. de crim. l. 48. tit. 19. c. 5. n. 1.

XXII. *At legiſlator aliquo modo legibus ſuis obligatur, & ſic poſt legem latam, quæ pœnalis dicitur, non videtur poſſe diſpenſare circa pœnam, vel eam mitigare?*

℞. Poſt legem pœnalem major quidem videtur difficultas, & quatenus legis auctor ut pars civitatis ſpectatur, lege ſua interdum obligatur, non verò quà civitatis ipſius perſonam atque auctoritatem ſuſtinet. Nam quà talis eſt, poteſt legem etiam totam tollere, quia legis humanæ natura eſt, ut à voluntate humana pendeat, non in origine tantùm, ſed & induratione. Non debet tamen legis auctor legem tollere, niſi probabili de cauſa, peccaturus alioqui in regulas juſtitiæ gubernatricis. Ante legem pœnalem, ubi jus ſcriptum non eſt, & pœnæ ſunt arbitrariæ,

Grot. c. 20. §. 24. Puf. l. 8. c. 3. §. 16. Ziegl. d. c. §. 22. & Oſiand. aliter.

Grot. d. c. 20. §. 22.

diſpenſatio faciliùs obtinet, quia quamvis naturaliter is qui deliquit, in eo ſtatu ſit, ut puniri poſſit, non tamen ſemper neceſſariò punitur, ſed hoc pendet ex connexione finium, ob quos pœna inſtituta eſt, cum ipſa pœna. Quare ſi (1.) fines illi per ſe morali æſtimatione neceſſarii non ſint, ut ſi ſit peccatum pauciſſimis cognitum, cujus proinde publica traductio non neceſſaria ſit, aut damnoſa etiam: aut ſi (2.) alii fines ex oppoſito occurrant non minus utiles aut neceſſarii, ut in eo, qui bene merita, aut ſua, aut parentum, repenſari digna, culpæ opponit; aut (3.) ſi fines pœnæ propoſiti alia via obtineri poſſint, ut in eo, qui verbis emendatus eſt, aut læſo verbis ſatisfecit, ita ut ad eos fines pœnâ jam opus non ſit. Interdum tamen hæc tria occurrere poſſunt, aut (1.) ut pœna omninò ſit exigenda, ut in peſſimi exempli ſceleribus; aut (2.) ut omninò ea non ſit exigenda, ut ſi bonum publicum omitti eam exigat; aut (3.) ut liceat utrumvis. Utroque tamen caſu, ſcilicet & poſt & ante legem pœnalem, hoc non eſt faciendum, niſi cauſa ſubſit probabilis, & delictum tale ſit, ut aggratiatio (ut loquuntur) poſſit locum habere; quò homi-

Grot. d. c. 20. §. 23.

Matth. de crim. l. 48. tit. 19. c. 5. n. 2. jung. tamen Ziegl. de jur. maj. l 1. c. 8. §. 3. & 8. ad Grot. h. c. §. 22. Puf. l. 8. c. 3. § 26.

homicidium referri non poteſt, vel delicta, quæ lex divina, aut recta ratio, gentiumque conſenſus capitis ſupplicio puniri jubet. Quæ autem ſint cauſæ probabiles, licet hoc præciſe definiri non poſſit, tenendum tamen eſt, majores eſſe debere poſt legem, quam quæ ante legem ſpectabantur, quia legis auctoritas, quam ſervari utile eſt, ad cauſas puniendi acceſſit.

XXIII. *Quotuplices ſunt cauſæ liberandi aliquem à pœna legis?*

℞. Cauſæ ſolent eſſe aut intrinſecæ aut extrinſecæ. Intrinſeca, cum ſi non injuſta, dura tamen eſt pœna ad factum comparata; quamvis proprie loquendo, quando certæ circumſtantiæ occurrunt, quæ delicti atrocitatem, qualem lex præſupponit, minuunt, ex æquitate potiùs pœna mitigetur, etiam ab inferiore magiſtratu, quàm diſpenſetur. Aliud enim eſt æqua legis interpretatio, aliud diſpenſatio.

Grot. c. 20. §. 25. Ferd. Vaſq. Contr. illuſt. l. 1. c. 36. aliter.

XXIV. *Quæ ſunt cauſæ extrinſecæ?*

℞. Aut meritum aliquod antecedens ipſius delinquentis, aut majorum ejus; aut alia res, quæ ipſum commendat, ut inſigne artificium, vel ſi delinquens omninò ſit neceſſarius ad conſervationem Statûs; aut ſpes magna ſit, fore

Grot. c. 20. §. 22. n. 1. & §. 26. Puf. l. 8. c. 3. §. 16. in med.

ut peccatum inſignibus factis eluatur; aut interceſſio magnatum interveniat; aut ſi ratio legis ſaltem particulariter ceſſet in hoc facto, de quo agitur. Nam quanquam, ad ſuſtinendam legis efficaciam, ſatis ſit ratio univerſalis, ſine repugnantia contrariæ rationis, tamen ceſſatio rationis, etiam quæ particularis eſt, efficit, ut lex faciliùs, & minori cum damno auctoritatis, ſolvi poſſit: ut ſi ſint leges ſumptuariæ, quarum ratio generalis eſt voluntas legiſlatoris, particularis autem, ne inutilibus & immodicis ſumtibus privati exhauriantur, dives tamen aliquis, qui has leges tranſgreditur (quia in eo ceſſat hæc ratio legis particularis) facile diſpenſationi locum faciet. Sic eſt juſta diſpenſandi cauſa, ſi delictum per ignorantiam, quamvis omni culpa non carentem, aut per animi infirmitatem ſuperabilem quidem, ſed difficulter ſuperabilem, committitur. Interdum multitudo delinquentium gratiæ locum facit, ne pœna, quæ ſervandæ ſocietati inventa eſt, ad civitatem evertendam valeat.

XXV. *Ut ergò rectè æſtimemus pœnam, quotnam ſunt conſideranda?*

℞. Duo: id (1.) ob quod pœna in-

infligitur, & (2.) cujus ergò. Ob quod, eſt meritum; cujus ergò, eſt utilitas ex pœna. Puniendus nemo eſt ultra meritum, & intra meriti modum magis aut minùs peccata puniuntur, pro utilitate. *Grot. c. 20. §. 28.*

XXVI. *In merito ſeu delicto quotnam veniunt examinanda?*

℞. Examinanda veniunt (1.) cauſa, quæ impulit, (2.) cauſa, quæ retrahere debuit, & (3.) perſonæ idoneitas ad utrumque. Vix quiſquam gratis malus eſt, aut ſi quem malitia propter ſe ipſam delectat, is ultra modum humanum proceſſit. Pars maxima ad peccandum ducitur affectibus, quorum aliqui impetu quodam impellunt ad declinandum malum, qui maxime naturales ſunt, ideoque inter appetitus honeſtiſſimi, & quæ mortis, carceris, doloris, aut ſummæ egeſtatis vitandæ cauſa, injuſte fiunt, maxime excuſabilia videri ſolent. Cæteri appetitus ad bonum aliquod tendunt, aut verum, aut imaginabile. Vera bona, extra virtutes & earum actiones, quæ ad peccatum non ducunt, ſunt aut (1.) delectantia, aut (2.) delectantium cauſa, quæ utilia vocantur, ut poſſeſſionum abundantia; licet interdum præbeant occaſionem peccandi. Imagina-

Grot. c. 20. §. 29. Puf. l. 8. c. 3. §. 19. Oſiand. h. c. §. 29. aliter.

Puf. l. 2. c. 4. §. ult. in med. Grot. l. 2. c. 1. §. 7. & ibi. Boecl.

nabilia, non autem verè bona ſunt, excellentia ſupra alios, quatenus à virtute & utilitate ſejungitur, & interdum à ſola nativitate deſumitur, vel à munere, cui quis præfectus eſt: item vindicta, quæ ex inimici dolore voluptatem capit &c. quæ quo magis à natura abeunt, eo ſunt fœdiora, & delicta propterea commiſſa, minùs excuſabilia.

XXVII. *Cauſa, quæ à delinquendo abſtrahere debuit, quotuplex?*

Grot. c. 20. §. 30. *Puf. l.* 8. *c.* 3. §. 20. *Str. Ex.* 48. *th.* 4. & *ſeqq.*

℞. Alia (1.) generalis, ſcilicet injuſtitia, quæ eo major eſt, quo majus alteri damnum infertur. Ideò primum locum obtinent delicta conſummata, poſtremum, quæ ad actus aliquos, ſed non ad ultimum, proceſſerunt: in quibus tanto quidque eſt gravius, quo ulteriùs proceſſit. In utrovis genere ea injuſtitia eminet, quæ communem ordinem perturbat, ut eſt crimen læſæ majeſtatis, ac proinde plurimis nocet. Sequitur ea, quæ ſingulos tangit. Maxima hic eſt, quæ vitam, proxima, quæ familiam, cujus fundamentum eſt matrimonium; poſtrema, quæ res ſingulas expetibiles ſpectat, ſive directè ſubtrahendo, ſive dolo malo cauſam dando damni, quod ſecuturum pro-

probabile eſt; ſic in incendio & perfoſſo aggere multorum ſummæ calamitates & mortes ſpectandæ ſunt. Alia (2.) eſt ſpecialis. Interdum enim ad injuſtitiam generalem aliud accedit vitium, puta impietas in parentes, inhumanitas in propinquos, ut in parricidio, ingratus animus in beneficos; gravius quippe afficit ab amico, quam ab hoſte, illata injuria. Non parum quoque refert, quo in loco aut tempore delictum fuerit perpetratum. Sic fœdius eſt in templo ſtuprum committere, quàm in caupona. Sic in conſeſſu judicum pulſari gravius eſt, quam intra privatos parietes. Sic graviùs delinquit, qui ſe inebriat die precibus ſingulariter deſtinato, quam qui alio die &c. *d. §. 30. n. 3.*

XXVIII. *An etiam vita anterior ſimul cum delicto in æſtimationem venit?*

℞. Affirmatur, apparet enim major pravitas, ſi quis ſæpiùs deliquit; quia habitus mali actibus ſunt pejores. Et hinc iſti, quibus, alioqui non malis, fortè aliorum exemplo aut data occaſione ſeductis, ſubitò aliqua peccandi dulcedo ſubrepſit, mitiùs puniuntur, quàm iſti, qui peccandi habitum contra- *Grot. c. 20. §. 30. n. 3. & Ziegl. ibi.*

traxerunt; & totum vitæ genus immutarunt; niſi ſit delictum atrocius.

XXIX. *Perſonæ aptitudo, quidnam confert ad æſtimandum meritum, ſeu delictum?*

Grot. c. 20. §. 31. ℞. Perſonæ aptitudo, aut ad conſiderandas cauſas avertentes, aut ad ſuſcipiendos affectus incitantes, conſiderari ſolet in corporis mixtura, ætate, ſexu, educatione, circumſtantiis actûs. Nam pueri & fœminæ, & craſſi ingenii homines, malèque educati, juſti & injuſti, liciti & illiciti diſcrimina minùs habent cognita: & in quibus bilis prævalet, iracundi ſunt, in quibus ſanguis, ad venerem proni; tum verò huc juventus, illuc ſenectus

Ziegl. h. c. §. 31. inclinat. Hæc tamen non ita ſimpliciter accipienda erunt: verum in pueris diſtinguendum, an doli ſint capaces, nec ne; inter fœminas, utrum ſimpliciores ſint, an verò nequitiâ ſexum ſuperent; quoad craſſi ingenii homines videndum, an inter moratiores verſati ſint, an non; item utrum

Grot. c. 20. §. 31. n. 1. & 2. delictum juri naturæ, an juri poſitivo repugnet; in iracundis, an habuerint juſtam iræ cauſam, an non &c. Interim ex ira & metu delicta commiſſa minus odioſa ſunt, quam quæ ex volu-

ptatis

ptatis naſcuntur deſiderio, quod & minus efficaciter movet, & differri & aliam ſibi materiam ſine injuria quærere faciliùs poteſt. Hinc omninò illud tenendum eſt: Quo animi eligentis judicium magis impeditur, quoque magis naturalibus cauſis, eò id quod delinquitur, minoris eſſe.

XXX. *At vero in pœnis requiritur paſſio, quæ par ſit delicto (ſeu talio) ergò nec plus, nec minus, debet pati is, qui punitur, quàm is, in quem delictum commiſſum eſt, & ſic hæ cautiones ſunt ſuperfluæ?*

℞. Quando par paſſio requiritur in pœnis, id non ita accipi debet, quaſi qui alteri nocuit deliberatò, & ſine cauſis culpam valdè minuentibus, tantundem nocumenti, nec amplius, ferre debeat; nam ſic par eſſet periculum innocentis & nocentis, nec ſatis caveretur hominum ſecuritati, ſi malis non immineret major metus à legibus, quàm bonis à malorum petulantia. Atque hoc inde quoque æſtimari poteſt, quod interdum delicta quædam non conſummata puniantur, ut conſummata, ut ſi quis, hominis occidendi cauſa, cum telo ambulaverit. Quò accedit, quod talio abſoluta & ſtricta in plurimis de- Grot. c. 20. §. 32. n. 1. Puf. l. 8. c. 3. §. 17.

lictis non poſſit habere locum, e. g. in adulterio, in ſtupro, fœdo concubitu, crimine læſæ majeſtatis &c. Imò ea ne quidem in injuriis, quæ corpori inferuntur, commode poteſt locum habere. Sic, ſi ruſticus ruſtico colaphum impegerit, & percuſſus alteri reponere debeat, quomodo æquilibrium accurate ſervari poterit, & quomodo conſtabit, qualiter libratus prior colaphus fuerit? Unde ſequitur, iſtos, qui talionem requirunt, tantum innuere velle, pœnas delictis proportionatas eſſe debere, ne ſcuticâ dignum horribili flagello ſectemur, aut ſecures meritum ſcuticâ ſoleàve cædamus. Ideoque conſummatis criminibus major debet pœna reſpondere: ſed quia morte nihil eſt gravius, eaque iterari non poteſt, intra eam neceſſario conſiſtitur, additis tamen interdum pro merito cruciatibus.

Bod. de Rep. l. 6. c. ult. Habn. ad Weſenb. de juſt. & jur. n. 13.

Grot. c. 20. §. 32. in fin.

XXXI. *Quomodo ergò ſpectatur magnitudo pœnæ?*

Grot. c. 20. §. 31. Puf. l. 8. c. 3. §. 25. Str. Ex. 1. th. 32.

℟. Cum reſpectu ad patientem. Nam quia pœna eſt læſio, quæ pro diverſitate objecti, quod læditur, eſt magna vel parva, conſideranda omninò perſona, quæ eſt punienda: aliàs uni eidemque delicto mox major, mox minor

nor pœna imponeretur. Nam mulcta eadem pauperem onerabit, divitem non onerabit: & vili ignominia leve erit malum, honorato grave. Et hæc eſt intrinſeca taxatio pœnæ, cui interdum accedit cauſa extrinſeca, quæ eſt ingens periculum ab eo, qui deliquit, plerumque autem neceſſitas exempli, quæ naſci ſolet ex generalibus invitamentis ad peccandum, quæ reprimi, niſi acrioribus remediis, nequeunt. *Grot. c. 20. §. 34.*

XXXII. *Quæ ſunt iſta invitamenta?*

℞. Invitamenta præcipua ſunt conſuetudo & facilitas. Sic ob facilitatem furtum de paſcuo graviùs punitur, quam furtum de domo: & apud quaſdam gentes, furtum à domeſtico commiſſum ſeveriùs, quàm ab extraneo. Conſuetudo facti, ſeu ubi aliquod vitium in publicos mores abiit, etſi aliquid detrahit de culpa in judiciis, tamen ubi leges ſunt ferendæ, efficit, ut eidem reprimendæ pœna ſit intendenda, ſeu pœnæ acrimoniam ex aliqua parte flagitat, ut in duellis coërcendis. *Grot. c. 20. §. 35. Puf. d. l. 8. c. 3. §. 23. circa fin.* *Conſt. Elect. Brand. de duellis.*

XXXIII. *Altera pars juris aggratiandi, in quo conſiſtit?*

℞. Ubi pœna eſt arbitraria, potiùs *Grot. c. 20. §. 36.*

ad

Ziegl. b. l. l. 16. D. de pœn.

ad minuendam eam debemus eſſe promti, quam ad augendam, & faciliores ad abſolvendum, ſi fieri poſſit, quam ad condemnandum; ſeu judex pænam, ſi tutò poterit, condonet, ſin minùs, temperet.

XXXIV. *An pœnæ cauſa bellum ſuſcipi poteſt?*

Grot c. 20. §. 38. & l. 2. c. 1. §. 2. aliter.

℞. Bellum pœnale nullum eſt, ut ſuprà diximus, quia pœna exigitur propter transgreſſionem legis, quæ à ſuperiori inferioribus, ſeu ſubditis tantum, præſcribitur; & bellum inter pares, ſeu qui tales ſe credunt, geritur.

XXXV. *An ergò Reges & qui par jus Regibus obtinent, non habent jus pœnas poſcendi in quibuſvis perſonis, jus naturæ & gentium immaniter violantibus?*

Oſiand. ad Grot. c. 20. §. 40. Grot. d. c. 20 §. 40. aliter. Kuipis Ex. ad Grot. 9. §. 7. in fin. & 8. aliter.

℞. Non, quia punitio requirit ſubjectionem ejus, qui punitur, ſeu eſt effectus imperii & judicii, quod non exercetur, niſi in ſubditos. Et quemadmodum Rex Hiſpaniarum non poteſt punire peccata, quæ in Gallia committuntur, ita nec peccata Barbarorum, qui barbarè vivunt, & quorum peccata cedunt in offenſam Dei, & in peccantium perniciem: niſi ipſi ſubjician-

ciantur. Quò accedit, quod par ſit ratio peccatorum, quæ contra jus naturæ committuntur, ſi non cedant in alterius regis injuriam; & ſic barbaros punire deberent propter fornicationem, furtum, ebrietatem &c. quod eſt abſurdum.

XXXVI. *Daturne bellum pœnale propter delicta in Deum commiſſa?*

℞. Non (1.) quia non datur bellum pœnale, propter delicta in jus naturæ commiſſa, ut modò diximus; (2.) quia omnes gentes, è perſuaſione ſuæ religionis, ita damnarent alias gentes; & ſic in toto mundo eſſet bellum univerſale in univerſas gentes; (3.) quia quamvis Deum offendant, tamen ſuarum poſſeſſionum habent dominium, quod ipſis invitis, ſine facto ipſorum, ne quidem à rege ipſorum, auferri poteſt, multò minus ab alio rege per bellum, quod non eſt juſtum, ſine injuria ſive inferenda, ſive illata.

Oſiand. ad Grot. c. 20. §. 44. Grot. d. c. 20. §. 44. n. 1. aliter. Kulpis. d. Ex. §. 9. aliter.

XXXVII. *An ergò Religio Chriſtiana bello non poteſt propagari?*

℞. Non, nam falſa perſuaſio de Deo eſt morbus menti inhærens, ad quem proinde curandum non iis, quæ in corpus tantùm penetrant, ſed doctrinâ & ſedulà inſtitutione, quæ in animum

Thuan. ad Henr. IV. in præf. hiſt. tom. 1. Grot. c. 20. §. 48. Oſiand. h. l. jung. A-

dam Piaſetzki à Kranichfeld, in tract. de relig. vi, carcere, tormentis non propag.

mum leniter inſtillata deſcendit, opus eſt; & alia omnia pro arbitrio civilis magiſtratus ſanciuntur; ſola religio non imperatur, ſed ex percepta veritatis opinione, accedente divini numinis gratiâ, benè præparatis mentibus infunditur. Quo accedit, quod ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio & dolor. Stet illic licet carnifex, licet tortor ferrum & flammam admoveat, non quid paſſurus, ſed quid facturus ſit, cogitabit.

XXXVIII. *An arma poſſunt ſumi in Chriſtianos, ideò quia Chriſtiani ſunt?*

Grot. d. c. 20. §. 49.

℟. Non; quia in diſciplina Chriſtiana nihil eſt, quod humanæ ſocietati noceat, imo nihil, quod non proſit; & eorum conventus non ſunt bacchanalia, aut cœtus turbandæ paci, ſed virtutum ſcholæ. Hinc qui in tales ſæviunt, ipſi in ea cauſa ſunt, ut puniri juſtè poſſint; imò à Deo puniendi. Multo magis ii qui Chriſtiani ſunt, & in eos ſæviunt, qui Chriſti legem pro vera habent, ſed de quibuſdam, quæ aut extra legem ſunt, aut in lege ſenſum videntur habere ambiguum, & ab antiquis Chriſtianis non eundem in mo-

Grot. c. 20. §. 50. n. 1. Boecl 2. Inſt. Pol. Pol. c. 4. p. 144. Diſp. pol. 12. p. 377.

modum ſunt expoſita, dubitant aut errrant. Nam ſi in tales ſuppliciis graſſantur, perinique faciunt. Nec admittendæ ſunt excuſationes quorundam, ſcil. nova omnia eſſe metuenda, præſertim cœtus; nam neque metuenda ſunt dogmata, quamvis nova, ſi modò ad honeſta omnia, atque ad exhibendam ſuperioribus obedientiam ducant; nec ſuſpecti eſſe debent cœtus proborum hominum, & qui latere non quærunt, niſi cogantur.

CAPUT XXI.

De Pœnarum communicatione.

I. *Quid ſit pœnarum communicatio.*
II. *Quotuplex.*
III. *Quibus modis rectores teneantur ex ſubditorum delicto.*
IV. *Quomodo ex patientia.*
V. *Unde ſcientia in imperantibus præſumatur.*
VI. *Quomodo teneantur ex receptu.*
VII. *An delinquentem dedere teneantur.*
VIII. *An dediti nec recepti cives maneant.*
IX. *Quid, ſi delinquens in locum aſyli confugiat.*
X. *Quid ſint aſyla.*
XI. *Ex quo jure puniendus ſit delinquens, qui non quidem deditur, ſed à populo, apud quem eſt, punitur.*
XII. *Quomodo ſubditi teneantur ex delicto imperantium.*
XIII. *An ſubditi, in ſuperiorum delicta non conſentientes, puniantur.*
XIV. *Quomodo pœna univerſitatis, & pœna ſingulorum differant.*
XV. *Pœnæ jus in univerſitatem an ſemper, & quamdiu duret.*
XVI. *An exemplum Dei, delicta parentum in liberis poſt tres generationes punientis, homines imitari poſſint.*
XVII. *An pœnæ, ut honores & præmia, ad poſteros tranſeant.*
XVIII. *An & quatenus,*

ſine ulla alieni delicti communicatione, damnum ſentire poſſimus.
XIX. *Quomodo alieni peccati occaſione malum aliquando patiamur.*
XX. *An fidejuſſor ſe ad mortem obligare poſſit.*
XXI. *An ad exilium.*
XXII. *An civitas liberis, occaſione delicti paterni, ea auferre poſſit, quæ habituri erant à civitate.*
XXIII. *An ergò nemo ob delictum alienum puniri poſſit.*
XXIV. *Quid dicendum ſit de legibus, quæ liberos vel cognatos, ob crimen patris vel cognati, puniunt.*
XXV. *An ſubditi rectè puniantur ob Regis delictum.*
XXVI. *An Deus populum, ob Davidis peccatum, puniverit.*
XXVII. *An delinquentis hæres de pœna teneatur.*

I. *Quid eſt pœnarum communicatio?*

Grot. l. 2. c. 21. §. 9.

℟. Pœnarum communicatio eſt, qua alius quàm qui deliquit, occaſione delicti, propter factum ſuum præcedens, pœnæ fit particeps: & punitur hic non tam ex alieno, quam ex ſuo delicto.

II. *Quotuplex eſt?*

Grot. c. 21. §. 2. & 7. Puf. l. 8. c. 3. §. 28.

℟. Duplex, aut civitas tenetur ex facto ſingulorum, aut ſinguli tenentur ex facto civitatis.

III. *Quibus modis rectores aliorum in crimen veniunt?*

d. c. 21. §. 2. n. 2.

℟. Duobus modis, patientia & receptu.

IV. *Quid juris circa patientiam?*

d. c. 21. § 2. n. 2. 3. 4. 5. Ziegl. b. l.

℟. Rectores aliorum, ſi ſciant ſubditos delinquere, ſi etiam hoc prohibere poſſint, ſicut debent, & tamen non

non prohibeant, ipſi delinquunt. Sic pater, qui ſcit filium ſuum delinquere, & prohibere poteſt, non tamen hoc facit (modò filius ipſum audiat) ipſe delinquit; ſic quoque dominus, ephori & omnes, quorum officium eſt, ut alios regant, eodem modo veniunt in communionem delicti & pœnæ. Idem ad ſubditos pari ratione referri debet; venit enim hoc ex naturali æquitate. Sic qui patiuntur, ut ſubditi exerceant piraticam, & non prohibent, tenentur. Pariter autem concurrere debent facultas prohibendi, ſcientia, & non-prohibitio, ut quis ex facto alieno teneatur. Grot. l. 2, 17. §. 20.

V. *Unde præſumuntur Imperantes ſcire?*

℞. Facile præſumuntur ſcire, quæ conſpicua ſunt & frequentia: id enim, quod à multis fit, neceſſe eſt à nemine ignorari. d. c. 21. §. 2. n. 6.

VI. *Quid juris de receptu adverſus pœnas?*

℞. Civitas, apud quam degit delinquens, horum alterum facere debet, aut (1.) ut ipſa interpellata pro merito puniat nocentem, aut (2.) ut eum permittat arbitrio interpellantis; ſive rei ſint ſubditi perpetui, ſive poſt c. 21. §. 4. n. 1. Horn. l. 2. c. 2. §. 18. Grot. c. 21. § 4. n. 8. c. 11. §. 5. n. 2. in fin.

 cri-

crimen commiſſum, ab aliis ad alios confugiant, & fiant ſubditi temporarii.

VII. *An ergo Rex vel populus non ſtricte tenetur ad dedendum?*

d. c. 21. §. 4. n. 3.

℟. Non, nam quia talis delinquens, dum apud nos reperitur, ſubditus noſter eſt, in eum habemus imperium, non alius: & ſic nos ipſum (non alius) punire poſſumus, quamdiu apud nos eſt. Ne autem delictum ipſius videamur probare, & ſic nos participes facere, eum aut dedere, aut punire debemus; quamvis ſontes depoſcentibus interdum optio detur, quo cumulatiùs ſatisfiat. Imò jus hoc depoſcendi ad pœnas eos, qui extra territorium profugerunt, apud plerosque Europæ populos circa ea demum crimina uſurpatur, quæ Statum publicum tangunt, aut quæ eximiam habent facinoris atrocitatem. Minora verò mutua diſſimulatione tranſmitti invaluit: niſi fœderis legibus propius quiddam convenerit.

Grot. c. 21. §. 5. n. 5.

VIII. *An iſti, qui à civitate ſunt deditì & non recepti ab aliis, cives manent?*

Grot. c. 21. §. 4 n. 7. Alber. Gent. l. 3. c. 17. p. 628.

℟. Si alter populus conceſſo jure non utatur, erit is qui deditus eſt, eo loco, ut à ſuo populo poſſit puniri aut non puniri: ut multa ſunt delicta, in quibus

bus utrumvis fieri poteſt. Nam hæc deditio, quæ nihil aliud eſt, quam civem alterius populi poteſtati permittere, ita ut de eo ſtatuat quod voluerit, jus nullum dat aut adimit, quia tantum eſt factum, quod executionis tollit impedimentum; ſed decreto aliquo, aut judicio (niſi lex aliqua factum velit haberi pro re judicata) opus eſt, & ſic jus civitatis, ut & jura & bona alia non amittuntur, niſi interventu vel decreti, vel judicii, vel legis: & ſic manebunt ejus, cujus fuerant. Si deditio accepta ſit, & poſtea caſu aliquo reverſus ſit is, qui fuerat deditus, hic civis non erit, niſi ex novo beneficio.

IX. *Quid, ſi delinquens in locum aſyli confugiat?*

℞. Aſyla proſunt illis, qui immerito odio laborant, i. e. qui caſu aliquo vel latà culpâ deliquerunt, non autem qui commiſerunt tale, quod ſocietati humanæ aut hominibus aliis ſit injurioſum. Nam qui initio jura iſta conſtituerunt, infelicibus quidem miſericordiam, at his, qui malo animo injuriam intulerunt, pœnam expectandam voluerunt. Et ſi quis deliberato animo hominem occidit, vel civitatis ſta-

Grot. c. 21. §. 5. n. 1. Seld. l. 4. c. 2. Ant. Matth. de crim. l. 48. tit. 18. c. 5. n. 17. Kulpis. Ex. Grot. h. c. §. 1. in fin. Inſt. Jur. Publ. p. 489.

ſtatum turbat, vel aliud crimen committit, huic ne ipſum ſanctiſſimum Dei altare patrocinatur, ſed aut puniendus, aut certè amovendus eſt.

X. *Quid ergo ſunt aſyla?*

Grot. c. 21. §. 6. Oſiand. h. l. Ziegl. ℞. Sunt loca, publica auctoritate, ad innocentiæ auxilium & præſidium, conſtituta, ut interim cauſæ juſtitia cognoſcatur.

XI. *Quando delinquentem ipſi punimus & non dedimus, ſecundum quæ jura eſt puniendus, an ſecundum jura loci, ubi deliquit, an ſecundum noſtræ civitatis jura?*

Grot. c. 21. §. 6. n. 2. ℞. Quod ſi id, cujus accuſatur delinquens, non ſit vetitum jure naturæ aut gentium, res dijudicanda erit ex jure civili populi, unde venit: ſi ſecus, ſecundum noſtræ civitatis jura; jus enim naturæ & gentium pœnas non determinat.

XII. *Quomodo à ſumma poteſtate culpa tranſit ad ſubditos?*

Grot. c. 21. §. 7. n. 1. Puf. l. 8. c. 3. §. 28. ℞. Si conſenſerint in crimen, aut conſenſu ac ſuaſu ſummæ poteſtatis aliquid fecerint; quod facere non licebat.

XIII. *An ergò ii qui non conſenſerunt, non puniuntur?*

℞. Quanquam regulariter decreta, in

in quæ major pars conſenſit, habeantur pro decretis univerſitatis, ſic ut etiam pauci diſſentientes teneantur ea obſervare & exequi; tamen in delicto aliter ſe res habet, & ad eos non pertinet, qui aut non conſenſerunt, aut aliorum ſententiis victi ſunt. Ita tamen, ut interdum civitati adimi ſoleant ea, quæ habet communia, ut ſunt muri, navalia, naves bellicæ, arma, ærarium, agri publici &c. & ſic illi etiam damnum aliquod ſentiant. At ut ſinguli, ob delictum univerſitatis, citra conſenſum ſuum, ea amittant, quæ ipſorum ſunt propria, injuſtum eſt. Grot. d.c. 21. §. 7. n. 2. Puf. d. l. Horn. l. 2. c. 7. §. 11. Ziegl. h. l.

XIV. *An ergò pœna univerſitatis & pœna ſingulorum differunt?*

℞. Affirmatur. Sicut enim ſingulorum pœna interdum eſt mors, ita mors civitatis eſt, ſi evertatur aut diſſolvatur; ſinguli in ſervitutem pœnæ nomine rediguntur, civitas vero ſervitutem civilem ſubit in provinciam redacta; ſinguli bona ſua amittunt confiſcatione, & civitati adimi ſolent, quæ habet communia, ut modò diximus. Grot. c. 21. §. 7. n. 2. & 3. Puf. d. l.

XV. *An pœna, ob delictum univerſitatis ſemper, etiam ante duas vel*

tres generationes admiſſum, exigi poteſt?

Grot. c. 21. §. 8. n. 1. Puf. l. 8. c. 3. §. 29. ℞. Quamdiu iſti non ſunt extincti, per quos ad univerſitatem meritum deducebatur, ipſum quoque meritum, ac proinde pœnæ debitum, quod ſine merito pœnæ non poteſt ſubſiſtere, non extinguitur, & ſic pœna exigi poteſt; iis autem extinctis, exigi non poteſt. Licet enim univerſitas duret, quia idem corpus manet, quanquam particulis ſuccedentibus, quædam tamen de univerſitate, primò ac per ſe, & ſic ſemper dicuntur, quamdiu univerſitas durat, ut habere ærarium, leges & ſimilia; quædam non niſi derivatione à ſingulis, ſeu propter ſingulos; ſic doctam dicimus univerſitatem & fortem, quæ plurimos habet tales cives & hæc tamdiu dicuntur, quamdiu hi ſinguli vivunt. Ex hujus genere eſt meritum ſeu delictum, quod ſingulis, ut animum habentibus, quem univerſitas per ſe non habet, competit.

XVI. *At Deus etiam delicta parentum in liberis poſt tres generationes punire poteſt.*

Grot. c. 21. §. 8. n. 5. & §. 14. n. 1. Oſiand. h. l. ℞. Aliud eſt jus Dei, aliud hominum; Deus jus dominii pleniſſimum habet, ut

ut in res noſtras, ita in vitam noſtram, quod ſine ulla cauſa & quovis tempore auferre cuivis, quando vult, poteſt. Hinc ſi liberos alicujus præmatura aut violenta morte Deus abripiat, in ipſos jure dominii, non pœnæ utitur. Secus quàm homines, qui jus in vitam ſubditorum limitatum &, non niſi propter meritum ſeu delictum præcedens, auferendam acceperunt.

XVII. *An honores & præmia ad poſteros tranſeunt?*

℞. Honores & præmia accipere ob bene merita majorum poſſumus, quia beneficii ea eſt materia, ut in quemvis, etiam in immeritum, & gratis conferri poſſit; pœnæ non item. *Grot. c. 21. §. 8. n. 5. in fin. Puf. d. l.*

XVIII. *An autem ob delictum alterius, de quo nullo modo participamus, nullum plane damnum ſentire poſſumus?*

℞. Damnum directè datum, quo aufertur alicui id, ad quod quis jus proprium habet, non ſentimus propter delictum alterius, citra factum noſtrum præcedens; damnum autem per conſequentiam (quo fit, ut quis non habeat, quod alioqui habiturus fuiſſet, ſi alius non deliquiſſet) ſentire poſſumus, citra factum noſtrum. Sic paren- *Grot. c. 21. §. 10.*

tum bonis confiſcatis, liberi ſentiunt quidem incommodum ſeu damnum per conſequentiam, quia bona illa illorum futura erant, ſi à parentibus ipſorum delictum non fuiſſet commiſſum, & ſi ad ultimum ſpiritum ea fuiſſent conſervata, ſed proprie pœna non eſt, nec damnum directè illatum. Hinc etiam ea, quæ liberi à natura habent, ut vita, corpus, membra &c. aut quæ ipſis aliunde tribuuntur, iisdem incolumia manent. Sic cum ex delicto majoris partis, quæ perſonam univerſitatis ſuſtinet, univerſitas in culpa eſt, eoque nomine amittit communia, libertatem civilem, muros, & alia commoda, ſentiunt quidem damnum & ſinguli innocentes, ſed ea in re, quæ ad ipſos directè non pertinebat, ſcil. per conſequentiam tantùm, ſeu per univerſitatem.

Grot. l. 2. c. 17. §. 2. l. 2. c. 21. §. 10. n. 2. 1. F. 24. fin. & ibi Bitſch.

XIX. *An non, occaſione peccati alterius, interdum aliquid mali quis patitur?*

℞. Affirmatur, verùm peccatum alterius non eſt cauſa proxima hujus mali, ſed propria commiſſio. Sic quando quis pro delinquente fidejubet, non ex delicto, ſed ex ſua ſponſione tenetur. Atque hinc fit, quod malum illi fe-

Grot. c. 21. §. 11. Puf. l. 8. c. 3. §. 32.

ferendum menſuram accipiat, non ex delicto alterius, ſed ex poteſtate, quam in promittendo habuit.

XX. *An ex fidejuſſione aliquis occidi poteſt?*

℞. Non, quia nemo jus tale habet ad vitam, ut eam ſibi adimere, aut adimendam obligare poſſit, ut ſuprà diximus. Idem intelligi debet de membris; nam & in illa jus homini datum non eſt, niſi corporis ſervandi cauſa. *Grot. c. 21. §. 11. n. 2. & l. 2. c. 19. §. 5.*

XXI. *An fidejuſſor ſe poteſt obligare ad exilium?*

℞. Quamvis aliàs liberis patribusfamiliàs liceat, de ſua civitate ſtatuere, quid velint, ut diximus, fidejuſſor tamen non recte ſe obligat ad exilium, tum quia illud pœnæ rationem non videtur obtinere poſſe, nam delinquens hac ratione non punitur: tum quia non intereſt civitatis, ejuſmodi civem, qui non deliquit, ex civitate exire. Exinde ſequitur, quod tantùm ſe poſſit obligare, quando pœna eſt pecuniaria, vel in aliis delictis, de reo ſiſtendo, ſub certa pecuniæ ſumma, ſi non ſiſtatur. *Puf. l. 8. c. 2. §. 32. in fin. Str. Ex. 47. th. 39. Grot. c. 21. §. 11. n. 3. aliter. & Ziegl. h. l.*

XXII. *An civitas liberis auferre poteſt, occaſione delicti paterni, ea*

quæ habituri erant à civitate?

Grot. c. 21. §. 11. n. 3. in fin. & §. 16 & c. 17. §. 3.

℞. Affirmatur, ſi hoc jus pendeat à voluntate civitatis: ſic proditorum & perduellium liberi ſæpe honoribus excluduntur: id quod parentibus in pœnam redundat, dum ſciunt, liberos ipſorum inglorios vivere, ſed in liberis pœna non eſt; civitas enim de his pro arbitrio diſponere poteſt.

XXIII. *An ergò nemo, qui delicti eſt immunis, ob alienum delictum puniri poteſt?*

Grot. c. 21. §. 12. Puf. d. c §. 33. Ziegl. h. c. §. 12.

℞. Nemo poteſt puniri ex delicto alieno, ſi proprium factum nullum præcedat: aptitudo enim ad pœnam ex merito oritur; meritum autem eſt perſonale, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil eſt magis nobis proprium. Et neque virtutes, neque vitia parentum liberis ſunt imputanda.

XXIV. *Quid ergò dicendum de legibus, quæ liberos vel propinquos capite puniunt, propter crimen paternum vel cognati?*

Grot. c. 21. §. 14. & 15. Matth. de crimin. l. 48. tit. 2. c. 3. §. 10.

℞. Illæ leges ſunt injuſtæ, nam unuſquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Hinc prægnans mulier mortis ſupplicio affici non poteſt. Quamvis

vis autem liberi non poſſint puniri propter delicta parentum, tamen ea ipſis poſſunt denegari, de quibus modò dictum.

XXV. *Ea, quæ de liberis dicta ſunt, poſſuntne applicari ad populum verè ſubditum?*

℞. Affirmatur; nam contractus, qui ex natura conſociationis oritur, ſeu ejus corporis, cujus caput eſt rex, membra cæteri, vi cujus totum corpus, ſeu major ejus pars, vel ille, in quem jus totius corporis ſeu integri eſt tranſlatum, reliqua membra obligare poteſt, non pertinet ad delicta, ſed ad negotia licita ex probabili cauſa ſuſcepta. Hinc etiam iſti, quorum conſenſus non acceſſit, vel factum aliud, quod per ſe ſit pœna dignum, non obligantur, licet interdum damnum inde ſentiant.

Grot. c. 21. §. 17. n. 1. l. 2. c. 5. §. 17. c. 14. §. 11. n. 2 l. 3. c. 2. §. 2. Ziegl. h. c. §. 17. aliter.

XXVI. *At Deus, ob Davidis peccatum, populum peſtilentia confecit, & quidem, ut David cenſet, innocentem?*

℞. Deus, qui in vitam ipſorum habebat jus pleniſſimum, non populum, ſed Davidem ſic punivit; Regis enim ſupplicium eſt, ſubditis orbari. Ac perinde eſt, ac ſi quis manu peccavit,

Grot. c. 21. §. 17 n. 2. Ziegl. & Oſiand. h. l. & §. 14. aliter. l. 1. c. 3. § 8. n. 16.

cavit, in tergo feriatur.

XXVII. *An hæres delinquentis de pœna tenetur?*

Grot. c. 21. §. 19.

℞. Hæres de cæteris debitis tenetur, non de pœna; quia hæres perſonam defuncti refert, non in meritis, quæ ſunt mere perſonalia, & propter quæ pœna imponitur, ſed in bonis, quibus ut cohærerent ea, quæ alicui debentur ex ipſa rerum inæqualitate, id ſimul cum dominio fuit introductum. Hinc ſi ultra meritum, nova quædam cauſa obligationis exſtiterit, contractus vel quaſi contractus, qui præſumitur ex litis conteſtatione, pœna pecuniaria ab hærede debetur.

l. 2. c. 10. §. 2.
l. 25. D. de O. & A.
l. 3. §. 11. de pecul.
Grot. c. 21. §. 20.

CAPUT XXII.

De Cauſis injuſtis.

I. *Quid ſit cauſa belli injuſta.*
II. *Quotuplices ſint.*
III. *Quæ ſint cauſæ injuſtæ.*
IV. *An inventionis titulo res ab aliis poſſeſſas occupare poſſimus*
V. *An libertatis deſiderium in populo ſubdito juſta ſit belli cauſa.*
VI. *An voluntas alios regendi, quaſi naturaliter ſervos, & ad ipſorum commodum.*
VII. *An titulus univerſalis imperii, quem quidam tribuunt Imperatori Romano.*
VIII. *An detur Monarchia univerſalis.*
IX. *An Eccleſia habeat jus in populos ignotos.*
X. *An ſpes, concepta ex divinorum vaticiniorum explicatione, juſta ſit belli cauſa.*
XI. *An bellum juſte geratur ad conſequendum id, quod non ex jure ſtricto, ſed aliunde, e. g. liberalitate, gratitudine, miſericordia, aut virtute ſimili, debetur.*

XII.

XII. *An bello ex juſta cauſa ſuſcepto, interdum vitium ex animo agentis accidere poſſit.*

I. *Quid eſt cauſa belli injuſta?*

℞. Cauſa belli injuſta eſt, quando quis, citra præcedentem injuriam, vel inferendam, vel illatam, alii bellum infert. *Grot. l. 2. c. 1. §. 2.*

II. *Quotuplices ſunt?*

℞. Sunt variæ, interdum plane nulla, nec juſtifica, nec ſuaſoria; & hoc vitium humanum excedit modum, & non crudelis tantùm, ſed ferus eſt, cui ſævitia eſt voluptati, imò inſanus eſt. Nam ſine cauſa in bella ac pugnas ferri, mera eſt inſania, malum ſibi quærens. Plerique ſuaſorias habent, & juſtificas planè non curant. Tales ſunt iſti, quibus pro fœdere proque juſtitia eſt enſis. Alii cauſas quaſi juſtificas adferunt, quæ tamen expenſæ ad rectam rationem injuſtæ reperiuntur. *Grot. c. 22. §. 1. n. 2. & § 2. c. 20. §. 5. n. 3.* *c. 22. §. 3.* *d. c. §. 4. A. B tit. 17. & ibi Limn.*

III. *Quænam ſunt iſtæ?*

℞. Ex juſtis cauſis injuſtæ cognoſci poſſunt; rectum enim obliqui eſt index. Summa genera ſunt metus ex vicina potentia, ut ſi vicinus, nulla pactione impeditus, in ſuo arcem facit, aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando dare poſſet; nam adverſus tales metus contrariæ in ſuo munitiones, *Grot. c. 22. §. 4. in fin. d. c. §. 5. n. 1. & 2.*

nes, & ſi qua ſunt ſimilia remedia quærenda ſunt, non vis bellica. Nec utilitas (e. g. ſi quis locus omninò commodus & conveniens eſſet ad territorium alicujus muniendum vel firmandum) par jus facit cum neceſſitate. Nec ubi laxa eſt matrimoniorum copia, negatum matrimonium. Nec amor mutandæ ſedis, de quibus omnibus ſuprà diximus.

d.c.§.6.

d.c.§.7. & 8.l.2.c. 2.§ 20.& ſeqq.

IV. *An titulo inventionis nobis poſſumus vindicare ea, quæ ab aliis poſſidentur?*

Grot c.22. §.9.& de mari libero c.2. Oſiand.b.c. §.9.

℞. Æquè improbum hoc eſt; etiamſi is qui tenet, ſit improbus, de Deo male ſentiens, aut hebetis ingenii. Nam inventio eſt rerum, quæ nullius ſunt: & licet poſſeſſores de Deo malè ſentiant, nihilominus publicè atque privatim rerum poſſeſſionumque ſuarum dominium habent, quod illis ſine juſta cauſa eripi non poteſt. Et fides non tollit jus naturale & gentium, ex quo dominia profecta ſunt: neque ad dominium requiritur aut virtus moralis, aut religioſa, aut intellectûs perfectio.

V. *An juſta belli cauſa eſt libertatis deſiderium in populo ſubdito?*

℞.

℞. Non; nam quamvis libertas natura competere dicatur, tamen hoc intelligendum eſt de jure naturæ præcedente factum omne humanum. Quare qui legitima cauſa in ſervitutem, ſive perſonalem, ſive civilem, devenerunt, contenti ſua conditione eſſe debent; nam olim honeſtum erat pro libertate pugnare; at qui victi ſemel ſunt, & longo tempore paruerunt, ſi jugum poſteà excutiant, faciunt quod deſperatorum hominum eſt, non quod libertatem amantium, ut ſuprà diximus. *Grot. l. 2. c. 22. §. 11. c. 4. §. 14. l. 1. c. 3. §. 8. n. 12.*

VI. *An voluntas alios regendi, quaſi naturaliter ſervos & dignos qui ſerviant, & quia ipſis utile, eſt juſta bellandi cauſa?*

℞. Non; quamvis enim alicui aliquid ſit utile, tamen mihi non licet id ei per vim imponere. Nam his, qui rationis habent uſum, libera eſſe debet utilium & inutilium electio, niſi alteri jus quoddam in iis quæſitum ſit. Quò accedit, quod nullum ſit naturale imperium, nec naturale ſervitium, & aptitudo ad parendum alteri non tribuit imperium: aliàs interdum pater filii, dominus ſervi, rex ſubditi &c. ſervus eſſet. *Grot. c. 22. §. 12.* *Horn. l. 1. c. 3. §. 1. Puf. l. 6. c. 3. §. 4.*

VII.

VII. *An titulus univerſalis imperii, quem quidam tribuunt Imperatori Romano?*

Grot. c. 22. §. 13. Jac. Gothofr. ad l. 9. de L. Rhod. de jactu. Limn. l. 2. c. 8.

℞. Stultum eſt credere, quaſi Imperator Romanus in remotiſſimos & incognitos hactenus populos jus imperandi habeat; hoc enim à nemine & nullo jure unquam ipſi eſt tributum, & habent alii populi, & ſemper habuerunt ſuos Imperantes, ſuas leges, ſua jura, quæ ipſis invitis, citra ipſorum factum, nemo jure auferre unquam poterit.

VIII. *An ergò Monarchia univerſalis non datur?*

Grot. c. 22. §. 13. n. 1. in fin. Henr. Kipping. in not. & animad. in axiom. Gall. Auberii de prætenſ. Regis Gall. ſuper imperium. Oſiand. ad Grot. h. c. §. 13. Ziegl. h. c. aliter. Thom. Campanel. de

℞. Non; ut enim navis aliqua ad eam magnitudinem pervenire poteſt, ut regi nequeat, ſic & hominum numerus & locorum diſtantia tanta eſſe poteſt, ut unum regimen non ferat; ita ut ſit ea res humanis conſiliis altior, & morali æſtimatione impoſſibilis. Imò videtur eſſe contra Dei arbitrium & providentiam, qui orbem terrarum non uni vel alteri conceſſit, ſed cum tam diſpares limites poſuerit orbis partibus, & tam diverſa populorum ingenia condiderit, videtur omnino voluiſſe, ut eſſent diverſa regna & diverſa imperia. Præterea omnium ſeculo-

culorum hiſtoria de imperiorum regnorumque diſcretione hoc teſtatur.

IX. *An Eccleſia habet jus in populos ignotæ hactenus partis terrarum?*

℞. Negatur, quia Chriſtus ipſe, à quo omnis poteſtas Eccleſiaſtica fluxit, & cujus vita exemplar Eccleſiæ, quà talis, eſt propoſitum, negavit regnum ſuum eſſe de hoc mundo.

X. *An ſpes concepta ex divinorum vaticiniorum explicatione juſta eſt belli cauſa?*

℞. Non; nam præterquam, quod quæ nondum impleta ſunt oracula, interpretari certò vix contingit ſine prophetico ſpiritu, etiam rerum certarum latere nos poſſunt tempora. Ac poſtremò prædictio, niſi expreſſum adſit Dei mandatum, jus nullum dat, cum Deus quæ prædixit, ſæpè per improbos homines, aut per pravas actiones, ad exitum ire permittat.

XI. *Si quis mihi quid ex liberalitate, gratiâ ſive gratitudine, miſericordia aut virtute ſimili, non ex propria juſtitia, debeat, an ſi ſponte id non velit præſtare, armis hoc conſequi licet?*

℞. Sicut in foro hoc exigi non poteſt, ita nec armis depoſci. Nam qui be-

monarch. Hiſp. Auberius dict. lib. aliter.

Grot. c. 22. §. 14. de mari lib. c. 6. Becm. in hiſt. geog. & civ. part. 2. c. 1. §. 7. Oſiand. ad Grot. h. c. §. 14. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 52.

Grot. c. 22. §. 13. & Oſiand. h. l.

Grot. l. 1. c. 2. §. 2.

Grot. c. 22. §. 16. c. 20. §. 20. Boecl. de

act. ingrat. 139. Ziegl. h. c. §. 16. beneficium dedit, nullum habet jus (idem dicendum de aliis ſimilibus virtutibus) ad repoſcendam gratiam, alioquin contractus eſſet, non beneficium. Et non convenit, beneficia fœnerari, aut in calendario ſcribere. Cumque res honeſta ſit, referre gratiam, deſinit honeſta eſſe, ſi neceſſaria eſt: neque glorioſa res eſt gratum eſſe, niſi tutum eſt, ingratum fuiſſe.

XII. *An bello ex cauſa juſta poteſt accidere vitium ex animo agentis?*

Grot. c. 22. §. 17. Ziegl. h. c. §. 17. aliter. ℞. Affirmatur, ut ſi cauſæ juſtæ accidat gaudium acquieſcentis in malo alieno, ſine boni reſpectu, vel profunda cupido imperii & divitiarum; & hæc, ubi cauſa juſtifica non deeſt, peccatum quidem arguunt, ipſum tamen bellum proprie injuſtum non faciunt: unde nec ex tali bello reſtitutio debetur.

CAPUT XXIII.

De cauſis dubiis.

I. *Quid ſint cauſæ belli dubiæ.*
II. *Quæ ſit cauſa hujus incertitudinis.*
III. *Quid, ſi quis errans factum injuſtum putet, quod revera juſtum eſt.*
IV. *Quid, ſi hæſitet.*
V. *Quid, ſi poſt examen aliquod, animus in alterutram partem inclinet, ſed tamen cum formidine injuſti, propter rationem non penitus certam.*

VI.

VI. *Quid, ſi ab utraque parte probabilia ſe oſtendant argumenta.*
VII. *Quid ſi ſententiæ ſint alternantes circa bellum & pacem.*
VIII. *Quibus & quot modis vitari poſſit, ne controverſiæ in bellum erumpant.*
IX. *Quomodo per colloquium evitetur bellum.*
X. *An melius ſit, ut partes per ſe congrediantur, an per legatos.*
XI. *Quomodo bellum per compromiſſum vitetur.*
XII. *An partes arbitri ſententiæ ſtare cogantur.*
XIII. *Quomodo denique bellum vitetur per ſortem. An huc certamen ſingulare referri poſſit.*
XIV. *Cujus ſit, quærere conditiones, ut bellum vitetur. An is, qui documenta non habet ſufficientia, quibus poſſeſſorem de injuſtitia ſuæ poſſeſſionis convincat, bellum licite gerat.*
XV. *Quid, ſi jus ſit ambiguum, & neuter poſſideat, aut ex æquo uterque.*
XVI. *An bellum utraque ex parte juſtum eſſe poſſit.*

I. *Quid ſunt cauſæ belli dubiæ?*

℞. Sunt cauſæ, de quibus non ſemper certò conſtat, juſtæ an injuſtæ ſint.

II. *Quæ eſt cauſa hujus incertitudinis?*

℞. Quamvis noſtra diſciplina, quæ in actionibus humanis conſiderat, quid juſtum, quid injuſtum ſit, ejuſmodi fundamentis nitatur, ut exinde genuinæ demonſtrationes, quæ ſolidam ſcientiam parere ſunt aptæ, deduci queant, æquè certa ſit, ac diſciplinæ mathematicæ: tamen, quia applicatio fieri debet ad facta, quæ ſæpè obſcuram & dubiam habent interpretationem, in illa major videtur eſſe latitudo, quàm *Puf. l. 1. c. 2. §. 4. in fin. & §. 9. Boecl. in præf. ad Grot. p. 36. Grot. c. 23. §. 1. aliter.*

in diſciplinis mathematicis. Sic poteſt in bello dubium oriri de facto, ob quod bellum movetur, juſtum an injuſtum ſit, tamen hoc principium, Ubi præcedit injuria, ibi bellum eſt juſtum, propterea non eſt dubium vel incertum; & ſi conſtet, cum facto injuriam eſſe conjunctam, certa & indubitata ratione concludo, bellum propterea ſuſceptum eſſe juſtum.

III. *Quid ergò faciendum, ſi quis erret, & factum injuſtum putet, quod reipſa juſtum eſt?*

Grot. c. 23. §. 2. c. 26. §. 3. Ziegl. c. 23. §. 2. Puf. l. 1. c. 3. §. 13. in fin.

℞. Abſtinendum omninò à tali actu, quia vitioſus eſt, propter errorem; putat enim, eum eſſe contra legem, & ſic legem aſpernatur, dum facit, quod ex conſcientia erronea putat, non eſſe faciendum, & ea lege prohibitum eſſe.

IV. *Quid, ſi hæſitet?*

Grot. d. c. 23. §. 2. n. 2. Ziegl. h. l. Puf. l. 1. c. 3. §. 8. in pr.

℞. Et hîc abſtinendum, quia qui dubitat, an factum juſtum vel injuſtum ſit, & tamen facit, ſciens & volens ſe periculo peccandi exponit, & legem contemnit: tamen ſi faciendum omninò fuerit, eligere debet dubitans id, quod tutiſſimum ipſe judicaverit; e. g. ſubditus dubitat, an bellum ſit juſtum, princeps mandat, ut ſe in bellum ſequatur, ſequi ergo potiùs debet prin-

principem, quàm refractarius eſſe; quia credere poteſt, principem non eſſe tam imprudentem & impium, ut bellum injuſtum ſuſcipiat.

V. *Quid, ſi quidam in alterutram partem inclinet, ſed tamen cum formidine injuſti, propter rationem non penitùs certam?*

℞. Qui non habent, ut activum judicium rectè conforment, tenentur audire ſapientum conſilia. Nam probabilia ſunt, quæ omnibus videntur, aut plurimis, aut certè ſapientibus: hisque rurſum aut omnibus, aut pluribus, aut præſtantioribus. Et hac via judicandı maxime utuntur reges, quibus artium momenta ediſcere aut expendere vix vacat, juxta illud: *Grot. c. 23. §. 4. Puf. l. 1. c. 3. §. 5. & 6.*

Dat ſapere regi turba ſapientum comes

Sic Imperatores Chriſtiani vix, niſi auditis Epiſcopis, bella ſuſcipiebant, ut ſi quid eſſet, quod religionem poſſet injicere, ejus monerentur. *Myler, Archolog. c. 12 Inſt. Jur. Publ. p. 148.*

VI. *Quid, ſi ab utraque parte ſe oſtendant argumenta probabilia, ſive intrinſeca, nımir. ex natura ipſius facti, ſive extrinſeca, ſeu ab aliorum auctoritate petita?*

℞. Id cum accidit, ſi res mediocres ſunt, *Grot. c. 23. §. 5.*

ſunt, de quibus agitur, videtur vitio carere poſſe electio, in utramvis partem ceciderit. At ſi de re magni momenti, ut de ſupplicio hominis capitali, agitur, jam propter magnum diſcrimen, quod eſt inter eligenda, præferenda eſt pars tutior, & ſic ſatius eſt, nocentem abſolvere, quam innocentem condemnare.

VII. *Quid, ſi ſententiæ ſunt alternantes circa pacem & bellum?*

Grot. c. 23. §. 6. ℞. Quia bellum eſt maximi momenti, ut ex quo mala plurima, etiam in innocentes, ſequi ſoleant, ideò inter ſententias alternantes vergendum eſt ad pacem.

VIII. *Quibus & quot modis vitare poſſumus, ne controverſiæ in bellum erumpant?*

Grot. c. 23. §. 7. l. 3. c. 20. §. 46. ℞. Tribus, quorum primus eſt colloquium, ſecundus compromiſſum, tertium ſors.

IX. *Quomodo per colloquium evitamus bellum?*

Grot. d. l. Puf. l. 5. c. 13. §. 3. Alber. Gent. l. 2. §. 1. ℞. Quando partes inter ſe congrediuntur, vel ipſæ, vel ipſarum mandatarii, & per amicam diſceptationem litem componunt. Nam cum hic modus proprius ſit hominis, omnia priùs verbis experiri ſapientem decet, quàm armis,

armis, ad quem modum confugiendum, ſi non licet uti priori.

X. *An utile eſt, ut partes per ſe congrediantur, an verò potiùs hoc fieri debet per legatos?*

℟. Optima prudentiæ pars eſt, colloquia ipſarum partium neque ſuaderi, neque ſuſcipi debere, niſi proviſis deliberatiſque rationibus, quibus pericula declinentur & ſucceſſus promoveantur: Hæc enim colloquia in propria perſona (ut loquuntur) interdum periculis ſunt expoſita, & minùs tutum eſt, alienæ poteſtati ſe permittere, ex quo religio fidei in ludum verti cœpit.

Boecl. de congreſſ. & coll. prin. §. 23. & ſeqq.

Comin. l. 3. hiſt. Lud. XI. Rhet. de pac. c. 4. §. 6. & 7.

XI. *Quomodo per compromiſſum?*

℟. Quando per amicam diſceptationem res componi non poteſt, forte quia quælibet pars ſe ſolidis rationibus niti putat, proximum eſt, ut ad arbitrum eatur, qui hìc ab iis, qui non habent communem judicem, eligitur, ut inſtar judicis litem arbitrio ſuo decidat.

Grot. c. 23. §. 8. l. 3. c. 20. §. 46.

XII. *An partes ergò coguntur, ſtare ejus ſententiæ?*

℟. Partes ſe invicem pactô adſtringunt, quod velint tali ſententiæ ſtare; nam ſine hoc effectu finis arbitri ſumti red-

Puf. l. 5. c. 13. § 4. Ziegl. ad Grot. c. 23. §. 8. aliter.

redditur irritus, & fit progreſſus in infinitum.

XIII. *Quomodo per ſortem?*

Grot. c. 23. §. 9. & l. 3. c. 20. §. 42. Prov. 18. v. 18. Ziegl. & Oſiand. h. l.

℟. Ubi natura negotii & partium facilitas fert, ſorte facillime liti finis imponi poteſt, & ſortem Salomon commendat. Sorti affine quid eſt certamen ſingulare, cujus uſus non videtur omninò repudiandus, ſi duo, quorum controverſiæ alioqui totos populos graviſſimis malis ſint implicituræ, inter ſe parati ſint armis decernere. Videtur enim id, ſi non ab ipſis rectè fieri, certè à civitatibus poſſe acceptari, ut minus malum. Et inter cæteros Francorum mores, hunc quidam impenſè laudant.

Grot. c. 23. §. 10. n. 2. Lehm. Chron. Spir. l. 2. c. 30. p. 118. & ſeqq.

XIV. *Cujus eſt quærere conditiones, ut bellum vitetur?*

Grot. c. 23. §. 11. l. 2. c. 1. §. ult.

℟. Magis is tenetur, qui petit, quàm qui poſſidet. Ut enim in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis, non civili tantùm, ſed & naturali jure convenit. Atque hîc & illud addendum eſt, ab eo, qui juſtam cauſam habere ſe ſcit, ſed documenta non habet ſufficientia, quibus poſſeſſorem de injuſtitia ſuæ poſſeſſionis convincat, bellum licitè non ſumi; quia non habet jus cogendi alterum, ut de poſſeſſione de-

Grot. c. 23. §. 11. in fin. jung. l. 2. c. 7. §. 2. n. 2. in fin.

decedat, ut ſuprà diximus.

XV. *Quid, ſi jus ſit ambiguum, & neuter poſſideat, aut ex æquo uterque?*

℞. Iniquus cenſendus erit, qui oblatam rei controverſæ diviſionem repudiat. *Grot. c. 23. §. 12. Oſiand. h. l. Str. Ex. 2. th. 53.*

XVI. *An bellum ratione habita eorum, qui principales belli motores ſunt, utrinque juſtum eſſe poteſt?*

℞. Juſtitia cauſæ penes unam tantum partem eſſe poteſt, ut in lite, ita in bello: quia facultas moralis ad contraria, puta ad agendum, ut nempe quis cum effectu agere poſſit, & ad impediendum, ſeu ut exceptio opponatur cum effectu, non datur per rei ipſius naturam. At ut neuter bellantium injuſte agat, fieri ſane poteſt: injuſte enim agit nemo, niſi qui & ſcit ſe rem injuſtam agere; multi autem id neſciunt. Sic juſtè, i. e. bona fide, poteſt litigari utrinque. Multa enim, & in jure & in facto, unde jus oritur, fugere homines ſolent. Quanquam in bello vix eſt, ut temeritas ſaltem omnis abſit, ob negotii gravitatem, quæ omninò talis eſt, ut, cauſis probabilibus non contenta, quàm maximè evidentes requirat. Juſtum, ſi ſumatur pro ſolenni, ut & ratione effectuum, qui *Grot. c. 23. §. 13. n. 2. Ziegl. h. l.* *Grot. c. 23. §. 13. n. 4. §. 16. §. 4. n. 5.*

inde pendent, bellum utrinque juſtum eſſe poteſt.

CAPUT XXIV.

Monita de non temerè, etiam ex juſtis cauſis, ſuſcipiendo bello.

I. *Ubi jus ſatis oertùm eſt, an ſtatim bellum ſit ſuſcipiendum, an potiùs remittendum.*

II. *Quid, ſi Rex ob cauſas leves bellum ſuſcipiat.*

III. *Quid regi ſit faciendum, ut bellum periculoſum vitet.*

IV. *Quid in tali deliberatione ſit obſervandum.*

V. *Si res ita ſit æſtimata, quid porro ſit faciendum.*

I. *Ubi jus ſatis compertum eſt, an ſtatim oportet bellum ſuſcipi, aut an etiam ſemper licet?*

Grot. l. 2. c. 24. §. 4. n. 1. & §. 7.

℞. Sæpè nobis ipſis noſtriſque præſtandum habemus, ne ad arma veniatur. Nam non tantum prudentia vult, ut bello periculoſo abſtineamus, ſed ſæpe etiam juſtitia rectoria, quæ ex ipſa regiminis natura ſuperiorem non minus ad curam pro inferioribus, quam inferiores ad obedientiam obligat.

II. *Quid ergò juris eſt, ſi Rex ob cauſas leves, & magnum ſecum periculum trahentes, bellum ſuſcipiat?*

Grot. d. c. 24. §. 7. n. 1.

℞. Tenetur ſubditis ad reparationem damnorum, quæ inde oriuntur. Nam

Nam etſi non in hoſtes, in ſuos tamen veram committit injuriam is, qui talibus de cauſis tam gravi malo eos implicat.

III. *Ut Rex tale bellum non ſuſcipiat, quid ipſi faciendum?*

℞. Si quis rex cum rege altero bello certandum habeat, primò ſedeat expenſurus apud ſe, an ipſe, qui decem millia militum habet, hoſti ducenti bis totidem par eſſe poſſit? quod ſi videat, ſe imparem eſſe, antequam ille intra fines adſit, mittat legatos cum mandatis, pacis cauſa. *d. c. 24. §. 4. n. 1.*

IV. *In hac deliberatione quid prætera eſt obſervandum?*

℞. Qui deliberant, partim de finibus, non quidem ultimis, ſed interjectis deliberant: partim de iis, quæ eò ducunt. Finis ſemper eſt bonum aliquod, aut certè mali declinatio, quæ vicem boni obtinere poſſit. Quæ verò huc aut illuc ducunt, per ſe non expetuntur, ſed quatenus ducunt. Quare in deliberationibus comparandi ſunt & fines inter ſe, & eorum quæ ad finem ducunt, facultas effectiva ad finem producendum. *Grot. d. c. 24. §. 5.*

V. *Si res ita ſit æſtimata, quid porrò faciendum?*

℞. Si

Grot. c. 24. §. 9. ℞. Si à jure ſimul ſtent vires, tunc ſi major emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtendatur, bellum ſuſcipiendum. Et hoc vel maxime locum habebit, cum ſpes eſt, terrore ac famâ (nullo aut exiguo periculo) rem conficil poſſe. Unde, quia ſæva res bellum eſt, cumulumque ſecum trahit injuriarum & inſolentiæ, Reges magis in pacem, quam in bellum inclinent: nihil enim magis eſt regium, quàm conſulere omnium ſaluti, quæ pace continetur.

d. c. 24. §. 10. n. 1. & 2. in fin. Forſt. n. 2. Ann. Tac. 21. Kulpis. b. c. §. 2. in fin.

CAPUT XXV.

De Cauſis belli pro aliis ſuſcipiendi.

I. *Quæ ſint juſtæ cauſæ belli pro aliis ſuſcipiendi.*
II. *Quæ ſit prima & maxime neceſſaria cauſa.*
III. *An civis innocens, qui ab hoſte ad exitium depoſcitur, deſeri poſſit.*
IV. *An tradi, ut vitetur imminens alioqui civitatis excidium.*
V. *Quinam ſubditos ſequantur.*
VI. *An ſocii, contra ſpem boni exitus, ſint defendendi.*
VII. *Quæ ſit tertia cauſa.*
VIII. *Quæ latiſſima & poſtrema cauſa.*
IX. *An juſta ſit belli cauſa pro ſubditis alienis, ut ab eis injuria imperantis arceatur.*
X. *An mercenaria militia, ſine cauſæ diſcrimine, juſta ſit.*

I. *Quæ ſunt juſtæ belli cauſæ pro aliis ſuſcipiendi?*

Grot. l. 2. c. 25. §. 1. & c. 1. §. ℞. Quæ cauſæ juſtæ ſunt ipſi, cujus res agitur, eædem juſtæ ſunt

ſunt iis, qui aliis opem ferunt.

II. *Quæ eſt prima & maximè neceſſaria?*

℞. Cura pro ſubditis, ſive qui familiari, ſive qui civili ſubſunt imperio; ſunt enim quaſi pars rectoris: ſed tamen non ſemper ſingulorum, niſi ubi id ſine omnium aut plurium ſubditorum incommodo fieri poteſt. Rectoris enim officium magis circa totum, quam circa partes verſatur, & quo pars eſt major, eo ad totius naturam propiùs accedit.

2. b. lib. Schutz. vol. 2. Ex. 10. th. 4. lit. f. d. c. 25. §. 1. n. 2. & c. 1. §. 8. b. lib. & l. 1. c. 5. §. 3. d. c 25. §. 2. l. 1. c. 4. §. 7. n. 4. Oſiand. ad c. 25. §. 3. in med. aliter.

III. *An civis innocens deſeri poteſt, qui ab hoſte depoſcitur ad exitium?*

℞. Si appareat, civitatem hoſtium viribus multò eſſe imparem, non tenetur iſtiuſmodi hominem cum exitio ſuo defendere; ſic enim & ipſa peribit, & innocens ille haudquaquam ſervabitur. Neque ille poſtulare poteſt, vi tacitæ conventionis civium inter ſe & cum capite (qua ſcilicet placuit ab initio, dum coiret ſocietas civilis, ut una eſſet ſalus omnium, unum & commune periculum) ut pro ſe & ſecum tota civitas pereat; contractus enim ultra contrahentium mentem non eſt extendendus, quæ non videtur fuiſſe, ut ſe totam obligaret pro vita unius. Ergò

Grot. c. 25. §. 3. Puf. l. 8. c. 2. §. 5. diſſ. Ziegl. b. l. Oſiand. & Frid. Horn. l. 2. c. 2. §. 14.

gò hoc relinquitur miſero, ut quantum poteſt, ſibi ipſi conſulat fugâ, aut auſu quodam, quamvis periculoſo.

IV. *An verò tradi in manus hoſtium civis innocens poteſt, ut vitetur imminens alioqui civitatis excidium?*

Horn. l. 2. c. 2. §. 20.

℞. Videndum, ad quid petatur talis civis; ſi certò conſtet, nec ad cædem poſtulari, nec ad ſcelus aliquod, puta ſi vir rerum civilium peritus, aut ſi eximius artifex petatur, & civitati poſt traditionem nihil amplius ſit metuendum, tradi poteſt; quia hîc eadem eſt ratio neceſſitatis conſervandæ partis, quæ eſt totius, & unuſquiſque ſubditus civitatem & corpore & bonis conſervare cogitur, propter imperium, quod civitati in caput ejus competit. Sin petatur aut ad præſentem mortem, aut ad ſcelus perpetrandum, e. g. formoſus adoleſcens, vel virgo, ad libidinem tyranni implendam, tradi non poteſt, quia quidem imperans ſubditi caput periculis objicere poteſt, ſed cum facultate pugnandi, & ſubdito quidem mandare poteſt, ſed non quod eſt contra jus naturæ aut divinum. Et ſi imperans eum tradat de facto, id citra participationem peccati fieri non poteſt.

Grot. l. 2. c. 6. §. 5. & 8. & c. 25. §. 3. n. 3. & 4. Kulpis. h. c. §. 1. in fin. Boecl. ad Grot. l. 1. c. 1. §. 6. Oſiand. h. c. §. 3.

eſt. De cætero, majoris debet eſſe ci- *Puf. l. 8.*
vitati vita ſuorum civium, quam ut *c. 2. §. 5. in fin.*
eam, declinando periculo incerto, aut
acquirendo aliquo bono parum neceſ-
ſario, prodigere velit; neque in ta-
les uſus vitam ſuam civis offerre tene-
tur.

V. *Quinam ſubditos ſequuntur?*

℞. Subditis, ut defendi debeant, *Grot. d. c.*
proximi ſunt ſocii, in quorum fœdere *25. §. 4. l. 1.*
comprehenſum id eſt, ſive in tutelam *c. 3. §. 21. n. 1. & 10.*
ſeſe & fidem aliorum dederint, ſive
mutua auxilia pacti ſint. Pactiones au- *Grot. l. 2.*
tem tales ad bella, quibus juſta cauſa *c. 15. §. 12.*
non ſubeſt, porrigi haud poſſunt.

VI. *Quid, ſi nulla ſit ſpes boni exitus?*

℞. Si meus ſocius videat, ſe hoſti *Grot. c. 25.*
parem non eſſe, etiam adjunctis meis *§. 4. in fin.*
viribus, & tamen perſeveret in certam *Puf. l. 8. c. 6. §. 14. in*
perniciem ruere, cum liceat tolerabili- *med.*
bus conditionibus tranſigere, ſtolidus
forem, ſi alieno furori me comitem
adjungerem; & nemo ad certum exi-
tium præſumitur ſe velle obligare, imò
nemo poteſt. Si hoc moraliter cer- *Ziegl. h. c.*
tum non ſit, ſub prætextu, quod non *§. 4.*
ſit ſpes boni exitûs, ſocius ſe excuſa-
re non poteſt, quia aliàs facile omne
fœdus deſeri poſſet, & ſocius omni
tem-

tempore diceret, ſibi nullam eſſe ſpem boni exitûs.

VII. *Quæ eſt tertia cauſa?*

Grot. c. 25. § 5.

℞. Tertia cauſa eſt amicorum, quibus auxilium promiſſum quidem non eſt, ſed tamen amicitiæ quadam ratione debetur, ſi facilè & ſine incommodo exhiberi poſſit.

VIII. *Quæ eſt latiſſima & poſtrema cauſa?*

Grot. d. c. 25. §. 6. & 7. n. 1. Puf. l. 8. c. 6. §. 14. in fin. Schutz. Vol. 2. Ex. 10. th. 4. Oſiand. ad Grot. c. 25. obſ. 7. in fin. Grot. d. c. 25. §. 7. n. 2. aliter.

℞. Hominum inter ſe conjunctio, quæ vel ſola ad opem ferendam ſufficit, & fortitudo, quæ defendit infirmos, plena juſtitiâ eſt: præſertim cum noſtra quoque facillimè intereſſe poſſit, ne alium populum ſine juſta cauſa alius invadat. Sic homo hominem defendere cogitur ab injuria alterius: imò, ſi oppreſſus niſi morte invaſoris eripi poſſit, obſervato moderamine inculpatæ tutelæ, & iis quæ ſupra diximus, hic occidi poterit; luit enim, quod meruit, & ſatius eſt, ſervare innocentem, quàm opprimentem, ſi uterque ſervari non poſſit. Hoc tamen caſu, ſi manifeſtum ſit periculum, vitam & res ſuas alienis præferre quis poteſt, quia prima cura eſt ſui ipſius & rerum ſuarum.

Grot. c. 25. §. 7. n. 1. Puf. l. 2. c. 6. §. 4. Oſiand. h. c. §. 7. circa fin. aliter.

IX. *An ergò juſta eſt belli cauſa pro ſub-*

ſubditis alienis, ut ab eis injuria imperantis arceatur?

℞. Quo caſu ipſi recte arma ſumunt contra ſuos imperantes, eo caſu etiam eos recte defendimus: aliàs non licet. Nam ex quo civiles ſocietates inſtitutæ ſunt, certum eſt, rectoribus cujuſque ſpeciale quoddam jus in ſuos ſanctum, inviolabile & tutum, cum à ſubditis, tùm ab aliis, à Deo conceſſum eſſe; & huc illud pertinet:

Puf. l. 8. c. 6. §. 14. in fin. vid. ſupra l 1. c. 4. § 8. & ſeqq. Oſiand. h. c. §. 8. Ziegl. Horn. l. 2. c. 12. §. 10. Grot. c. 25. §. 8. n. 3. aliter.

Spartam, quæ tibi contigit, orna,
Nobis fuerint cura Mycenæ.

Et impedimentum, quod hîc eſt, non tantum eſt perſonale, ſeu ex perſonæ qualitate, quæ in alios non tranſit, ſed ex re, ſeu ex ipſo ſummo imperio, quod æquale habet cum altero, & in quod alteri non læſo nihil juris competit. Ideoque hoc in ſtatu ſubditis nihil reliquum eſt, præter libellos ſupplices, deprecationes, preces ſerias ad Deum, qui non patitur tentari ultra vires, ſed aut mutat talis tyranni animum, aut vitam tollit.

Schutz. d. Vol. 2. Ex. 10. th. 4. lit. I. in fin.

X. *Quid de iis dicendum, qui ſine cauſæ reſpectu, mercede conducti militant?*

℞. Nullum vitæ genus eſt improbius, quam eorum, qui ſine cauſæ re-

Grot. c. 25. §. 9. Oſiand. h. c. §. 9. & 10.

ſpectu, mercede conducti militant, & quibus

——, ibi fas, ubi plurima merces.

Et parum eſt, quod ſuam vendunt necem, niſi & aliorum ſæpe innocentium venderent: tanto carnifice deteſtabiliores, quantò pejus eſt, ſine cauſa, quam ex cauſa occidere. Et bellum non debet eſſe inter artificia; nam militare non quidem eſt delictum, ſed propter prædam militare, peccatum eſt; imò & propter ſtipendium, ſi id unice aut præcipuè ſpectetur: cum alioqui ſtipendium accipere, ſit omninò licitum. Huc referuntur præfecti, qui die ſtipendii ſolvendi, aut luſtrationis ſuſcipiendæ, alios conducunt, vel etiam ſuam familiam numerant, imò & defunctos quandoque, in ſuum commodum interpretantes illud Imperatoris, quod illi qui pro rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelligantur.

Grot. c. 25. §. 10. Ziegl. h. c. §. 10. de jur. maj. 1. c. 33. §. 17.

l. de excuſat. tut. in fin. pr.

CAPUT XXVI.

De cauſis juſtis, ut bellum geratur ab his, qui ſub alieno imperio ſunt.

I. *Quomodo circa cauſas belli agere debeant, qui ſub alieno ſunt imperio.*
II. *Quid, ſi ipſis edicatur, ut militent, & cauſam belli injuſtam credant.*
III. *Quid, ſi dubitent.*
IV. *An rationes conſiliorum popu-*

populo, ſine reip. periculo, edi poſſint.
V. *Quid, ſi ſubditorum animis per cauſæ expoſitionem ſatisfieri nequeat.*
VI. *Si de juſtitia belli dubitari non poſſit, an ſubditi inviti cogi poſſint.*
VII. *An captivus ab hoſte dimiſſus, ea conditione, ne unquam contra ipſum militet.*
VIII. *An juſta in bello injuſto ſubditorum defenſio eſſe poſſit.*
IX. *An ergò hoc modo bellum, ab una parte injuſtum, utrimque juſtum fieri poſſit.*

I. *Quomodo agendum circa cauſas belli ab illis, qui in conditione parendi poſiti ſunt, ut filiiſ. ſervi, ſubditi, etiam cives ſinguli, ſi cum civitatis ſuæ corpore comparentur?*

℞. Si aut ad deliberationem adhibeantur, aut libera ipſis optio detur militandi aut quieſcendi, eaſdem regulas ſequi debent, quas illi, qui ſuopte arbitrio pro ſe aut aliis bella ſuſcipiunt. Grot. l. 2. c. 26. §. 2.

II. *Quid, ſi edicatur ipſis, ut militent, ubi conſtat, ipſis injuſtam eſſe cauſam?*

℞. Abſtinere omninò debent, & Deo potiùs, quàm hominibus, qui à Deo ſuam poteſtatem habent, eamque contra Dei voluntatem exercere non poſſunt, eſt obediendum; & patri eſt parendum, & Regi, ſi quidem intra jura, recte: ſin ultra honeſtum, non convenit. Tantundem erit, ſi quis per- d. c. 26. §. 3. n. 1. & 2. in fin. Puf. l. 8. c. 1. §. ult. & l. 1. c. 3. per tot.

ſuaſus ſit, id quod imperatur, injuſtum eſſe: nam huic tantiſper ea res pro illicita eſt, quamdiu eam opinionem non poteſt deponere.

III. *Quid, ſi dubitent, res licita ſit, nec ne, eritne quieſcendum, an parendum?*

Grot. d. c. §. 4. n. 1. Ziegl. h. c. §. 4. aliter. Horn. l. 2. c. 12. §. 5.

℞. Parendum plerique cenſent, contra laudatum illud *quod dubites, ne feceris*; quia qui contemplative dubitat, poteſt activo judicio non dubitare; credere enim poteſt, in re dubia obſequendum ſuperiori. Quæ diſtinctio judicii duplicis, licet in multis actionibus locum habeat, verior tamen eſt contraria ſententia; quia qui dubitat contemplative, debet judicio activo eligere partem tutiorem, quæ eſt abſtinere à bello: nam cum utrumque incertum ſit, caret peccato, quod ex duobus minus eſt, inobedientia autem in ejuſmodi rebus ſuapte natura minus malum eſt, quam homicidium, præſertim multorum innocentium. Imò proprie inobedientia non eſt; ubi enim imperii eſt defectus, ibi nulla eſt inobedientia.

d. c. 26. §. 4. n. 4.

d. c. 26. §. 4. n. 5.

IV. *At hac ratione perire poſſet reſp., quia plerumque non expedit, rationes conſiliorum edi populo?*

℞. Ne-

℞. Negatur conſequentia. Ut enim hoc verum ſit de cauſis ſuaſoriis belli, de juſtificis verum non eſt, quas oportet claras eſſe & evidentes, & proinde tales, quæ palam exponi poſſint & debeant. Et ſane denunciationes palàm fieri ſolebant & expreſſâ cauſâ, ut totum quaſi genus humanum de juſtitia cauſæ poſſet cognoſcere. Scilicet, prudentia virtus eſt imperantis propria: juſtitia verò hominis, quà homo eſt. Adde tamen, ſi dubium ſit omninò illiquidum, fides ſuperiori data non eſt negligenda, propter præſumtionem juſtitiæ, quæ juſſa ſuperiorum videtur comitari. Grot. d. c. 26. §. 4. n. 5. d. c. 26. §. 4. n. 7. Puf. l. 8. c. 1. §. 6.

V. *Quid, ſi ſubditorum animis per cauſæ expoſitionem ſatis nequeat fieri?*

℞. Omninò officium erit boni magiſtratus, tributa ipſis potiùs extraordinaria imperare, quam operam militarem: præſertim ubi non defuturi ſunt alii, qui militent; quorum voluntate, non tantum bona, ſed & mala, uti poteſt Rex juſtus, quomodo Deus & Diaboli & impiorum paratâ operâ utitur. Grot. d. c. 26. §. 5. n. 1.

VI. *Si de cauſa belli dubitari non poſſit, an ſubditi inviti cogi poſſunt?*

Puf. l. 8. c. 2. §. 1. Horn. l. 2. c. 2. §. 17. Grot. c. 26. §. 5. n. 2. aliter.

℞. Affirmatur, quia aliàs ſummi imperii, quod habet in perſonas civium, ad civitatem conſervandam, nullus daretur effectus. Et ſi ſubditi tenentur, ex officii præſcripto, ſtrenua manu ultrò conſulere publico, multò magis, ſi ſummi imperii juſſus accedat. Imò, niſi imperantibus hæc poteſtas in capita ſubditorum competeret, qua hoſti eoſdem poſſent opponere, in præſentiſſimo verſaretur diſcrimine omnium ſalus.

VII. *Quid, ſi captivus ab hoſte detentus, ut dimitteretur, promiſerit, quod contra ipſum arma deinceps non ſit geſturus, an iſte poſtea à civitate ſua rectè poteſt obligari, ut contra promiſſum ſuum in talem hoſtem militet?*

Grot. l. 3. c. 23. §. 7. Puf. l. 8. c. 2. §. 2.

℞. Quia tali pacto civitatis conditio non fit deterior, quippe cui is, qui captus eſt, ſi non liberetur, jam habetur pro mortuo, videtur eum hac lege recepiſſe, ut illi relinquat facultatem ſervandi promiſſum hoſti: niſi in ſumma neceſſitate, ita ut civitas in periculo verſetur, ſi ille arma non capiat; hoc enim in caſu non videtur ſe potuiſſe obligare, ne alterius vim injuſtam, ad perniciem ipſius & ſuorum con-

concivium tendentem, repellere queat. Ideoque hoc pactum tantum de offenſivo, non autem de defenſivo bello, interpretandum erit, ne nimium conſtringatur libertas naturalis. Grot. l. 2. c. 26. §. ult.

VIII. *An in bello manifeſte injuſto poteſt eſſe aliqua juſta ſubditorum defenſio?*

℞. Affirmatur, ſi certò conſtet, hoſtem venire eo animo, ut hoſtilium ſubditorum vitæ parcere cum poſſit, omninò nolit, etiamſi innocentes ſint. Jus enim naturæ defenſionem hoc in caſu concedit; quod gentium jure ademtum illis non eſt. Subditos enim innocentes, & à belli culpa remotos, interficiendi jus verum & internum hoſtis, juſtum quamvis bellum gerens, non habet, niſi aut ad neceſſariam defenſionem, aut per conſequentiam, & extra propoſitum. Grot. l. 2. c. 26. §. ult.

IX. *An ergò hoc modo bellum, quod ab una parte eſt injuſtum, utrimque juſtum fieri poteſt?*

℞. Negatur: non enim de bello, ſed de certa ac definita actione quæritur; illa autem actio, quamvis à jus ad bellum habente procedat, injuſta eſt, & proinde juſtè repellitur. d. c. 26. §. ult. n. 2.

LIBER III.

CAPUT I.

Quantum in bello liceat, regulæ generales ex jure naturæ: ubi & de dolis & mendacio.

I. *Quid quantumque liceat in bello, & quibus modis.*
II. *An in bello naturaliter liceant ea, quæ ad finem ſunt neceſſaria.*
III. *An jus noſtrum ſpectetur ex ſolo belli principio, an etiam ex cauſis in bello ſubnaſcentibus.*
IV. *An quædam conſequenter licita ſint, quæ non licerent ex propoſito.*
V. *Quid liceat in eos, qui quidem hoſtes non ſunt, ſed hoſtibus res ſubminiſtrant.*
VI. *Quid, ſi non ad hoſtem, ſed ad amicum vicinum, mittantur merces.*
VII. *Quis ſit modus gerendi bellum, & an dolo uti liceat. Quid ſit dolus in actu negativo.*
VIII. *Quomodo vocetur dolus in actu poſitivo.*
IX. *An inter voces & res aliqua intercedat differentia. Quid, ſi ſint actus ex conventione ſignificantes.*
X. *An verba natura ſua, citra hominum voluntatem, aliquid ſignificent.*
XI. *Qua ratione verbis ſignificatio impoſita fuerit, an per hominum conventionem.*
XII. *Quotuplex ea conventio ſit.*
XIII. *In quo conſiſtat veritas.*
XIV. *In quo natura mendacii conſiſtat.*
XV. *An dolus in mendacio requiratur.*
XVI. *Quid, ſi verbum plures habeat ſignificationes.*
XVII. *Quando ſermone ambiguo uti non liceat.*
XVIII. *Quid dicendum ſit de reſervationibus mentalibus.*
XIX. *An mendacium ſit, ſi alterius jus non lædatur.*
XX. *Quibus ergò non mentiamur.*
XXI. *An ſemper, & quando, falſo ſermone apud hoſtem uti liceat.*
XXII. *An & cur plurimæ gentes fraudes naturaliter in hoſtem licitas repudiaverint.*
XXIII. *An liceat aliquem ad id impellere, quod ipſi non licet.*
XXIV. *An ergò hoſtis interfectio non ſemper & omni modo licita ſit.*

I. *Quid*

I. *Quid licet in bello, quot & quibus modis?*

℞. Id quod in bello licet, aut nudè ſpectatur, aut ex promiſſo antecedente. Nudè, ex naturæ primum, deinde ex gentium jure.

Grot. l. 3. c. 1. §. 1.

II. *Quid ergò naturâ licet?*

℞. Ad ea, quæ ad finem juris mei conſequendi ſunt neſſaria, neceſſitate ſumta, non ſecundum phyſicam ſubtilitatem, ſed moraliter & jure naturæ, facultatem habeo: modò nullam contineant turpitudinem: ea enim, quæ ad finem ducunt in morali materia, æſtimationem ſuam intrinſecam accipiunt ab ipſo fine. Sic, ſi vitam aliter ſervare non poſſim, licet mihi vi qualicunque arcere eum, qui eam impetit, etiamſi forte is peccato vacet: quia jus hoc non proprie ex peccato alterius oritur, ſed ex jure, quod mihi pro me natura concedit. Sic, ubi juſtum eſt bellum, omnis vis juſta eſt, ſine qua jus noſtrum obtinere & ad pacem pervenire non poſſumus: ut rerum corruptio per incendium, aut aliter, intra juſtum ſcilicet modum.

d. l. 3. c. 1. §. 2. l. 2. c. 5. §. 5. in fin. c. 14. §. 11. *Feld b c. & Oſiand. aliter.*

Grot. l. 2. c. 2. §. 10.

III. *An jus noſtrum ſpectatur ex ſolo belli principio?*

℞. Non, ſed etiam ex cauſis ſubna-

Grot.l.3. ſcentibus, ſicut in judiciis, poſt litem
c.1.§.3. Str. Ex. conteſtatam, jus ſæpè parti novum pa-
47. th. 51. ritur. Sic, qui ſe aggregant me impe-
& 52. a. 2. tenti, ſive ſocii ſive ſubditi, in ſe quo-
§.9. que jus tuendi me mihi porrigunt. Sic, qui bello ſe miſcent, quod injuſtum eſt, præſertim ſi ipſi id injuſtum eſſe ſcire poſſunt ac debent, obligant ſe
c. 10.§.3. ad ſumtus & damna reſarcienda, Imò,
4. & 5. quia ſatisfactione facta pro ſumtibus belli & damnis, ab initio belli, ſeu tempore ſuſcepti belli datis, inpoſterum tamen mihi adhuc eadem facilitate nocere poſſunt tam is, qui eſt belli auctor, quam ii qui ſe ipſi junxerunt, niſi vires eis adimantur: petere poteſt
Text. c.18. victor, ut aut loca illa, ex quibus no-
§.6.7.8.9. ceri poteſt, cedantur, aut alia præſtetur cautio, arbitriô victoris, ex bono & æquo ſufficiens, ſcil. de non offendendo ſubſequenti tempore. Debent enim, ſecundum ſupervenientem ſtatum, & circumſtantias præmiſſas, ſatisfacere victori, ſi juſtitiam armorum velint interrumpere.

IV. *Licitane quædam ſunt conſequenter, quæ non licerent ex propoſito?*

Grot.l.3.c. ℞. Ad jus agendi multa conſequun-
1.§.4.n. 1. Puf.l. tur indirecte & extra agentis propoſi-
2.c.6.§.4. tum, ad quæ per ſe jus non eſſet. Sic

navis

navis piratis plena, aut domus latronibus, tormentis peti poteſt, etiamſi intra eandem navim aut domum ſint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum. Idem dicendum de obſidionibus fortalitiorum, quæ globulis ignitis petuntur; quamvis enim, præter intentionem jaculantium, unus vel alter interficiatur innocens, tamen cum hoc fiat extra propoſitum eorum, & majus bonum ex occupatione talis fortalitii ſperetur, quàm eſt malum, quod hic innocens patitur, jure feciſſe videntur, & innocens hoc infortunii loco ducere debet, quod Rex vel reſp. indicendo vel ſuſcipiendo bellum, omnes ſuos cives vel ſubditos poſuerit in ſtatum hoſtilitatis, ut licitè ab hoſte offendi & violari poſſint. Non tamen ſemper uti ſummo jure permittit proximi caritas. Quare etiam ea, quæ extra propoſitum accidunt, & accidere poſſe prævidentur, cavenda erunt: niſi multò majus ſit bonum, quò noſtra actio tendit, quàm malum quod metuitur, aut niſi in pari bono & malo multò major ſit ſpes boni, quàm mali metûs; quod prudentiæ arbitrandum relinquitur.

Text. d. c. 18. §. 10.

V.

V. *Quid licet in eos, qui hoſtes non ſunt, aut dici nolunt, ſed hoſtibus res aliquas ſubminiſtrant?*

Grot. l. 3. c. 1. §. 5. n. 2. Bod. de rep. l. 1. c. 4. Aug. Thuan. l. 69. p. 309.

℞. Diſtinguendum inter res ipſas. Sunt enim, quæ in bello tantùm uſum habent, ut arma & cætera hujus generis, quæ hoſtem valdè contra me juvant, & vulgò dicuntur *contrebande*, tales ſi quis hoſti advehat, hoſtis habetur; in hoſtium enim habetur partibus, qui ad bellum neceſſaria hoſti ſubminiſtrat, nec hoc eſt colere cum utriſque amicitiam, ſi alios lædas, juves alios. Et quomodo ſecuritate gaudere poterunt, qui ſecuritatem publicam ſuis commerciis illicitis turbant, & quantum in ipſis eſt, juvando & validiorem reddendo hoſtem, evertunt. Sunt alia quæ in bello nullum habent uſum, ſed voluptati tantùm inſerviunt, ut ſunt veſtes pretioſæ, odoramenta &c. quæcunque animùm hoſtis ad delicias & luxum inclinant, fortitudinem exuunt; & hæc querelam non habent. Sunt etiam talia, quæ & in bello & extra bellum uſum habent, ut pecuniæ, commeatus, naves, & quæ navibus adſunt; & in his diſtinguendus erit belli ſtatus. Nam, ſi tueri me non poſſim, niſi quæ mittuntur intercipiam, ne-

Job. Maquard. de jur. mercat. l. 1. c. 16. §. 29. & ſeqq.

Grot. l. 3. c. 1. §. 5. n. 3. Job. Marq. de Jur. mercat. l. 1. c. 16. & ſeqq. Ziegl. ad Grot. h. c.

neceſſitas jus dabit, ſed ſub onere reſtitutionis: niſi cauſa alia accedat. Quod ſi juris mei executionem rerum ſubvectio impedierit, idque ſcire potuerit qui advexit, ut ſi oppidum obſeſſum tenebam, ſi portus clauſos, & jam deditio aut pax expectabatur, tenebitur ille mihi de damno culpa dato, & ad damni dati modum res quoque ejus capi, & dominium earum, debiti conſequendi cauſa, quæri poterit. Imò, pro hoſte talis videtur habendus, & ut hoſtis excipiendus, ſaltem quod hunc actum concernit, ſive mercator hoc faciat privato nomine, ſive publico. Si damnum nondum dederit, ſed dare voluerit, jus erit, rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat obſidibus, pignoribus, aut alio modo.

§. 5. & do jur. maj. l. 1. c. 41. n. 29. aliter.

VI. *Quid juris, ſi non ad hoſtem, ſed ad amicum vicinum mittat merces prohibitas, anne tunc ab una belligerantium parte, metu ne ab illo loco ad hoſtem res transferantur, commercium impediri poteſt?*

℞. Non, quia ſic nimium conſtringeretur commerciorum libertas; niſi conſtet de animo utriuſque, tam ejus, qui mittit, quam ejus, ad quem mittitur, & quem ita merces intercipiendo

Marq. d. l. §. 36.

do impedire non poſſumus, quo' minus eas ad hoſtem noſtrum mittat, eumque juvet. Hinc in pactionibus, quæ plerumque intercedunt inter bellum gerentes, & eos, qui ſunt neutrarum partium, hæ res ſemper excipi ſolent.

vid. Grot. in not. & Marq. d. l.

VII. *Quis eſt modus gerendi bellum?*

Grot. l. 3 c. 1. §. 6. n. 1. & 2. §. 7. Oſiand. h. c. aliter.

℞. Vis ac terror maxime quidem propria ſunt bellorum, interim tamen cum juſtum ſuſcipitur bellum, vi aperta pugnet quis, an ex inſidiis, nihil ad juſtitiam refert, & maxime laudantur duces, qui fraude, ſcilicet bona, dolo bono ſeu ſtratagematibus, victoriam quærunt: qui dolus dicitur conſiſtere in actu negativo, & ad eum refertur, quando quis per diſſimulationem tuetur ſua vel aliena. Nam cum nec quæ ſcias, nec quæ velis, aperire aliis tenearis, diſſimulare quædam apud quoſdam, id eſt, tegere ac occultare fas eſt. Imò neceſſaria omninò atque inevitabilis eſt diſſimulatio, his præſertim, quibus reſp. commiſſa eſt.

VIII. *Quomodo dolus, qui in actu poſitivo conſiſtit, vocari ſolet?*

Grot. l. 3. c. 1. §. 8.

℞. Vocatur in rebus ſimulatio, in verbis mendacium.

IX. *Interceditne hic inter verba & res*

res aliqua differentia?

℞. Verba, nutus, & notæ illæ, quæ ſignificant res ipſas, ut hieroglyphicæ, vel quæ ex mero arbitratu ſignificant, ut apud Sinenſes, quibus integri conceptus & ſententiæ exprimuntur, reperta ſunt ad ſignificandum cum mutua obligatione, ita ut iis aliter uti non liceat, quam eo quo convenit modo inter homines; res aliæ non item. Hinc fit, ut rebus aliis uti liceat, etiamſi prævideamus futurum, ut alter inde falſam concipiat opinionem, e. g. ficta fuga ex inſtituto nihil ſignificat, quanquam hoſtis eam accipiat, ut ſignum pavoris: quod alter cavere non tenetur, utens ſua libertate huc vel illuc eundi, & magis minuſve celeriter, & hoc vel illo geſtu habituve. Huc referuntur eorum actus, qui hoſtium armis, ſignis, veſtibus, velis, utuntur. Et hæ res ſunt ejus generis, ut à quovis pro arbitrio, contra conſuetudinem, uſurpari poſſint: excipe res quæ ex conventione, vel certos apud homines, vel apud pleroſque aut univerſos, valere videntur. Huc pertinent ignes nocturni, dirigendo navium curſui accenſi; item alia ſigna, quibus diurnus navium curſus regitur, breviaque & ſco-

Grot. l. 3. c. 1. §. 8.

Oſiand. l. c. obſ. 8.

Puf. l. 4. c. 1. §. 2. in med.

ſcopuli indicantur; item, ſigna itinerum terreſtrium, hermæ, protenſæ manus, & ſimilia. Apud quoſdam populos in uſu ſunt ignes, per montium cacumina incenſi, quibus certæ res per totum regnum breviſſimo ſpatio nunciantur. In bello huc referuntur tubarum ſonitus, tympanorum pulſus, vexilli propoſitio, &c. quibus omnibus pro lubitu uti non licet.

X. *At verba naturâ ſignificant?*

℞. Imò ex mero hominum arbitrio atque inſtituto; aliàs nulla poſſet ratio reddi, quare eandem rem in diverſis linguis diverſa notarent vocabula. Id quod etiam de apicibus & figuris literarum verum eſt. Sicuti & de pleriſque linguis conſtat, illas ab initio valde fuiſſe pauperes atque ſimplices, poſteà autem ab hominibus locupletatas, & in concinniorem formam redactas. Quamvis & hoc verum ſit, hominis præ cæteris animantibus, hanc eſſe naturam, ut conceptus animi verbis ſignificare aliis poſſit, ita ut non conſiſtat in alieni repetitione, ut pſittacorum garritus.

Grot. d. c. 1. §. 8. n. 1. l. 2. c. 16. §. 2. Ziegl. h. c. §. 8. Guil. Poſtel. de omn. ling. orig. Geſner. Mithrid. Becman. in hiſt. orb. geogr. & civ. part. 1. 9. Hobbes Leviathan. c. 4.

XI. *Qua ratione iſta impoſitio ab hominibus eſt facta?*

℞. Aut per tacitam quandam conven-

ventionem, aut per expreſſam, cujus vi neceſſum eſt, ad hanc & non aliam rem notandam, verba & alia ſigna, ut modò diximus, adhibere. Nam ſine tali obligatione inane fuiſſet tale repertum, etiamſi ſtatuamus, primævas linguas hominibus fuiſſe infuſas: cum enim quilibet homo ſuam loquendi facultatem ſeorſim obtineat, eademque libere uti poſſit, quælibet verba quibuslibet rebus pro lubitu applicando, opus fuit tali conventione, ut quiſque eodem modo verbis uteretur, eaſdemque res iiſdem vocabulis exprimeret; ita ut quis ſerio voluiſſe præſumatur, quod ſignis iſtis expreſſit, licet forte intrinſeca voluntatis deſtinatio à ſignis diſcrepet. Et hinc eſt, cur ab altero quis poſtulare poſſit, quod ſignis iſtis expreſſit & promiſit. *Grot. d. c. 1. §. 11. n. 1. Puf. l. 4. c. 1. §. 5.*

XII. *Quomodo ſubviditur hæc conventio?*

℞. In generalem & ſpecialem. Illa interveniſſe intelligitur inter homines eadem lingua utentes, ut certas res, inprimis in frequenti commercio atque uſu verſantes, certis vocabulis exprimant, quæ communis uſus ejuſdem temporis adprobat. Nam penes hunc arbitrium eſt, & jus & norma loquen- *Puf. l. 4. c. 1. §. 6.* *Grot. l. 3. c. 1. §. 8. & 11.*

 di;

di; & eo volente, multa renaſcuntur, quæ jam cecidere, cadentque quæ nunc ſunt in honore vocabula. Hæc eſt, qua vocabula quædam vel peculiarem à communi uſu ſignificationem induunt, vel qua communis uſus quædam vocabula ignorat; quò pertinent vocabula artificum ſeu termini artis, & peculiaria vocabula aut notæ, quæ finguntur à quibuſdam, ut à ſe invicem, non autem ab aliis intelligantur; huc etiam referuntur teſſeræ militares.

Geſner. in ſin. Mithridatis ſui.

XIII. *In quo ergò conſiſtit veritas?*

Puf. l. 4. c. 1. §. 8.

℞. Veritas conſiſtit in eo, ut ſigna, ac inprimis verba, commodè animi noſtri ſenſa repræſentent alteri, cui eadem intelligendi jus eſt, quæque ut ipſi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit, ut vel commodum aliquod inde conſequatur, vel ne damno præter meritum afficiatur. Unde veritas proprie eſt, quando ſigna animi noſtri ſenſa alii, cui eadem intelligendi jus eſt, rectè repræſentant.

XIV. *In quo conſiſtit natura mendacii?*

Puf. d. l.

℞. Ubi ſcientes & volentes facimus, ut ſigna aut verba aliam præ ſe ferant ſententiam animi noſtri, quàm quæ re-

revera erat, cum tamen hanc ipſam is, ad quem ſigna illa diriguntur, intelligendi & judicandi jus habeat, & nobis obligatio incumbat faciendi, ut ille noſtram ſententiam intelligat. Ex quo mendacium definitur, quod ſit, quando ſigna dolô non conveniunt cum ſententia animi noſtri, contra jus alterius, ad quem diriguntur.

XV. *Cur additur dolô?*

℟. Quia, ubi dolus non intervenit, mendacium non eſt, ſed falſiloquium. Hinc aliud eſt mentiri, aliud mendacium dicere. Nam qui rem falſam dicit, quam veram exiſtimat, non mentitur, & qui rem veram quidem dicit, quam tamen falſam putat, mentitur. *Grot. l. 3. c. 1. §. 10. n. 1.*

XVI. *Quid, ſi verbum habeat plures ſignificationes?*

℟. Ut quis excuſetur à mendacio, ſufficit, ſi animi conceptus uni iſtarum ſignificationum congruat: id quod fieri ſolet interdum cum iis, qui curæ noſtræ ad erudiendum ſunt traditi, ut exploremus vires ingenii & eruditionem, vel ut interdum iniquam evitemus interrogationem, vel ut noſtrum aliquod commodum quæramus, ſine damno alterius. *Grot. l. 3. c. 1. §. 10. n. 1. in fin. Puf. l. 4. c. 1. §. 13. Oſiand. h. c. §. 10. aliter.*

XVII. *An non interdum fas non eſt*

uti iſtiuſmodi ſermone ambiguo?

Grot. d. c. 1. §. 10. n. 3.

℞. Interdum non modo illaudabile hoc eſt, ſed & improbum: ita ut nihil interſit, ſive ſimplex quis mendacium dicat, ſive ambiguo ſermone alterum decipiat; puta cum Dei honos, aut amor proximo debitus, aut reverentia adverſus ſuperiorem, aut rei, de qua agitur, natura exigunt, ut quod animo cogitatur, omninò pateſiat; ſicut in contractibus id aperiendum, quod natura contractus intelligitur exigere.

XVIII. *Quid dicendum de reſervationibus mentalibus?*

Grot. d. c. 1. §. 17. n. 3. l. 2. c. 16. §. 2. Oſiand. obſ. 9.

℞. His reſervationibus corrumpitur omnis ſermonis uſus, & nemo certus eſſe poteſt, in quam partem alterius verba debeat accipere. Et nihil obſtat, quo minus qui quid affirmat, id id ipſum negare, qui negat, affirmare dicatur, e. g. cum dicunt *neſcio*, ſubintelligi poſſe *neſcio, ut dicam.* Item *non habeo*, ſub intelligi poſſe *ut tibi dem*; & id genus alia, quæ ſenſus communis repudiat. Ita & eorum commentum non probatur, qui quaſi vocem, non rem, exhorreſcant, joca vocant ea, quæ vultu ac pronunciatione maxime ſeria proferuntur; ut plerum-

Grot. d. §. 17. n. 4.

que

que iſti ſe excuſant, qui nova confingunt.

XIX. *Cur additur in definitione mendacii, Contra jus alterius?*

℞. Quia, niſi alius jus quæſitum habeat (vel ex peculiari pacto, vel ex communi præcepto legis naturalis, vel ex præſentis negotii natura, cui contrahendo ſermo vel ſimilia ſigna adhibentur) ut animi mei ſenſum ipſi aperiam, mendacium proprie non eſt, ſi verba mea non conveniant menti meæ: ita ut hoc in caſu non tantum diſſimulare liceat, verum etiam, ſi jus alterius non lædatur, mea autem vel alterius utilitas aliter procurari, aut ſalus ſervari nequeat, licebit mihi ita adhibere ſigna, ut diverſam planè animi mei ſententiam, quàm revera eſt, exprimant. At poſita obligatione ſenſa animi alteri indicandi, vocabulis propter conventionem, ut modò diximus, ita uti debeo, ut ſententia animi mei ab altero poſſit intelligi; nam ſine hoc nullus ſermonis foret uſus. *Puf. §. 10. in med. Grot. b. c. §. 11. n. 1. aliter.*

XX. *Quibus ergò non mentimur?*

℞. Omnibus iſtis, qui nullum jus quæſitum habent, vel quia prædiximus, nos falſa dicturos, & alter permiſit, *Puf. l. 4. c. 1. §. 11. Grot. d. c. 1. §. 12. & ſeqq.*

aliter. Oſ. hic diſſ. omninò & Ziegl.

miſit, vel quia ſtatus & conditio ejus, ad quem ſermo dirigitur, impedit jus, propter quod verba menti convenire debent. Sic, regulariter infanti aut amenti non mentimur, nec tertio, ad quem ſermo non dirigitur, licet inde falſam hauriat perſuaſionem (quò referuntur iſti, qui obiter aliquid audiunt) non enim cum eo agitur, ideoque nulla eſt ad illum obligatio, imò, ſi ipſe ſibi opinionem informet de eo, quod non ipſi, ſed alteri dicitur, habet quod ſibi, non alteri, rem imputet. Nec ægroto mentitur medicus, aut ſi quis ægrotantem amicum perſuaſione non vera ſoletur, aut in prælio periclitanti ex falſo nuntio animum addat, quo incitatus victoriam & ſalutem ſibi pariat. Certum enim eſt, eum, ad quem ſermo eſt, hoc ægre non laturum, imò gratias habiturum, ob commodum aliquod, quod inde aſſequitur. Nec ſubditis princeps mentitur, ſi utilitas & neceſſitas publica hoc exigat: nimirum propter eminens dominium in omnia jura alterius. Nec mentimur iſtis, qui ab improbi facinoris perfectione aliter averti non poſſunt; ut, ſi iratus alium occiſurus, fictis ſermonibus ab hoc facinore abducatur & placetur: vita enim

nim innocentis aut par aliquid ſæpè aliter ſervari nequit; ſic apud hoſtem falſo ſermone uti licet.

XXI. *Hæc, quæ de hoſte dicuntur, ad quem ſermonem pertinent?*

℞. Ad aſſerentem, non ad promittentem. Nam ex promiſſione jus ſpeciale ac novum confertur ei, cui fit promiſſio: idque inter hoſtes etiam locum habere, ſine ulla hoſtilitatis jam exiſtentis exceptione, certum eſt, neque tantum in promiſſis expreſſis, ſed & tacitis, ut in colloquii poſtulatione. *Grot. d. c. 1. §. 18. & c. 19. b. lib. Oſiand. h. c. §. 18.*

XXII. *An principes eo jure, quod naturaliter conceſſum diximus, ſemper uti ſolent?*

℞. Sæpius non utuntur, ob eximiam quandam animi celſitudinem, interdum & ob virium fiduciam. Magnanimus enim verùm & liberè loqui amat. Generoſus animus hoſtibus furtim necem inferre neſcit. *Grot. d. c. 1. §. 20.*

XXIII. *An, quod alicui facere non licet, ad id alium impellere aut ſollicitare licet?*

℞. Plures negant, quia qui alteri cauſam peccandi dat, peccat & ipſe. Sic regem ſuum occidere ſubdito non licet, nec oppida ſine conſilio publico dedere, nec ſpoliare cives; ad hæc er- *Grot. d. c. 1. §. 21. jung. tamen Puf. l. 8. c. 6. §. 18.*

 go

go ſubditum, qui talis maneat, permovere non licet.

XXIV. *At hoſtis interfectio eſt licita?*

Grot. d. §. 21. in fin. & §. 22. Ziegl. h. c. §. 22. aliter.

℞. Eſt quidem licita, ſed non eo modo: ſecus, ſi quis opera ſponte & ſuo impulſu peccantis ad rem ſibi licitam utatur; ſic contra jus belli non eſt, ut eum admittamus, qui deſerta hoſtium parte noſtram eligit.

CAPUT II.

Quomodo jure gentium bona ſubditorum pro debito imperantium obligentur: ubi de repreſſaliis.

I. *Id quod in bello ex jure gentium licet, an ad omne bellum pertineat, & ad omnes belli ſpecies.*
II. *Quid hic ſit violenta executio.*
III. *Quotuplex ſit.*
IV. *Quid ſit hominum prehenſio.*
V. *Quid ſint repreſſaliæ.*
VI. *Quid ad eas requiratur.*
VII. *Quando juſtitia dicatur negata, vel malitioſe protracta.*
VIII. *An & cur repreſſaliæ tantùm locum habeant, ubi nullum aliud ſupereſt remedium.*
IX. *An juſte quis ita ex facto alieno teneatur.*
X. *Quænam in tali caſu capiantur.*
XI. *An & vita ſubditorum ex tali cauſa obligari poſſit.*
XII. *Quales ſubditi & quorum bona capi poſſint.*
XIII. *An legati & eorum bona.*
XIV. *Quis concedat repreſſalias: an & quomodo repreſſaliæ à pignorationibus differant.*
XV. *Quis ſit effectus repreſſaliarum.*
XVI. *Ad quid teneantur iſti qui vel non ſolvendo quod debebant, vel jus non reddendo, cauſam dederunt repreſſaliis, & qua actione conveniantur.*

I. *Id*

I. *Id quod in bello licet jure gentium, ad quodnam bellum pertinet?*

℞. Id quod licet in bello, vel pertinet ad quodvis bellum, vel ad certam belli ſpeciem; ad quam referuntur violentæ executiones. *Grot. l. 3. c. 2. §. 1. in pr.*

II. *Quid hîc eſt violenta executio?*

℞. Violenta executio hic eſt, quando ob denegatam populo, vel malitioſe protractam juſtitiam, alius populus vi quidem, ſed non bellica aperta, ſibi ipſi jus reddit. *Grot. l. 3. c. 2. §. 5. n. 1. in pr.*

III. *Quotuplex eſt?*

℞. Eſt duplex: hominum prehenſio, & repreſſaliæ. *Grot. d. c. 2. §. 3. & 4.*

IV. *Quid eſt hominum prehenſio?*

℞. Hominum prehenſio eſt jus capiendi homines aliquos ex civitate aliqua, propter v. g. homicidam nec deditum, nec punitum; & apud Græcos vocabatur androlepſia. *Hahn. de repreſſ. memb. 3. aliter. Grot. d. c. 2. §. 3. n. 4.*

V. *Quid ſunt repreſſaliæ?*

℞. Repreſſaliæ ſunt remedium extraordinarium, quo ob denegatam, vel malitioſe protractam juſtitiam, à magiſtratu alterius reip., in re non modica, & cauſa liquida, læſi magiſtratus, ſi ejus præcedens monitum alter magiſtratus negligat, detinet iſtius loci civem quemlibet, ſeu res, uſquedum læſo *Grot. d. c. 2. §. 4. & 5. n. 1. & c. 3. §. 6. n. 2. Str. Ex. 9. th. 8. Hahn. de rep. memb. 2. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 34 §. 6.*

ſo ab altero magiſtratu ſatisfiat.

VI. *Quænam requiruntur, ut repreſſaliæ concedi poſſint?*

Grot. d. c. 2. §. 4. Inſt. Jur. publ. p. 314.

℞. Requiſita ex definitione facile colligi poſſunt; primarium eſt, ut juſtitia ſit denegata, vel malitioſe protracta, & ut nullum aliud detur remedium.

VII. *Quando juſtitia dicitur denegata, vel malitioſe protracta?*

Grot. d. c. 2. §. 2. n. 1. in fin. §. 5. n. 1. Blum. ad proceſſ. Cameral. tit. 37. n. 2. Ziegl. d. l. 1. c. 34. §. 10. & ſeqq.

℞. Juſtitia dicitur denegari, ſi judex preces ſupplicantis vel plane audire nolit, ſed eum, limen judicii adeuntem, vel litem proſequentem, apertè repellat, vel ſi aliquem injuſte condemnet, & ſententiam latam non velit revocare, nec læſum ſiſtere indemnem. Protrahi autem dicitur juſtitia, quando intra præfixum tempus, in loco judicii, (ſolennia enim, in judicio recepta, etiam à peregrinis obſervari debent) judex aut non inchoat litem, aut non finit, ſed ſe malitioſe negligentem in cognoſcendo vel exequendo præbet.

VIII. *Cur dicitur, & nullum aliud ſuperſit remedium?*

Grot. l. 3. c. 3. §. 6. n. 2. Hahn. d. l. Limn. l. 4. J. P. c. 8. n. 311. & ſeqq.

℞. Quia quamdiu datur remedium ordinarium, non pervenitur ad extraordinarium, imprimis violentum hoc, quod continet ſpeciem belli. Hinc

non

non datur, ſi poſſit ſuum quis conſequi per compenſationem; item ſi ſubalternus magiſtratus juſtitiam vel denegaverit, vel protraxerit, interdum reviſio petenda, interdum ſupplicatio adhibenda. Imò, magiſtratus ſive princeps, cui juſtitia eſt denegata, debet petitionis ſuæ fundamenta tranſmittere, & per legatos aut amicos, ſive intermedios alios, petere ſatisfactionem: & ſi tunc, his omnibus adhibitis, nihil obtineat, quia alter conſtituitur in culpa, ex qua aut damnum dare cenſetur, aut & ipſe delinquere, ſicut juſtum poteſt geri bellum, ita & repreſſaliæ juſtæ erunt.

IX. *At verò eſt injuſtum ex facto alieno teneri?*

℞. Verum eſt, quod jure naturæ nemo tenetur ex facto alieno, niſi qui bonorum ſucceſſor eſt; ut enim cum oneribus bona tranſirent, ſimul cum dominiis rerum introductum eſt. At verò hîc intervenit factum proprium, non quidem immediate, ſed mediate; unuſquiſque enim, qui in aliquam ſocietatem civilem intrat, tanquam membrum ſe tacite obligat & corpore & bonis, pro factis iſtius civitatis: & juri naturali conveniens eſt, ut conſenſu

Grot. l. 3. c. 2. §. 1. l. 2. c. 21. §. 19.

Grot. l. 2. c. 2. §. 2. c. 14. §. 1. n. 2. & §. 12.

ſuo

ſuo ex facto alieno quis obligari poſſit, exemplo fidejuſſorum. Accedit neceſſitas & utilitas mutua inter gentes, quæ hoc jus extorſit; nam alias magna daretur injuriis faciendis licentia: cum enim magiſtratus illius, qui mihi obligatus eſt, juſtitiam deneget, facit, ut modo extraordinario meus magiſtratus mihi jus dicere debeat. Et licet forte hoc remedio nunc aliquis gravetur, alio tempore tamen & ipſe per idem ſublevari poteſt: nam caſu exiſtente, talis reſp. contra nos eodem jure utitur. Præterea iſti, qui vel ipſi, vel quorum res detinentur, facilè ſuæ indemnitati per ſuum magiſtratum conſulere poſſunt: nam ubique ferè locorum major habetur ratio civium, quam exterorum, qui plerumque rudiùs & duriùs excipiuntur.

Grot. l. 3. c. 2. §. 2. n. 1. & 2. Habn. de repreſſ. membr. 6. Puf. l. 8. c. 6. §. 13. Ziegl. d. l. 1. c. 34. §. 29.

X. *Quænam in tali caſu capiuntur?*

℞. Aut corpora, aut res mobiles ſubditorum ejus, qui jus non reddit, capiuntur. Corpora ſeu perſonæ tunc, ſi etiam noſtri ſubditi apud iſtos, contra quos utimur repreſſaliis, detineantur: bona autem, ſi circa bona ſubditorum noſtrorum iniquitas ſit commiſſa. Licet & hoc in caſu, ſi bona haberi non poſſint, rectè videantur perſonæ

Grot. l. 3. c. 2. § 5. n. 2. Ziegl de jur. maj. l. 1. c. 34. §. 17.

ſonæ detineri, uſquedum juſtitia adminiſtretur.

XI. *An & vita ſubditorum ex tali cauſa poteſt obligari?*

℞. Creditum hoc fuit apud aliquos populos, ideò nimirum, quod crederent, unicuique hominum jus plenum eſſe in ſe, idemque jus ad remp. poſſe transferri: quod minime eſt probabile, ut ſuprà diximus. Fieri tamen poterit, non ex intentione, ſed ex accidenti, ut occidantur, qui juris executionem, fortè capere ſe aut bona volentibus reſiſtendo, per vim volunt impedire. *Grot. d. c. 2. §. 6. & l. 2. c. 21. §. 11. n. 2.* *Ant. Matth. de crim. tit. de ſicar. c. 2. n. 10.*

XII. *Quales ſubditi capi poſſunt, & quorum bona?*

℞. Diſtinguenda omninò ſunt ea, quæ juris gentium ſunt proprie, & ea, quæ jure civili aut pactis populorum conſtituuntur. Jure gentium capi poſſunt ii qui tales ſunt ex cauſa permanente, ſive indigenæ, ſive advenæ: non qui tranſeundi, aut moræ exiguæ cauſa alicubi ſunt. Introductæ enim ſunt pignorationes ad exemplum onerum, quæ pro exſolvendis debitis publicis indicuntur, quorum immunes ſunt ii qui tantùm pro tempore loci legibus ſubſunt. At jure civili populorum *Grot. l. 3. c. 2. §. 7. n. 2. Hahn. de repreſſ. membr. 12.*

rum ſæpè excipi ſolent perſonæ mulierum & infantium, ut & res eorum, qui literis operam dant.

XIII. *Quid dicendum de legatis?*

Grot. d. c. 2. §. 7. n. 2. in fin. Ziegl d. l. 1. c. 34. §. 16. Rutg. Rulant. l. 7. c. 9. aliter.

℞. A numero eorum, qui capi poſſunt, eximuntur Legati & eorum bona, quia aliàs legationis finis impediri facilè poſſet. Huc non videntur referri poſſe Commiſſarii, ſicuti nec tabellarii, apparitores, nuncii & ſimiles; hi enim inter alias gentes hoc privilegio non gaudent.

XIV. *Quiſnam concedit repreſſalias?*

Habn. d. tr. memb. 7. Inſt. Jur. publ. p. 313. in fin. Grot. l. 3. c. 2. §. 7. n. 3. aliter. & Kulpis ibi. Schutz. vol. 2. Ex. 5. th. 2. Roding. in Pand. Camer. 1. tit. 10.

℞. Is, cui competit jus belli, ideoque hoc judicandum eſt ex cujuſque gentis legibus fundamentalibus. Et in hoc etiam repreſſaliæ differunt à prehenſione hominum, quæ apud Græcos in uſu fuit, & à pignorationibus proprie ſic dictis. Quamvis enim in genere repreſſaliæ poſſint comprehendi ſub pignorationibus, ſtrictè tamen conſideratæ repreſſaliæ pignorationes non ſunt. Nam (1.) pignorationes poſſunt fieri propria auctoritate, ſecùs quàm repreſſaliæ. (2.) Pignorationes locum habent inter concives, quoties alter alterum turbat in re ſua, aut in quaſi poſſeſſione ſui juris, quod ad ſe pertinere putat; repreſſaliæ non item.

XV.

XV. *Quis eſt effectus repreſſaliarum?*

℞. Perſonæ captæ non perinde habendæ ſunt, atque ſi in bello captæ eſſent, nec etiam ſervi noſtri per talem apprehenſionem fiunt; cum nec hoſtes quidem illicò ſint, adverſus quos repreſſaliæ exercentur. Quocirca pœna corporali affici non poſſunt, vel corporis cruciatu, ſed tamdiu tantùm detineri, uſquedum vel ipſi, vel ipſorum amici, ſatisfactionem impetraverint: aut ſi planè impetrari non poſſit, videntur habendi eſſe inſtar obſidum. In rebus captis creditor conſequitur jus retentionis, & hinc confici debet rerum captarum inventarium, eæque diligenter ſunt cuſtodiendæ; ſi poſt aliquod tempus creditori nec per judicem, nec per debitorem ſatisfiat, tunc res captæ creditori vel in ſolutum dari, vel juſto pretio vendi poſſunt, & ſolutio fieri, deductiſque impenſis, pretium quod ſupereſt, iſti erit reſtituendum, cujus bona capta ſunt.

Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 34. §. 25. & 28.

Ziegl. d. l. §. 27. Grot. l. 3. c. 2. §. 7. n. 3. in med. aliter. Grot. d. c. 2. §. 7. n. 2. in med.

XVI. *An iſti, qui ita pro alio captus fuit, aut ejus bona, datur recurſus adverſus debitorem vel civitatem?*

℞. Iſte qui cauſam dedit pignoratio-

Grot. l. 3. c. 2. § 7. n. 4. Ziegl. in comment. h. c. §. ult. & d. tr. §. 39. & ſeqq.

tioni, naturali jure tenetur ad reſarcienda damna alii, cui eam ob cauſam aliquid decedit. Quanam autem actione hoc peti poſſit, inter ſe non conveniunt Doctores; nos condictionem ex æquitate concedendam putamus, ex qua illa oritur.

CAPUT III.

De bello juſto ſive ſolenni jure gentium, ubi de indictione.

I. *Quale bellum hîc dicatur juſtum.*
II. *Quid hîc ſit hoſtis, & an requiratur, ut habeat ſummum imperium.*
III. *Quinam ſummum imperium habeant: an populi, quamvis injuſte agentes: an latrones: an iſti, qui pro parte illud habent: an inæqualiter fœderati.*
IV. *An præter ſummum imperium, ad bellum ſolenne requiratur denunciatio.*
V. *An hæc in omni bello requiratur.*
VI. *Quid ſit belli indictio.*
VII. *Quotuplex.*
VIII. *An bellum utrinque ſit indicendum.*
IX. *An ſimulatque indictum eſt, geri poſſit.*
X. *An bellum principi indictum, etiam ejus ſubditis & ſociis cenſeatur indictum. An hi, ob ſuppeditata auxilia, eo bello finito, citra novam indictionem, impeti poſſint.*
XI. *Cur gentes ad bellum juſtum denunciationem requirant.*
XII. *An bellum ei ſit indicendum, qui jus legationis violavit.*

I. *Quodnam bellum hîc juſtum dicitur?*

Grot. l. 3. c. 3. §. 1.

JUſtum bellum hîc dicitur, quod eſt ſolenne, & geritur ab eo, qui majeſtatem habet, præcedente de-

denunciatione: poſt quam is *hoſtis* dicitur.

II. *Quis & hoſtis?*

℞. Hoſtis hîc eſt, qui habet ſummum imperium, & bellum publice alicui decrevit. *d. c. 3. §. 1. n. 1. Puf. l. 8. c. 6. §. 9. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 25. & in comment. h. c. §. 1.*

III. *Quid intelligimus per eos, qui habent ſummum imperium?*

℞. Omnes qui remp. habent, quamvis admittant aliquod injuſtum, etiam communiter: licet enim delicta committant, tamen juris fruendi cauſa ſociati ſunt, & exteris jus reddunt, ſi non per omnia ſecundum jus naturæ, (quod multos apud populos ex parte quaſi obliteratum eſt) certè ſecundum pacta cum ipſis inita, aut ſecundum mores. Corpus morbidum corpus tamen eſt, & civitas, quanquam graviter ægrota, civitas dicitur, quamdiu manent leges, judicia, & quæ alia neceſſaria ſunt, ut ibi exteri jus conſequi poſſint, non minùs, quàm privati inter ſe. Cœtus autem piratarum aut latronum civitas non eſt, quia criminis cauſa ſociantur: hinc, licet tanquam milites atque imperatores ſe gerant, non pro hoſtibus habendi ſunt; niſi fortè mutatio incidat, non in ſingulis tantum, velut quando ex prædone dux *Grot. d. c. 3. §. 2. n. 1. & 2.* *Grot. d. c. 3. §. 3. Rhet. de pace c. 2. §. 11.*

juſtus ſit, ſed etiam in cœtibus, ut qui prædones tantùm fuerunt, aliud vitæ genus amplexi civitas fiant. Etiam iſti habent ſummum imperium, qui illud pro parte habent, & pro ea parte juſtum bellum gerunt; item ii, qui inæquali fœdere juncti ſunt.

d.c.3.§.4. & l.1.c.4. §.13.& 21.

IV. *Quid, præter ſummum imperium, requiritur ad bellum ſolenne?*

Grot. d. c. 3. §. 5.

℞. Requiritur, ut publice decretum ſit, ita ut ejus ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit; unde promulgata prælia dicuntur.

V. *An in omni bello requiritur denunciatio?*

d.c.3.§ 6. n. 1. in pr. Hugo de Roy de eo quod juſt. l. 1. tit. 7. n. 3. Rhet. de pace c. 2. §. 9. Schutz. vol. 2. Ex. 10. th. 6. lit. a.

℞. In bello defenſivo, & ubi vis illata arcetur, non requiritur denunciatio, quia tale bellum à natura cenſetur indictum; vim enim vi repellere naturaliter licet. In bello offenſivo, etiam quando dominus rei ſuæ manum injicere vult, requiritur, ut poſt denunciationem conſtare poſſit, an alter ipſe, & ſine vi, ſatisfacere velit, nec ne. Sic, quoties pro re una res alia, multôque magis, ſi res eorum qui debitori ſubditi ſunt, occupare, vel ſummam poteſtatem habentem impetere, ex debito aut delicto ſubditi, quis velit, interpellationem oportet intercedere,

quæ

quæ illum in culpa conſtituat.

VI. *Quid eſt belli indictio?*

℞. Belli indictio eſt actus, quo ejus, quem bello invadere decrevimus, amicitiæ & ſocietati renunciamus, ipſumque nihil ſibi niſi hoſtile à nobis expectandum, certiorem reddimus.

VII. *Quotuplex eſt belli indictio?*

℞. Alia (1.) eſt conditionata, quæ cum rerum repetitione conjungitur, e. g. eam ſe injuriam, niſi ab ipſis qui fecerint, dematur, ſe ipſum omni vi depulſurum eſſe. Nec neceſſe eſt, ut hanc conditionatam pura ſubſequatur, licet aliquando fiat ex ſuperabundanti. Alia (2.) pura, quæ denunciatio in ſpecie *indictio* vocari ſolet, & eſt, qua ſimpliciter alterius amicitiæ & ſocietati renunciamus, eumque hoſtem noſtrum declaramus. Hoc plerumque fit, ubi bellum jam alter intulit, ſæpe etiam ubi quis ipſe ea deliquit, quæ bellum merentur.

Grot. d. c. 3. §. 7.

VIII. *An requiritur, ut utrinque bellum indicatur?*

℞. Sufficit, eam fieri ab altera partium: licet ſæpè utrinque indici ſoleat, ut de animo & jure noſtro reliqui fiant certiores. Et hoc fine in regni vel provinciæ limitibus, & aliis con-

Grot. d. c. 3. §. 7. n. 3. Schütz. d. Ex. 10. th. 6. lit. b.

ſuetis locis, ad tubarum clangorem, bellum proclamatur & publicatur, *Wird mit Ausblaſung der trompetten und öffentlicher Ausruffung an gewöhnlichen orthen angekündigt.* Qui modus promulgandi ex moribus populorum varius eſt, & non ex jure gentium.

Grot. d. c. 3. §. 8.

IX. *An bellum geri poteſt, ſimul atque indictum?*

℞. Non, ſed concedi debet tantum temporis ſpatium, quantum requiritur ad deliberationem & inde concipiendàm reſponſionem, an ſpontè alter ſatisfacere, an verò belli eventum expectare velit; ſicut in judiciis citato datur tempus ad deliberandum, an contendere, an concedere velit: & ſi contendere velit, ut inſtructus veniat ad reſpondendum.

Bellin. de re milit. part. 1. tit. 8 n. 8. Ziegl. h. c. §. 13. Text. c. 17. §. 32. Grot. l. 3. c. 3. §. 8. in fin. & §. 13. aliter.

X. *Quando bellum eſt indictum, cui cenſetur eſſe indictum?*

℞. Indictum bellum ei, qui imperium in populo ſummum habet, ſimul indictum cenſetur omnibus ejus, non ſubditis tantùm, ſed & qui ſe ſocios ei adjuncturi ſunt, ut qui acceſſio ſunt ipſius, & hoc eſt, quod ajunt *diffidato principe, diffidatos ejus adhærentes.* At eo bello abſoluto, ſi ob auxilia ſuppe-

Grot. d. c. 3. §. 9. & 10.

peditata populus aut rex alter bello impetendi ſint, nova opus erit indictione, quia novum eſt bellum, & jam non ut acceſſio ſpectatur, ſed ut principale aliquod.

XI. *Cur gentes ad bellum juſtum denunciationem requirunt?*

℞. Ut adhuc ultima vice alter de ſatisfactione moneatur, & ſi non ſatisfaciat, ut bellum certum expectet.

Ziegl. h.c. §. 11. Feld. ad Grot. h. c. §. 11. & Kulpis. cum ipſo aliter.

XII. *Si jus legationum ſit violatum, an opus eſt denunciatione?*

℞. Affirmatur, non enim neceſſariò denunciatio fit per legatos; nam ad violatores legatorum contemtoreſque juris eorum ſanctiſſimi, legati non mittuntur, ſed per literas & aliis modis, quibus id tutò fieri poteſt.

Grot. d. c. 1. §. 14. Alber. Gent. l. 2. c. 1. p. 212. aliter.

CAPUT IV.

De jure interficiendi hoſtes in bello ſolenni, & alia vi in corpus.

CAPUT X.

Monita de his, quæ fiunt in bello injuſto.

CAPUT XI.

Temperamentum circa jus interficiendi in bello juſto.

I. *Quinam ſint belli effectus.*
II. *Vox licere quot modis ſumatur.*
III. *Quomodo hoſtem lædere liceat.*
IV. *Cur gentibus placuerit, ut ex utraque parte, & ſine ullo reſpectu ad cauſæ juſtitiam, hoſtem lædere liceat.*
V. *Quinam ſub hac licentia lædendi comprehendantur.*
VI. *An hoſtium vere ſubditi ubique occidi poſſint.*
VII. *An captivi & ſuppli ces juſte, propter talionem, occidantur.*
VIII. *An propter pertinax ſtudium in partes, & ob ſtrenuam defenſionem.*
IX. *An liceat hoſtem veneno tollere.*
X. *An aquas corrumpere, ut bibi nequeant.*
XI. *An hoſtem immiſſo percuſſore interficere liceat.*
XII. *Cur tales percuſſores deprehenſi exquiſitis ſuppliciis affici ſoleant.*
XIII. *An ſtupra & adulteria in fœminas hoſtiles ſint permiſſa.*
XIV. *An effectus belli, ſolennis quidem, ſed injuſti, juſtitia intrinſeca juſti eſſe poſſint.*
XV. *Quinam hinc ad reſtitutionem teneantur.*
XVI *An in bello juſto ratione cauſæ ſuæ, omnes, de quibus jure gentium id licet, & de quibus agitur quæſt. 5. juſte occidi poſſint.*
XVII. *Quibus ergò juſtè parcatur ex temperamento juris naturæ.*

I. *Quinam ſunt belli effectus?*

Grot. l. 3. c. 4. §. 3.

℞. Ut liceat hoſtem lædere, & in perſona, & in rebus.

II. *Quid hoc eſt, licet?*

d. c. 4. §. 2. n. 1. & 2. l. 1. c. 1. §. 3. 9. & 17. & ibid. Boecl.

℞. Licere interdum dicitur id, quod rectum & ex omni parte pium eſt, ut amare Deum & proximum: interdum licere aliquod dicitur, non quod ſalva pietate & officiorum regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubjacet. Sic apud multos populos ſcortati licet; ſic regibus dicuntur o-

mnia

mnia licere, quia ſunt exemti à pœnis humanis.

III. *Quomodo ergò licet lædere hoſtem?*

℞. Hoſti hoſtem licet lædere in perſona & rebus, i. e. non ei tantum, qui ex juſta cauſa bellum gerit, quique lædit intra eum modum, qui naturaliter conceſſus eſt; ſed ex utraque parte & indiſtinctè, ita ut eam ob cauſam nec puniri poſſit, in alieno territorio deprehenſus, tanquam homicida, aut fur, nec bellum ipſi ab alio, talis facti nomine, inferri. *d. c. 4. §. 3.*

IV. *Quæ eſt cauſa, cur hoc gentibus ita placuerit?*

℞. Quia inter duos populos de jure belli pronunciare velle, periculoſum fuerat aliis populis, qui ea ratione bello alieno implicarentur. Deinde, quia etiam in bello juſto vix ſatis cognoſci poteſt ex indiciis externis, quis juſtus ſit ſe tuendi & ſua recupererandi modus, ita ut omnino præſtiterit hæc religioni bellantium exigenda relinquere, quam ad aliena arbitria vocare. *Grot. d. c. 4. §. 4. Puf. l. 3. c. 1. §. 7. in med.*

V. *Qui comprehenduntur ſub hac licentia lædendi?*

℞. Omnes, qui intra præſidia hoſtium ſunt, non tantum qui actu ipſo *d. c. 4. §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14.*

arma gerunt, aut qui bellum moventis ſubditi ſunt, ſed etiam peregrini, qui ante bellum eò iverunt, & poſt modicum tempus, intra quod diſcedere potuerant, ibi manſerunt, & qui, commiſſo cognitoque bello, intra fines hoſticos veniunt. Referuntur huc infantes, fœminæ, ſenes, captivi quibus vita non eſt promiſſa, ſupplices, dediti ſine conditione, obſides; in omnes hos competit poteſtas occidendi, quamdiu injuria ipſis non eſt remiſſa.

Puf. l. 8. c. 2. §. 6.

VI. *Quo in loco ſubditi hoſtium poſſunt occidi?*

℞. Qui ſunt ſubditi ex cauſa permanente, eos offendere ubique locorum licet, in ſolo proprio, in ſolo hoſtili, in ſolo nullius, in mari. In territorio autem pacato eos interficere non licet, propter jus ejus, qui ibi imperium habet, & quod hoc modo violaretur.

Grot. d. c. 4. §. 8. n. 2. Boecl. in diſſ. Quies in turb. p. 210.

VII. *An cauſa interfectorum captivorum, aut ſupplicum, referri poteſt ad talionem?*

℞. Non, quia talio proprie exercenda eſt in eandem perſonam, quæ deliquit. Contra vero ex bello plerumque id, quod talio dicitur, in malum redundat eorum, quorum in eo, ob quod accuſantur, nulla eſt culpa, quales

Grot. d. c. 4. §. 13. & ibi Ziegl.

les ſæpe ſunt captivi & ſupplices.

VIII. *An propter pertinax ſtudium in partes, & ob ſtrenuam defenſionem, quis occidi poſteà poteſt, quando captus eſt?*

℞. Nemo eſt, qui talem ſupplicio dignum judicet, maxime cum partes illæ aut à natura aſſignatæ ſunt, ut inter imperantes & parentes, aut honeſta ratione electæ, ut qui aliis auxilium ferunt in juſto bello. Imò, tantum abeſt, ut in eo crimen ſit, ut pro crimine habeatur, ſi quis præſidio intempeſtivè deceſſerit: interim tamen, ut hoſtes occidi impune poſſunt.

d. c. 4. §. 13. n. 2. & c. 11. §. 16. Obrecht. de rat. bell. c. 2. §. 8. Kulpis. b. c. §. 6. in med.

IX. *An licet hoſtem tollere veneno?*

℞. Jure naturæ licet: nam quem interficere licet, eum gladio, an veneno interimas, nihil intereſt; licet generoſius ſit, ita occidere, ut is qui occiditur, ſui defendendi habeat copiam; quod tamen huic non debetur, qui mori meruit. Jure autem gentium, quia communis eſt neceſſitas, ne pericula in bellis nimium intendantur, hoc non videtur eſſe permiſſum. Et credibile eſt, à regibus id eſſe profectum, quorum vita, quæ ab armis ante alios defenditur, à veneno minus,

Grot d. c. 4. §. 16. Alb. Gent. l. 2. c. 6. p. 250. Oſiand. b. c. §. 16. aliter. jung. Zentgraf. diſſ. de armis in bello prohibitis.

quam aliorum tuta eſſet, niſi defendantur ii juris aliqua religione & metu infamiæ. Sic & videtur eſſe contra jus gentium, ſpicula, fontes, & aquas veneno inficere; quæ talia prohibuerunt, ut minuantur pericula in bello.

X. *Sed an licet aquas corrumpere, ut bibi nequeant?*

Grot. d.c. 4. § 17. Alber. Gent. aliter. p. 256.

℞. Affirmatur, id enim perinde habetur, ac ſi flumen avertatur, aut fontis venæ intercipiantur.

XI. *Licetne hoſtem interficere immiſſo percuſſore?*

Grot. d.c. 4. §. 18 jung. c. 1. §. 21. & ivi not. Alber. Gent. p. 275. junge tamen Puf. l. 8. c. 6. §. 18.

℞. Per eos, qui fidem expreſſam vel tacitam violant, ut ſunt ſubditi, vaſſali, milites, recepti ut ſupplices, advenæ, transfugæ, id non videtur permiſſum, ne nimium intendantur pericula eorum, qui maxime eminent. Per alios verò id videtur licere: nimirum hoſtem occidere ubivis licet; nec refert, quot ſint, qui faciant.

XII. *At tales percuſſores deprehenſi exquiſitis ſuppliciis affici ſolent?*

Grot. d. c. 4. §. 18. n. 3.

℞. Hoc non ideo venit, quod in jus gentium deliquerint: ſed quia eodem jure in hoſtem quidvis licet: gravius autem aut levius malum ſtatuit quiſque, pro ſua utilitate. Nam ſic & explo-

Grot. d. c. 4. §. 19.

ploratores deprehenſi peſſime tractari ſolent: quos tamen mittere jure gentium haud dubie licet. *Alb. Gent. p. 421. Kulpis. b. c. §. 7. in fin.*

XIII. *An ſtupra & adulteria in bello ſunt permiſſa?*

℞. Non, quia per denunciationem belli renunciavimus tantum iſtis juribus, quæ ad ſecuritatem noſtram faciunt; & hoſtis noſter habet tantum jus ad ea media, quæ ad bellum gerendum, & ad finem in eo obtinendum ſunt neceſſaria: qualia non ſunt ſtupra & adulteria, ſed tantum ſunt actus efferatæ libidinis, qui non minus in bello, quam in pace puniendi ſunt. *Oſiand. ad Grot. b. c. §. 19.*

XIV. *Si belli cauſa ſit injuſta, bellum autem ſolenniter ſit ſuſceptum, an effectus belli juſtitiâ intrinſecâ juſti eſſe poſſunt?*

℞. Si belli cauſa injuſta ſit, etiamſi bellum ſolenni modo ſit ſuſceptum, injuſti ſunt (internâ injuſtitiâ) omnes actus, qui inde naſcuntur: ita ut qui ſcientes tales actus operantur, habendi ſint in eorum numero, qui ad regnum cœleſte ſine pœnitentia pervenire non poſſunt. Vera autem pœnitentia, ſi tempus & copia ſuppetat, omninò requirit, ut is, qui damnum dedit, ſive interficiendo, ſive res corrumpendo, *Grot. l. 3. c. 10. §. 3. Oſiand. b. c. §. 3.*

ſive

l. 2. c. 17. §. 13. & 14. ſive prædas agendo, id ipſum reſarciat ipſis, quorum intereſt.

XV. *Quinam ergò ſunt iſti, qui hæc reſarcire debent?*

d. c. 10. §. 4. l. 2. c. 21. §. 4. & 7. l. 3. c. 1. §. 3. ℞. Ad reſtitutionem tenentur belli auctores, ſive poteſtatis jure, ſive conſilio damnum dederint, etiamſi inſolitum ſit damnum; dummodò bellum ſequatur, ſi etiam tale quid juſſerint aut ſuaſerint, quod impedire potuerunt & non impediverunt. l. 2. c. 17. §. 11. Sic duces tenentur de his, quæ ſuo ductu facta ſunt: & milites in ſolidum omnes, qui ad actum aliquem communem & individuum, puta urbis incendium, concurrerunt; in actibus autem dividuis quisque pro eo damno tenetur, cujus ipſe cauſa unica, aut certe inter cauſas fuit. Referuntur etiam huc iſti, qui aliis operam navarunt, & in culpa ſunt. Item, qui rem bello injuſto Grot. l. 3. c. 10. § 6. l. 2. c. 10. §. 9. captam penes ſe habent, tenentur dominis eam reſtituere, ut tamen, ſi quid ſumtus aut operæ impenderint, deducere tantum poſſint, quantum domino valebat adipiſci deſperatam poſſeſſionem, & ſi rem emerint, pretium reſtituendum. Sin autem rei poſſeſſor culpæ exſors eam conſumſerit, aut alienaverit, non tenebitur, niſi in quantum

tum cenſeri poteſt locupletior factus.

XVI. *Si bellum ſit juſtum ratione cauſæ ſuæ, an omnes juſtitiâ internâ occidi poſſunt, quos enarravimus?*

℞. Non, juſtè ſeu ex juſtitia interna nemo interfici poteſt, niſi aut in pœnam juſtam, aut quatenus abſque eo vitam & res noſtras tueri non poſſumus; licet interdum accidat, ut citra propoſitum noſtrum etiam innocentem occidamus. *Grot. c. 11. §. 2.*

XVII. *Quid ergò dicendum de infantibus, fœminis, ſenibus &c?*

℞. Ex rigore belli, quia ſunt partes iſtius corporis ſeu civitatis, cui bellum indiximus, occidi poſſunt; ſed ex temperamento juris naturæ, quod reſpicit circumſtantias, & an vita noſtra & res ab iis non ſint tutæ, non poſſunt. Infantes quidem excuſat ætas, fœminas ſexus, niſi virilia & arma tractent, aut aliàs in bello juvent; ſenes defectus virium, niſi conſilio vel aliàs noceant; ſacerdotes, item eos, qui literis operam dant, vitæ genus, niſi & hi ſervitia militaria præſtent. Item agricolæ, mercatores, opifices, artifices, modò ad bellum nihil contribuant, ſive negotiando in rebus ad militiam per- *Grot. c. 11. §. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. & 18. Ziegl. b. c. & Feld. Alb. Gent. l. 2. c. 21. & 22. Seld. l. 6. c. 15. in fin.*

pertinentibus, ſive arma fabricando, pulverem pyrium &c. faciendo. Captivis parcendum, quia arma poſuerunt, item deditis ſine conditione, ita ut nec talio, nec pertinax ſtudium ſufficiens ſit cauſa eos occidendi, niſi forte ſævitia hoſtis in captivos exerceri ſolita, aliter non poſſit coërceri, quàm ſimili ſævitia. Sic & obſides non ſunt occidendi, niſi & ipſi aliquid commiſerint morte dignum. Adde tandem omnes commiſſiones, quæ ad jus conſequendum, aut ad bellum finiendum nullius ſunt uſus, ſed meram habent virium oſtentationem propoſitam, & cum officio Chriſtiani hominis, ipſaque cum humanitate pugnant.

CAPUT V.

De rebus vaſtandis eripiendiſque.

CAPUT XII.

Temperamentum circa vaſtationem, & ſimilia.

I. *An res hoſtium corrumpi & rapi poſſint.*

II. *An etiam res ſacrae.*

III. *An hæ ſint in Chriſti patrimonio.*

IV. *Quid, ſi quis ex errore credat, ſimulacro numen aliquod ineſſe, an illud jure belli violare poſſit.*

V. *An res religioſae violari poſſint.*

VI. *An res hoſtiles vi tantum eripi poſſint, an etiam dolo.*

VII. *An citra modum rapi aut corrumpi poſſint.*

VIII. *Quid, ſi populatio he-*

hoſtem brevi ad pacem faciendam adigat.
IX. *Quae res non videantur vaſtandae.*
X. *Quae rationes & utilitates, praeter aequitatem & humanitatem, moderationem ſuadeant.*

I. *Poſſumuſne res hoſtium vaſtare, easque iis eripere?*

℞. Affirmatur; nam contra naturam non eſt, ſpoliare eum, quem honeſtum eſt necare: & jure belli eripi aut corrumpi poſſunt munitiones hoſtium, portus, urbes, viri, naves, fructus, & ſi qua ſunt ſimilia. *Grot. l. 3. c. 5. §. 1. Puf. l. 8. c. 6. §. 18. in fin. Oſiand. h. c. Obſ. 1.*

II. *An & res ſacrae?*

℞. Quia res ſacrae ſunt ejus, qui ſummum imperium in populo obtinet, meritò & hae res cedunt victori. *d. c. 5. §. 2. n. 1.*

III. *At res ſacrae ſunt in Chriſti patrimonio?*

℞. Chriſti patrimonium non eſt de hoc mundo; hinc cum ſacra ſint publica, quando populus alteri populo aut regi ſe dedit, tum etiam ea dedit, quae divina dicuntur, juxta illud:

deduntque ſe, divina humanaque omnia.

Et ideò jus publicum in ſacris conſiſtere dicitur: & populus ipſe, mutata voluntate, propter utilitatem & neceſſitatem publicam, ex ſacro profanum poteſt facere: certo indicio, haec bo- *Grot. d. c. 5. §. 2. n. 1. & 2. Conring. ad B. Innocent. X. c. 6. Maurit. de ſecularis. bon. eccles. c. 5. Kulpis h. c. §. 1. in fin. Oſiand. h. c. §. 2. cum pluribus aliis, aliter.*

Grot. d. c. 5. §. 2. n. 4. Oſiand. ibi & Ziegl. Nov. 37. Zepper. de Polit. Ecclеſ. l. 2. c. 26. & de leg. Moſaic. l. 4. c. 10. Hortled. de cauſ. bell. Germ. tom. 1. l. 5 & 6.

bona quidem ex privatorum dominio & poteſtate exiviſſe, & ſacra dici à fine, cui deſtinata ſunt, non autem ex illo, quod ſummæ poteſtati in omnia reip. bona competit, & dominium eminens vocatur. Propter quod etiam procedunt ab imperantibus conſtitutiones de ſacris rebus non alienandis vel oppignorandis, niſi certis in caſibus.

IV. *Quid ſi quis ex errore credat, in ſimulacro numen aliquod ineſſe?*

Ibidem.

℞. Id violari aut corrumpi, nefas eſt ab iis, qui in ea perſuaſione conveniunt, ex talis opinionis poſitione, ſeu quia conſcientia erronea obligat æquè ac recta. Aliud eſt, ſi hoſtes non idem ſentiant; ab his enim recte talia ſimulacra ſeu idola abolentur, & bona ſacra, in cultum idololatricum deſtinata, in alios pios uſus & verum cultum convertuntur.

V. *Quid dicendum de rebus religioſis?*

Grot. d. c. 5. §. 3.

℞. Idem & de religioſis intelligi debet. Nam hæc quoque non mortuorum ſunt, ſed viventium, ſive populi alicujus, ſive familiæ. Quare ſicut ſacra loca ab hoſtibus capta, ita & religioſa talia eſſe deſinunt: dummodo ipſa mortuorum corpora non male tractentur, quia id contra jus eſt hominum ſepeliendorum.

l. 2. c. 19. §. 2. & 6.

VI.

VI. *An res hoſtium tantùm vi poſſunt eripi, an etiam dolo?* Grot. d. c. 5. §. 4.

℞. Non vi ſola res hoſtium hoſtibus eripi poſſunt, ſed & doli, qui perfidia carent, permiſſi cenſentur.

VII. *An citra modum res hoſtium poſſunt corrumpi, aut iis eripi?* Grot. l. 3. c. 12. §. 1. Franciſ. à Vict. de jure bel. n. 56.

℞. Non, ſed deſiſtendum eſt, vel quando id acquiſivimus, quod par eſt illi, quod nobis debetur, vel quando tantum damni datum fuit, quantum vindictæ modum non excedit, vel quantum requiritur, ut pericula futura, ne ſcilicet de novo nobis inferatur bellum, & ſic bellum ex bello naſcatur, evitare poſſimus. Quare, ut propter pecora abacta, aut domos aliquas incenſas, totum regnum vaſtetur, æquitas non fert. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 72.

VIII. *Quid, ſi populatio hoſtem brevi ad pacem faciendam ſubigat?*

℞. Stultum eſt, nullo ſuo bono nocere alteri, ſed ſi vaſtatio ad pacem adigat hoſtem, non eſt ratio parcendi. Quamvis, ſi rem rectè expendas, plerumque admittantur talia, ex odio magis, quam prudenti ratione. Grot. d. c. 12. §. 1. n. 2. & 3. Alber. Gent. l. 2. c. 23. p. 448.

IX. *Quæ ergò res non videntur vaſtandæ?*

℞. In quibus ceſſat ratio vel neceſſi- Grot. l. 3. c. 5. §. 2. n. 3.

tatis vel utilitatis; ſic, poſt plenam victoriam, horrificum, nefarium & omni odio dicitur imbutum bellum, quod parietibus, tectis, columnis, poſtibus fit. Sic, ſi magna ſpes ſit celeris victoriæ, cujus præmium & ager & fructus futuri ſint, his parcendum. Nam jam res hoſtiles non diripies, utpote quae non amplius ad iſtum pertinent, ſed tuæ ſunt, tuas res perdes. Si hoſtes aliunde, quo ſe ſuſtentent, habeant, puta mare, ſi fines alii pateant, agricultura etiam in ipſo collimitio tuta maneat, & potius tributum exigatur. Et hinc non tantum agricolæ, ſed & animalia, quibus arant, & ſemina, quæ ad agrum portant, extra belli periculum poni debent. Sic rebus, quæ ad bellum faciendum aut ducendum nihil momenti habent, ut ſunt templa, etiam durante bello parcendum: & quidem in templis ſpecialis ratio accedit, quod ſacris uſibus dicata ſunt, & ſi nullum inde ſit periculum, talia ædificia, & quæ eis accedunt, conſervari ſuadet rerum divinarum reverentia, inter eos maxime, qui eundem Deum ex eadem lege colunt, etiamſi fortè ſententiis quibuſdam aut ritibus diſſideant. Conſuetudo tamen fere eſt qua-

d. c. 12. §. 3. jung. Fus-Knechts-Beſtall. de an. 1570. art. 53. & Kulpis. h. c. §. 3. lit. I.

d. c. 12. §. 6.

Ziegl. in com. h. c.

quarundam gentium, ut campanæ rebus ſacris deſtinatæ, certa pecuniæ ſumma redimantur. Idem dicendum de religioſis & illis, quæ in honorem mortuorum ſtructa ſunt; nam & hæc, niſi contemta humanitate, violari non poſſunt. *Grot. d. c. 12. §. 7. Text. c. 18. n. 37.*

X. *Præter rationem æquitatis & humanitatis, ſuntne adhuc aliæ rationes quæ hoc ſuadent?*

℟. Affirmatur, talis enim moderatio hoſti magnum telum eripit, deſperationem ſcilic. & præ ſe fert ſpeciem magnæ de victoria fiduciæ; clementia per ſe eſt apta frangendis & conciliandis animis. Inprimis autem ſummarum poteſtatum & ducum, qui Chriſtiani & à Deo & ab hominibus haberi volunt, officium eſt, violentis urbium direptionibus, & ſi quid his ſimile eſt, intercedere, ut quæ abire non poſſint, ſine graviſſimo multorum innocentium malo, & ſæpe ad belli ſummam parum proficiant: ita ut bonitas Chriſtiana ferè ſemper, ipſa quoque juſtitia plerumque ab iſtis abhorreat. *d. c. 11. §. 8. n. 1. 2. & 4.*

CAPUT VI.

De jure acquirendi bello capta.

CAPUT XIII.

Temperamentum circa res captas.

I. *Capta in bello cui cedant.*
II. *Quando res cenſeantur captæ.*
III. *An res, quæ non ſunt hoſtium, quamvis apud ipſos inventa, bello acquiri poſſint.*
IV. *An res exterorum in navi hoſtili repertæ.*
V. *An hoſtibus erepta vindicari poſſint à prioribus dominis.*
VI. *An res, in bello publico ac ſolenni captæ, ſingulis capientibus, an verò toti populo acquirantur.*
VII. *An & quando ſinguli capta ſibi acquirant.*
VIII. *An ſinguli aliquid, extra miniſterium publicum, facere poſſint.*
IX. *Quas res ſinguli ſibi acquirant.*
X. *Quot modis præda tribui ſoleat.*
XI. *An prædæ conceſſio ſemper ſit mera donatio.*
XII. *An & cur ſociis pars prædæ concedatur.*
XIII. *Cur aliquando ſubditis.*
XIV. *Cui res ſit addicenda, ſi apud populum, bello non permixtum, controverſia oriatur de re bello capta.*
XV. *An extra territorium bellum gerentium, capta fiant capientium.*
XVI. *An hoc jus acquirendi res bello captas ita proprium ſit belli ſolennis, ut in aliis bellis locum non habeat.*
XVII. *An res, in bello juſto, ultra debitum modum captæ, retineri poſſint.*
XVIII. *An tantum capi poſſint res ad conſecutionem debiti primarii, an & ſubnaſcentis.*
XIX. *Quid, ſi iſti, quorum res capiuntur, ſint extra culpam.*

I. *Capta in bello cuinam cedunt?*

Grot. l. 3. c. 6. §. 1. n. 1. ℞. Bello juſto ea nobis jure naturæ acquiruntur, quæ aut paria ſunt ei, quod cum nobis ſit debitum, aliter conſequi non poſſumus, aut etiam quæ nocenti damnum inferunt, intra æquum vindictæ modum; id quod & Deus

Deus probat in lege à Moſe data. Jure gentium non tantum is, qui ex juſta cauſa bellum gerit, ſed & quivis in bello ſolenni, & ſine fine modoque, dominus fit eorum, quæ hoſti eripit, eo ſenſu, ut à gentibus omnibus & ipſe, & qui ab eo titulum habent, in poſſeſſione rerum talium tuendi ſint: quod *dominium quoad effectus externos* (in quantum non habetur pro fure, & proprio nomine pro lubitu de hac re diſponere poteſt) licet appellare.

Kulpis. h. c. §. 1. Deut. 20, verſ. 14.

Grot. d. c. 6. §. 2.

II. *Quando res cenſentur captæ?*

Res mobilis capta dicitur, ubi intra fines, i. e. præſidia hoſtium perducta fuerit; eodem enim modo res amittitur, quo poſtliminio redit, redit autem, ubi intra fines imperii eſſe cœpit, ſive intra præſidia. Et quamvis res captæ ſtatim dicantur fieri capientium, tamen hoc cum conditione aliqua, continuandæ ſcilicet eouſque poſſeſſionis, intelligi debet. Cui conſequens eſſe videtur, ut in mari naves, & aliæ res captæ cenſeantur tum demum, cum in navalia aut portus, aut ad eum locum, ubi tota claſſis ſe tenet, perductæ ſunt. Hæc tamen apud quaſdam gentes aliter determinari poſſunt,

Grot. d. c. 6. §. 3. n. 2.

Groeneweg. de LL. abrog. ad tit. de capt. & poſtl. reverſ. Ziegl. h. c. §. 3. Grot. d. c. 6. §. 4. n. 1.

ſunt. Res immobiles captæ intelliguntur, quæ manſuris munitionibus ita includuntur, ut non niſi iis expugnatis, parti alteri palàm aditus non ſit: ſeu in quibus non eſt momentanea, ſed firma poſſeſſio.

III. *Quid, ſi res capta non ſit hoſtium?*

Grot. d. c. 6. §. 5. ℞. Ut res aliqua belli jure noſtra fiat, requiritur, ut ea hoſtium fuerit: nam quæ res apud hoſtes quidem ſunt, puta in oppidis eorum, aut intra præſidia, ſed quarum domini nec hoſtium ſint ſubditi, nec hoſtilis animi, eæ bello acquiri non poſſunt: Ziegl. d. §. 5. aliter. nam & ratio deficit; non enim habentur pro rebus nullius, & jus hoc mutandi dominii odioſius eſt, quàm ut produci debeat; & à rebus exterorum non metuitur damnum, quomodo ab exteris ipſis, qui tempore indicti belli apud hoſtes deprehenduntur, & intra modicum tempus non diſcedunt. Si tamen eo conſilio ſint miſſæ ad hoſtem, ut eum juvent, meritò habentur pro hoſtilibus.

IV. *Quid ergò juris, ſi res exterorum inveniantur in navi hoſtili?*

Grot. l. 3. c. 6. §. 6. ℞. Cenſentur eſſe hoſtiles, uſquedum hæc præſumtio validis in contrarium pro-

probationibus elidatur.

V. *An, quæ hoſtibus erepta ſunt, poſſunt vindicari ab his, qui ante hoſtes noſtros ea poſſederunt & bello amiſerunt?*

℟. Non, quia jus gentium hoſtes primùm dominos fecit dominio externo, deinde nos.

d. c. 7. §. 1. Puf. l. 8. c. 6. §. 20. Frantz. 2. reſol. 9. §. 47. & 53. Ziegl. h. c. §. 7.

VI. *Cuinam acquiruntur res hoſtiles in bello publico ac ſolenni, an populo, vel iſti, cujus auſpiciis bellum geritur, an ſingulis, qui de populo aut in populo ſunt?*

℟. Res quæ ſunt nullius, quales ſunt res hoſtium (quia non ulteriùs nobiſcum in ſocietate vivunt, & ipſis non ampliùs debemus jura, quæ ex ſocietate fluunt, quale etiam eſt jus dominii) fiunt capientium, ſed tam eorum, qui per alios, quàm qui per ſe capiunt: naturaliter enim homo hominis alterius volens volentis inſtrumentum eſt. Ita non ſervi tantum, aut filii, ſed & liberi homines, qui in piſcando, aucupando, venando, margaritas legendo &c. operam ſuam addixerunt aliis, ſtatim id quod acceperunt, acquirunt ipſis, quibus operam navant, & ſic quoque milites iſtis, qui ſunt principales belli auctores. Perinde enim eſt,

Grot. d. c. 6. §. 8. & 9. Puf. l. 8. c. 6. §. 21.

per ſe quis faciat aliquid, an per alium.

VII. *An ergò ſinguli nihil ſibi acquirunt?*

Grot. d. c. 6. §. 10. Puf. l. 8. c. 6. §. 21. in fin. Kulpis. h. c.

℞. Diſtinguendum inter actus vere publicos belli, & inter actus privatos, qui fiunt occaſione publici: per hos actus privatis res quæritur primò ac directè, per illos actus populo.

VIII. *At verò ſinguli ſeu privati nihil poſſunt facere, niſi in miniſterio publico.*

Ziegl. h. c. & de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 77. Text. c. 67. 18. n.

℞. Singuli ſeu privati, qui in bello aliquid faciunt, ſemper quidem ſunt in miniſterio publico, ſed non omnia faciunt, quia ſunt in miniſterio publico, e. g. quæ in liberis ſeu injuſſis excurſibus, vel etiam contra expreſſas prohibitiones capiunt.

IX. *Quales ſunt res, quas ſinguli ſic ſibi acquirunt?*

Grot. d. c. 6. §. 11. & 12.

Cujac. l. 19. obſ. 7. aliter. Text. d. l. & alii.

℞. Res ſoli, quia niſi publico actu, inducto exercitu, impoſitis præſidiis, capi non ſolent, populi fiunt: res mobiles & ſe moventes, ſi capiant in miniſterio publico, primò ac directè populo acquirunt, & ab hujus conceſſione eſt, quicquid ex his rebus ſibi vel retinent, ut in direptionibus, aut populationibus militibus conceſſis, vel quic-

quicquid ex præda ipſis tribuitur : vel extra miniſterium publicum, ut modo diximus, & ſibi primò & directè acquirunt ; niſi & in his rebus lex civilis dominium ſingulorum antevertat. Sic lege introduci poteſt, ut quæ apud nos reperiuntur hoſtium res, publicæ fiant.

d. c. 6. §. 13.

X. *Præda quot modis tribui ſolet?*

℞. Sicut res aliæ, ita præda poteſt à populo aliis concedi, non tantum poſt acquiſitionem, ſed & ante eam, ita ut, ſubſecutâ capturâ, conjungantur actiones brevi manu : nec tantum ea conceſſio nominatim fieri poteſt, ſed & in genere, ut viduis, ſenibus & egentibus pupillis pars prædæ dari poteſt.

d. c. 6. §. 22. n. 1. Seld. l. 6. c. 16. Str. Ex. 41. th. 18. & 19.

XI. *An hæc juris tranſlatio ſemper eſt mera donatio?*

℞. Non, ſed interdum contractus, interdum aut ſolutio ejus, quod debetur, aut remuneratio, ob damna, quæ quis paſſus eſt, aut ob id, quod ipſe bello impendit, ſive ſumtu, ſive opera, ut cum ſocii aut ſubditi nullo ſtipendio militant, aut non tali, quod operæ reſpondeat. Nam ex his cauſis prædam aut omnem, aut ejus partem concedi ſolitam videmus. Et

Grot. d. c. 6. §. 22. n. 2.

Text. d. c. 18. n. 67.

hinc receptum, ut ſua faciant, quæ capiunt aut ſocii aut ſubditi, qui ſine ſtipendio & ſuo ſumtu ſuoque periculo bellum gerunt.

XII. *Quæ eſt ratio in ſociis?*

Grot. l. 3. c. 6. §. 23.

℞. In ſociis ratio eſt manifeſta, quia naturaliter ſocius ſocio tenetur ad reparationem damnorum, quæ ob negotium commune aut publicum eveniunt. Adde, quod opera quoque gratis præſtari vix ſoleat. Credibile ergo eſt, niſi cauſa alia appareat, puta beneficentia mera, aut contractus antecedens, ſpem ex hoſtibus lucrandi ſpectatam eſſe in damni & operæ compenſationem.

XIII. *Quæ eſt ratio in ſubditis?*

d. c. 6. §. 24. Puf. l. 7. c. 4. §. 5. Horn. l. 2. c. 2. §. 17.

℞. In ſubditis id non æque evidenter procedit, quia hi operam civitati ſuæ debent: ſed contrà occurrit, quod ubi non omnes, ſed aliquì militant, his ipſis à corpore civitatis retributio debetur ejus, quod plus cæteris operæ aut ſumtus impendunt, multoque magis damnorum, in cujus retributionis certæ locum, ſpes prædæ totius, aut partis incertæ, facile nec ſine ratione conceditur. Cæterum hodie paſſim uſurpatur, ut in direptionibus oppidorum, & in præliis, ſuum quiſque ta-

Grot. d. c. 6. §. 24. n. 8. & Kulpis. ibi.

faciat, quod cepit: in excurſibus verò capta communia fiant eorum, qui in comitatu ſunt, inter ipſos pro dignitatis ratione partienda.

XIV. *Si apud populum bello non permixtum controverſia oriatur de re bello capta, pro quo judicabit?*

℞. Addicenda ei, cui faveant leges aut mores populi, à cujus partibus res capta eſt: quod ſi ejus nihil probetur, ex jure gentium res ipſi populo erit adjudicanda: ſi modò ea res in actu bellico capta ſit. *d. c. 6. §. 25.*

XV. *An extra territorium utriuſque partis bellum gerentis capta fiunt capientium?*

℞. Sicut & hoſtem ubique licet interficere, ita & in rebus locum non conſideramus. In loco tamen pacato is, qui imperium habet, poteſt lege ſua prohibere, ne id fiat, & ſi contra legem factum ſit, de eo tanquam de delicto poſcere poteſt, ut ſibi ſatisfiat. *d. c. 6. §. 26. n. 2. & c. 4. § 8. n. 2. b. l. & ibi not.*

XVI. *An hoc jus externum acquirendi res bello captas, ita proprium eſt belli ſolennis, ut in aliis bellis locum non habeat?*

℞. Si ſint talia bella inter populos utrinque majeſtate pollentes geſta, etiam *Ziegl. b. c. §. 7. Grot. b. l. aliter.*

iam locum habet: ſin autem ſint inter cives, ſive magna ea, ſive parva ſint, nulla ſit dominii mutatio, niſi auctoritate judicis. Sic etiam in repreſſaliis aliter non obtinet.

XVII. *Quæ in bello juſto capta ſunt ultra debitum modum, an retineri poſſunt?*

Grot. l. 3. c. 13. §. 1. n. 1. ℟. Non ultrà licitum eſt capere aut habere, quam cauſa ſubeſt debendi in hoſte, excepto, quod etiam extra eam, ad ſecuritatem neceſſariam, res poſſunt detineri, ſed reſtitui debent ceſſante periculo, in ſe, aut in pretio; nam quod in re pacatorum liceret, multò magis in re hoſtium licet.

XVIII. *An res ſubditorum capi & acquiri poſſunt, ad conſecutionem debiti primarii tantùm, unde ortum eſt bellum, an & ſubnaſcentis?*

d. c. 13. §. 3. ℟. Res ſubditorum non tantùm capi poſſunt & acquiri, ad conſecutionem debiti primarii, unde ortum eſt bellum, ſed & ſubnaſcentis, ita ut & impenſæ in bellum factæ, & damna inde orta, præſtari debeant.

XIX. *Quid ſi iſti, quorum res capiuntur, ſint extra culpam?*

d. c. 13. §. 3. n. 2. & 3. & c. 2. ℟. Æquitas vult, ut cum tantùm quaſi fidejuſſorio nomine ſint obſtricti, ipſis

ipſis relinquantur res iſtæ, quibus nos faciliùs, quam ipſi careamus, præſertim verò, ſi ſatis appareat, illos ipſos id, quod eo modo amiſerunt, à civitate ſua non recuperaturos. Sic & in repreſſaliis, quamdiu ſpes eſt, nos noſtrum ſatis facilè conſequi poſſe ab originariis debitoribus, aut ab iis, qui jus non reddendo ſe debitores faciunt, ad eos, qui culpa vacant, non veniendum. §. 5. n. 1. & §. ult.

CAPUT VII.

De jure in captivos.

CAPUT XIV.

Temperamentum circa captivos.

I. *An & cur bello capti in ſervitutem redigantur.*

II. *An hoc tantum ſit intelligendum de ſubditis hoſtium perpetuis, an & de aliis ibi deprehenſis.*

III. *An etiam poſteri eorum ſervi fiant.*

IV. *Quæ ſint hujus juris effecta.*

V. *An incorporalia belli jure acquirantur.*

VI. *Captivi, an populi, an ſingulorum capientium fiant.*

VII. *An bello injuſto captis aufugere liceat.*

VIII. *An gratitudo, quam captivus domino ob vitam relictam debet, hoc permittat.*

IX. *An ſervus domino reſiſtere poſſit.*

X. *An bello capti neceſſario apud omnes gentes ſervi fieri debeant.*

XI. *Quouſque homines capere liceat, ſalvâ juſtitiâ internâ.*

XII. *An jus vitæ & necis, in ſervos competens, juſtè ſemper exerceatur.*

XIII. *Quomodo ab iis exigendæ ſint operæ.*

XIV. *An bello juſto capto fugere liceat.*

XV. *Quid circa captivum faciendum ſit, ubi ſervitus in uſu non eſt.*

I. *An*

I. *An captivi poſſunt fieri ſervi?*

Grot. l. 3. c. 7. §. 5. ℞. Ut captores à ſummo illo rigore, quo omnes captivos, & ſtatim & poſt moram, quamdiu injuriam non remiſerunt, poſſunt occidere, abſtineant, apud omnes gentes neceſſitas & utilitas vult, ut capti poſſint in ſervitutum redigi.

II. *An hoc intelligendum eſt tantùm de iis, qui ſunt ſubditi hoſtis perpetui, & qui ſe dedunt, aut ſervitutem promittunt?*

d. c. 7. §. 1. n. 1. & 2. c. 4. § 7. ℞. Non tantum qui ſe dedunt, aut qui ſervitutem promittunt, pro ſervis haberi poſſunt, ſed omnes omninò bellô capti, ex quo ſcilicet intra præſidia perducti ſunt; & omnium eadem ſors eſt, etiam eorum, qui fato ſuo, ut diximus, cum bellum repente exortum eſſet, intra hoſtium fines deprehenduntur.

III. *An etiam poſteri ipſorum ſervi fieri poſſunt?*

d. c. 7. §. 5. n. 2. Grot. l. 2. c. 5. §. 29. n. 2. Puf. l. 6. c. 3. §. 9. ℞. Affirmatur, 1. quia ſi captores ſummo jure utantur, illi ipſi naſcituri non ſunt. 2. diu alendi ſunt è ſervis nati, antequam opera eorum domino utilis eſſe poſſit, & ſequentes operæ ſui temporis alimentis reſpondent.

IV. *Quæ ſunt effecta hujus juris?*

℞. Ef-

℞. Effecta hujus juris infinita ſunt: *Grot. l. 3.*
nulla enim perpeſſio eſt, quæ ſtricto *c. 7. §. 3.*
jure belli non impunè illis imponatur, *n. 1. & 2.*
ut modò diximus; & res omnes, quæ *Horn. l. 2.*
captæ fuerunt, cum perſona acquirun- *c. 1. §. 4.*
tur domino. *Ziegl. h. c.*

V. ***An incorporalia belli jure acquiruntur?***

℞. Non acquiruntur primo ac per *d. c. 7. §.*
ſe, ſed media perſona cujus ea fuerunt. *4. Puf. l. 8.*
Excipienda tantùm ea, quæ ex ſingu- *c. 6. §. 22.*
lari perſonæ proprietate fluunt, ac pro- *Grot. l. 2.*
inde inalienabilia ſunt, ut jus patrium. *c. 5. §. 5.*
Hæc enim, ſi manere poſſunt, manent
penes perſonam, ſc. quando pater re-
vertitur ex captivitate, ſi non, extin-
guuntur, & liberi cenſentur eſſe ſui
juris; nam qui jam nati ſunt tempore *Grot. l. 3.*
captivitatis, non fiunt ſervi, niſi & ipſi *c. 9. §. 7.*
capiantur.

VI. ***Qui capiuntur, populine an ſingulorum fiunt?***

℞. Homines hac in re jure belli re- *Grot. l. 3.*
bus æquantur, & ſic ex his, quæ de *c. 7. §. 5.*
præda diximus, hoc definiendum eſt. *n. 4.*

VII. ***Qui bello injuſto capti ſunt, poſſuntne aufugere, vel etiam ii, qui ex iis nati ſunt?***

℞. Aufugere poſſunt, ſive bello ma- *d. c. 7. §.*
nente, ſive pace facta; ſive ad ſuos, *6. n. 1.*

ſive ad alios. Priori caſu, jure poſtliminii conſequuntur libertatem, poſteriori caſu, ſc. ſi fugiant pace facta, vindicari poſſunt à domino, ipſique reddendi ſunt, quia is jure gentium conſequitur dominium externum, quod effectum non haberet, ſi pace facta aufugere poſſent. Si neſciatur, ubi ſint, aufugientium animis nullum vinculum videtur eſſe injectum: quia cum belli cauſa ſit injuſta, ipſe captor juſtitia interna eos retinere non poterat, & ſic aufugiendo, propter defectum judicii humani, ſibi ipſis jus dicunt. Sic & ſuas res, quas retinere captor non poterat, ſine furti vitio auferunt, aut laboris ſui mercedem, ſi quam ſupra alimenta præſtari æquum eſt, nam & hic judicium deficit, & debitum ex facti evidentia ſatis cenſetur probatum, ſi conferantur hujus captivi operæ cum operis aliorum, quibus alimenta & mercedem præſtamus; modo ipſe neque ſuo, neque publico nomine, quicquam debeat domino, aut ei, cujus jus dominus acceperat.

d. c. 7. §. 6. n. 1.

l. 3. c. 10. §. 3.

l. 1. c. 3. §. 2.

Grot. l. 3. c. 7. §. 6. n. 4. jung. l. 2. c. 7. §. 2. in fin. Kulpis. h. c.

VIII. *At captor vitam donavit, ergo propter vinculum gratitudinis videtur eſſe obligatus, ut nec aufugere, nec res ſuas, nec mercedem au-*

auferre poſſit; nam vita eſt res inæſtimabilis.

℞. Talis captor non habuit jus ipſi auferendi vitam, & ſic ipſi reliquit quod jure naturæ relinquendum erat, nec liberalitas eſt in eo, quod meum eſt, & auferri non debet. Sic, quamvis latro vitam mihi non auferat, tamen ſi ex ipſius captivitate evadam, non pecco, nec furtum eſt, ſi furi res meas iterum eripiam. Et licet talis fuga & ſubductio deprehenſa graviter puniri ſoleat, tamen hæc & alia multa faciunt potentiores, non quia æqua ſunt, ſed quia ipſis expediunt. *Ziegl. h. c. §. 6. & Oſ. aliter. Grot. l. 3. c. 7. §. 6. n. 4. in fin*

IX. *Si dominus jus ſuum externum exſequi velit, an ſervus poteſt reſiſtere?*

℞. Hoc jus externum, quia non ſola agendi impunitate, ſed & judiciorum tutela conſtat, inane erit, ſi ex adverſo reſiſtendi jus maneat. Nam ſi domino vi reſiſtere liceat, licebit & magiſtratui dominum tuenti, cum tamen magiſtratus, ex jure gentium, dominum in illo dominio ejuſque uſu defendere debeat. *d. c. 7. §. 7. & l. 1. c. 4. §. 2.*

X. *An neceſſariò apud omnes gentes capti in bello fiunt ſervi?*

℞. Si neceſſitas & utilitas hoc exigant, jus gentium apud omnes gentes *d. c. 7. §. 8. Horn. l. 1. c. 3. §. 3.*

vult potiùs, ut capti in ſervitutem redigantur, quàm ut occidantur: & ſi bella aliter geri poſſint, quam ut capti libertatem amittant, & ſervi fiant, ne quidem ſervi fiunt, quia ceſſat ratio neceſſitatis. Sic inter Chriſtianos bello orto, capti non fiunt ſervi, ita ut vendi poſſint, ad operas urgeri, & alia pati, quæ ſervorum ſunt: nam non opus eſt inter ipſos, ut à miſeris hominibus interficiendis abducantur minoris ſævitiæ conceſſione; reverentia enim Chriſtianæ religionis ſufficit. Manſit tamen etiam inter Chriſtianos mos captos cuſtodiendi, donec perſolutum ſit pretium, cujus æſtimatio in arbitrio eſt victoris: niſi certi aliquid convenerit expreſſis pactis, quæ hodie vocari ſolent *Cartel.* Inter Chriſtianos & Mahumetiſtas adhuc ſervi fiunt, quia alio remedio ab interfectione Mahumetiſtæ non poſſunt prohiberi.

d.c. 7. §. 9. n. 1. Gudel. de jur. noviſſ. l. 1. c. 4. Str. 40. th. 70. Schutz. vol. 2. Ex. 10. th. 13. lit. F.

d. c. 7. §. 9. n. 2. Text. c. 18. n. 41. Grot. l. 3. c. 9. Kulpis. h. c.

XI. *Ubi ergò ſervitus adhuc obtinet, quando cenſetur juſta?*

℞. Licita eſt talis acquiſitio juſtitiâ internâ, quouſque debiti aut primarii aut ſubnaſcentis quantitas patitur; niſi forte in ipſis hominibus peculiare ſit delictum, quod libertatis damno puniri æquitas ferat. Et hactenus juſtum bellum

Grot. l. 3. c. 14. §. 1. n. 1.

lum gerens in hoſtis ſubditos captos jus habet, idque in alios valide transfert: habita tamen æquitatis & bonitatis ratione in captis, prout vel arma geſſerunt, vel aliàs contra nos operas præſtiterunt, vel non, ceu diximus, cum de interficiendis hoſtibus ageretur.

Grot. l. 3. c. 4. §. 6.

XII. *Ex temperamento belli, vel habita ratione, quod capti nullam amplius injuriam nobis inferant, quid juris in eos habemus?*

℞. Jus vitæ & necis, quod rigor belli domino concedit, ex æquitate domino præſtat, ut domeſticam habeat juriſdictionem, ſed eadem religione exercendam, qua publica exercetur: etiam in minoribus correctionibus, puta in verberibus; nam & hic adhibenda eſt æquitas, imò clementia.

Grot. d. c. 14. §. 3. & 4. §. 2. l. de bis qui ſui vel alieni juris. l. un. C. de emend. ſerv.

XIII. *Quid de operis dicendum?*

℞. Operæ cum modò exigendæ ſunt, & valetudinis ſervorum humanè habenda ratio. Et pro his alimenta ſervo debentur. Imò, ſi quid fecerit ſervus. quod ſervilis officii modum excedit, aut quod non ex imperio, ſed ex voluntate præſtatur, ubi ex miniſterio in affectum amici tranſitur, beneficii materia

d. c. 14. §. 5. n. 1. Puf. l. 6. c. 3. §. 8. Boecl. Inſt. Pol. l. 1. c. 4. p. 75. Grot. d. §. n. 2. & 3. Grot l. 1. c. 1. § 6. l. 2. c. 14. §.

6. Seld. l. 6. c. 7. p. 737. & ſeqq. teria invenitur. His conſentaneum eſt, ut ſi quid ſervus ſuum defraudans genium comparſit, aut ſucciſivi temporis diligentia quæſivit, id aliquo modo ſit ipſius, quod ipſi, citra delictum ſuum, aut domini neceſſitatem, auferri non debet: nam ſervi utilitas utilitatibus domini ſubeſt, magis etiam, *Grot. d. c. 14. §. 6. n. 4.* quam res civium civitati. Sic ex humanitate & beneficentia venit, ut poſt longas operas, aut valde magnas, libertas detur ſervo: quod fit per manumiſſionem.

XIV. *An fugere fas eſt ei, qui bello juſto captus eſt?*

d. c. 14. §. 7. & 8. & Os. ibi. ℞. Non, quia jure gentium operas ſuas civitatis nomine debet: niſi intolerabilis ſævitia hanc neceſſitatem ipſi imponat. Sic & nati ex ſervis interdum domino tenentur interno jure; ſi enim parentes ſuo delicto pœnam mortis erant commeriti, poterunt eorum poſteri, qui ſperabantur, ad vitam ſervandam, obſtringi ſervitio, quia alioqui exſtituri non fuerant. Pro debito autem civitatis nondum nati non tenebuntur, ſecus quam ii, qui jam nati erant, quique ut pars civitatis, non minùs quam parentes ipſi, obligari poterant.

XV.

XV. *Quid juris ex temperamento belli apud eos, ubi ſervitus non viget?*

℞. Optimum erit permutari captivos; proximum dimitti pretio non iniquo. Hoc quale ſit, præciſe definiri non poteſt: ſed humanitas docet, non ultrà intendi debere, quam deducto ſuperfluo, ne egeat captus rebus neceſſariis. Alibi, ut dictum, hoc pactis definitur.

d. c. 14. §. 9. & c. 7. §. ult. Gent. l. 2. c. 15. Kulpis. b. c. c. 7. q. 10.

CAPUT VIII.

De imperio in victos.

CAPUT XV.

Temperamentum circa acquiſitionem imperii.

I. *An victor etiam imperium in univerſos acquirere poſſit.*
II. *Quot modis imperium victori poſſit acquiri.*
III. *An etiam res incorporales victori acquirantur.*
IV. *Quid, ſi populo victo relinquat jus civitatis.*
V. *An ſummo jure victor in hac imperii acquiſitione uti debeat.*
VI. *Quænam ex victoris benignitate, devictis recte relinquantur.*
VII. *An religionis avitæ uſus.*
VIII. *An ſemper.*
IX. *An victi ſemper clementer ſint habendi.*

I. *An victor etiam ſibi poteſt acquirere imperium in univerſos?*

℞. Qui ſibi ſingulos poteſt ſervitute perſonali ſubjicere, nihil mi-

Grot. l. 3. c. 8. §. 1. & 2. Horn. l. 2. c. 9. §. 2.

mirum eſt, ſi & univerſos, ſive illi civitas fuerunt, ſive civitatis pars, ſubjicere ſibi poteſt, ſubjectione ſive mere civili (ſc. ut nullum imperium quidem retineant, maneant tamen liberi homines) ſive merè herili (ſc. ut plane fiant inſtar ſervorum, & non amplius ſint civitas, ſed magna familia) ſive mixta, ita ut cum aliqua perſonali libertate ſervitus miſceatur. Victor enim in devictorum capita jus & poteſtatem à Deo conſequitur, a quo eſt omnis victoria: & hinc imperia armis quæruntur, victoriis propagantur.

II. *Quot modis imperium victori poteſt acquiri?*

d. c. 8. §. 1. n. 3. Kulpis. h. c.

℞. Poteſt imperium victori acquiri vel tantum, ut eſt in Rege aut alio imperante, i. e. in quantum mediante populo Deus in regem vel imperantem contulit per electionem vel ſucceſſionem; vel etiam, ut eſt in populo, i. e. in quantum Deus mediante victoria in ipſum contulit abſolutiſſimum aliquod imperium, ut ab ipſius ſolius arbitrio omninò dependeat, & de imperio in vivos & mortis cauſa, ſine populi conſenſu, pro lubitu diſponere poſſit; adeò, ut populus ne quidem ea, quæ à primæva in ſocietatem coëuntium vo-

Grot. l. 1. c. 3. §. 12. n. 3. & 4. l. 2. c. 7. §. 12.

voluntate, antequam imperium eſt conſtitutum, dependent, amplius retineat. Nam & in electivis regnis & ſucceſſivis, vivis imperantibus, populus nullam habet majeſtatem, ſed tantum id, quod à primæva voluntate dependet, & ſub imperio non continetur: & tunc regnum vocatur non patrimoniale, ſicut aliud patrimoniale.

Grot. l. 1. c. 3. §. 7. n. 2. Os. l. 3. c. 8. §. 1. n. 3. & Ziegl. aliter.

III. *Quænam res mediante imperio victori acquiruntur?*

℞. Sicut res ſingulorum jure belli iis acquiruntur, qui eos ſibi ſubjiciunt, ſic & res univerſitatis eorum fiunt, qui ſibi ſubjiciunt univerſitatem, ſi ipſi velint, ergò & ærarium & incorporalia ſeu jura, quæ univerſitatis fuerunt, debita & credita, ut alibi diximus. Nam qui dominus eſt perſonarum, idem & rerum eſt, & juris omnis, quod perſonis competit.

Grot. l. 3. c. 8. §. 4. n. 1. & 2. Puf. l. 8. c. 6. §. 22. & 23. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 79. in med. aliter.

IV. *Quid, ſi populo victo relinquat jus civitatis?*

℞. Etiamſi quis populo victo jus civitatis relinquat, poteſt tamen quædam, quæ civitatis fuerant, ſibi ſumere. In ipſius enim arbitrio eſt, quem velit eſſe ſui beneficii modum.

Grot. d. c. 8. §. 4 n. 3.

V. *Quodnam temperamentum victori*

eſt adhibendum circa imperii acquiſitionem?

Grot. l. 3. c. 15. §. 1. ℞. Quæ in ſingulos aut exigitur æquitas, aut laudatur humanitas, tantò magis in populos, aut in populorum partes, quantò in multos inſignior eſt & injuria & beneficentia. Juſto bello ut alia acquiri poſſunt, ita & jus imperantis in populum, & jus quod in imperio habet ipſe populus ex primæva voluntate, & ſub imperio non comprehenditur, ſed quatenus fert aut vindictæ, aut alterius debiti modus. Quibus addenda eſt cauſa vitandi periculi ſummi, quæ ſemper tum in pace conſtituenda, tum in utenda victoria maxime ſpectanda eſt. Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant. Si hoc obtineat victor, & injuriæ licentiam adimat hoſti, cætera eſt ut remittantur ex miſericordia. In publico autem periculo, quæ modum excedit ſecuritas, immiſericordia eſt.

Grot. d. c. 15. §. 1.

VI. *Quænam ergo relinquenda?*

Grot. d. c. 15. §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. ℞. Pendet hoc ex modo vindictæ & debiti, ut modò diximus, & ex prudentia & benignitate victoris. Sic moderatæ victoriæ ſpecies eſt, victis aut regibus aut populis relinquere quod ha-

habuerunt imperium; & ut ſecuritati victoris conſulatur, præſidium iis imponere. Tributorum quoque indictio ſæpe non tam ad factorum ſumtuum reſtitutionem, quàm ad ſecuritatem & victoris & victi inpoſterum pertinet. Interdum, ut mutent reip· formam, eamque inſtituant & accommodent ad remp. victoris. Si minus tutum ſit, omni in victos imperio abſtinere, temperari res poteſt, ut aliquid imperii relinquatur ipſis, aut ipſorum regibus. Sed &, cum omne imperium victis eripitur, relinqui illis poſſunt circa res privatas & publicas minores, ſuæ leges ſuique mores & magiſtratus.

VII. *Quid circa religionem agendum?*

℞. Indulgentiæ pars eſt, avitæ religionis uſum victis, niſi perſuaſis, non eripere: hoc enim victis pergratum, quia religio ſua cuique videtur optima, & plerumque non ratione, ſed affectu dijudicatur, & victori eſt innoxium. *Grot. l. 3. c. 15. §. 11. & l. 2. c. 20. §. 47. n. 4.*

VIII. *Quid, ſi falſa apud victos ſit religio?*

℞. Si falſa apud victos ſit religio, ne vera opprimatur, recte curabit victor. *d. c. 15. §. 11. n. 2. Boecl. Inſt. Pol. l. 2. c. 4.*

IX. *Quæ eſt poſtrema cautio circa victoriam?*

d. c. 15. §. 12. ℞. Ut in imperio, etiam pleniſſimo & quaſi herili, victi clementer habeantur, & ita, ut eorum utilitates cum victoris utilitatibus ſocientur; & ut videatur tantum mutatus rex, maneant ipſis domus, agri, jus in uxores, in liberos, ut ante fuit. Nam ſi bonam dederimus pacem, & fida & perpetua erit futura; ſin malam, haud diuturna. Hæc ſit ratio vincendi, ut miſericordia & liberalitate nos muniamus.

CAPUT IX.

De poſtliminio.

CAPUT XVI.

Temperamentum circa ea, quæ jure gentium poſtliminio carent.

I. *Quid ſit poſtliminium.*
II. *In quibus locis ſit.*
III. *Quotuplex ſit jus poſtliminii.*
IV. *An & quando in pace poſtliminium ſit.*
V. *Cur exteris, fato ſuo apud hoſtes deprehenſis, in pace poſtliminium ſit, & cur non aliis captivis.*
VI. *Liber homo quando dicatur poſtliminio redire.*
VII. *Quid, ſi ab hoſte venditus, commercio ad ſuos redeat.*
VIII. *Liber homo, qui ſic rediit, an & libertatem & res ſuas recuperet.*
IX. *An etiam res à victore alienatas.*
X. *An etiam jura in ipſum reſtituantur.*
XI. *An dediti jure poſtliminii gaudeant.*
XII. *An etiam in populis integris jus poſtlimini locum habeat.*
XIII. *Quinam jure poſtliminii recipiantur.*
XIV. *Quomodo recipiantur.*

XV.

XV. *Quænam res recipiantur.*
XVI. *An res, intra hoſtium præſidia nondum perductæ, vel à latronibus captæ, poſtliminio egeant.*
XVII. *An hæc omnia jure civili alio modo determinari poſſint.*
XVIII. *An jus poſtliminii extra bellum, & inter populos, qui non ſunt hoſtes, locum habeat.*
XIX. *An hæc noſtris temporibus obtineant.*
XX. *Res, quæ in bello injuſto captæ fuerunt, licet jure gentium poſtliminio non redeant, nec reſtituendæ ſint, an ex æquitate & temperamento juris, prioribus dominis reddi debeant.*
XXI. *An eo in caſu ſumtus, in poſſeſſionem recuperandam facti, recte repetantur; an etiam laboris & periculi æſtimatio ſit facienda.*
XXII. *An eodem modo populi integri, vel populi partes, reſtitui debeant.*
XXIII. *An obligatio reddendi nullo tempore extinguatur.*
XXIV. *Quid, ſi jus ſit ambiguum.*

I. *Quid eſt poſtliminium?*

℞. Poſtliminium eſt jus, quod naſcitur ex reditu in limen ſeu fines publicos, ita ut prior ante captivitatem ſtatus reviviſcat. *Grot. l. 3. c. 9. §. 2. n. 1. Text. c. 18. §. 77. ſeqq. aliter.*

II. *Quid intelligimus per fines publicos?*

℞. Fines noſtros, vel etiam ſociorum vel amicorum, qui partes in bello eaſdem ſequuntur: apud eos vero, qui amici ſunt, ſed non earundem partium, ſeu neutrales, ut vocantur, bello capti ſtatum non mutant, niſi ex ſpeciali pacto. *d. c. 9. §. 2. n. 1. & 2.*

III. *Quotuplex eſt jus poſtliminii?*

℞. Duplex; aut poſtliminio quis revertitur, *d. c. 9. §. 3. in fin. §. 4. n. 4.*

ver-

vertitur, aut aliquid poſtliminio recipitur. In bello redeunt poſtliminio homines, qui antequam caperentur, liberi fuerant: recipiuntur ſervi & alia quædam.

IV. *An in pace poſtliminium non eſt?*

d. c. 9. §. 4. n. 1. ℞. In pace poſtliminium eſt his, qui non virtute bellica ſuperati, ſed fato ſuo deprehenſi ſunt, ut qui, cum bellum ſubito exarſit, apud hoſtes reperiuntur. Aliis autem captivis in pace poſtliminium non eſt, niſi id pactis ſit comprehenſum.

V. *Quæ eſt ratio?*

d. c. 9. §. 4. n. 2. & 3. ℞. Quia in deprehenſis apud hoſtes, bello exorto, nullum injuriæ conſilium fingi poteſt, & tantum ad minuendas hoſtium vires manente bello retinentur, bello autem compoſito nihil obtendi poteſt, quominus dimittantur. Itaque tales in pace ſemper libertatem obtinent, utpote confeſſione partium innocentes: cæteri virtute bellica capti, propter injuriam illatam, jure videntur capti, & ſic retinentur, niſi pace facta pactis id ſit expreſſum.

VI. *Liber homo quando dicitur poſtliminio redire?*

d. c. 9. §. 5. Puf. l. 8. c. 6. §. 25. ℞. Quando eo animo ad ſuos venit, ut eorum res ſequatur, ſive dolo evadat,

dat, ſive vi, ſive ſponte ab hoſtibus tradatur.

VII. *Quid ſi ab hoſtibus venditus commercio ad ſuos redeat?*

℞. Liber judicatur, quia eſt alienatus cum ſua cauſa, i. e. ut poſtliminio redire, & ſuum priſtinum ſtatum recipere poſſit. *d. c. 9. §. 5. in fin.*

VIII. *Liber homo qui ſic rediit, quidnam recuperat?*

℞. Non ſe tantum ſibi acquirit, ſed & res omnes, quas habuerat & apud ſuos, & apud populos pacatos, ſive corporales ſive incorporales, etiam dignitates & officia hæreditaria: alia autem, niſi in alios jam ſint collata. Ratio eſt: quia populi pacati, ſicut factum pro jure ſecuti erant in capto, ita & in liberato, ut ſe æquos præbeant utrique parti. Ergo dominium, quod habuerat in res ejus is, qui belli jure eum poſſidebat, non erat ſine omni conditione: ceſſare enim poterat ipſo invito, ſi captus qui fuerat, ad ſuos perveniſſet. Has ergò res ſic ille perdit, quomodo hominem, cujus erant acceſſio. *d. c. 9. §. 6. n. 1. Ziegl. h. c. aliter. Text. c. 18. §. 90.*

IX. *Quid ſi tamen alienaſſet, an qui titulum habet ab eo, qui belli jure eo tempore erat dominus, tutus erit*

gen-

gentium jure, an & hæc recuperabuntur?

d. c. 9. §. 6. n. 2. Ziegl. h. c. & de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 82. Gothofr. in l. 12. §. 7. de capt. & poſtl. rev. aliter. jung. Feltman. reſponſ. milit. 6.

℞. Diſtinguendum inter res, quæ ejus ſunt generis, ut poliminio redeant, quales ſunt res immobiles, & tales videntur alienatæ cum ſua cauſa, ita ut non ſatis tutus ſit tertius poſſeſſor, qui agrum ab hoſte ſibi comparavit, propter jus poſtliminii, quod in ſuſpenſo eſt, & cui præſcribi durante eo bello nullatenus poteſt; & res quæ extra id genus ſunt, ut res mobiles, quæ in præda ſunt.

X. *An etiam jura in ipſum reſtituuntur?*

d. c. 9. §. 7. l. ult. D. de ſerv. paſſ.

℞. Sicut ad poſtliminiô redeuntem jura redeunt, ita & jura in ipſum reſtituuntur, ac pro eo habentur, ac ſi nunquam ille hoſtium potitus fuiſſet.

XI. *An jure poſtliminii gaudent dediti?*

Grot. d. c. 9. §. 8. c. 19. §. 1. & 5. l. 2. c. 21. §. 6. c. 2. n. 2.

℞. Armis victi & hoſtibus dediti poſtliminio non gaudent, nimirum quia pactiones cum hoſtibus factæ valent, nec adverſus eas datur poſtliminium. Unde & induciarum tempore non eſt poſtliminium.

XII. *An quæ dicta ſunt de ſinguiis, etiam poſſunt obtinere in univerſis?*

℞.

℞. Quod de ſingulis perſonis dictum eſt, idem & in populis locum habere arbitror, ut qui liberi fuerunt, ſuam recipiant libertatem, ſi forte eos vis ſociorum eximat hoſtili imperio: niſi ſociali fœdere aliter cautum, vel ipſa multitudo, quæ civitatem conſtituerat, diſſoluta ſit; tunc enim nec idem populus cenſebitur, nec poſtliminio res reſtituentur, quia populus qui partium perpetua conjunctione conſiſtebat, earundem diſſolutione plane interiit.

d. c. 9. & 12. Text. c. 18. §. 105. Puf. l. 8. c. 6. §. 26. Kulpis. b. c. §. 2.

XIII. *Quinam jure poſtliminii recipiuntur?*

℞. Servi & ancillæ, etiam ab hoſte manumiſſi, quia hoſtium jure manumiſſio vero domino obeſſe non poteſt; transfugæ item, & ab hoſte redemti.

d. c. 9. §. 11. n. 1. 2. & 3.

XIV. *Quid requiritur, ut recipiantur?*

℞. Ut aut revera habeantur à veteri domino, aut haberi facile poſſint. Quare cum in rebus aliis ſufficiat, eas intra fines eſſe perductas, in ſervo id non ſufficiet. Viciſſim non requiritur, ut animo res noſtras ſequendi venerint, ut in libero homine.

d. c. 9. §. 11. n. 1.

XV. *Quæ res ſunt in poſtliminio?*

℞. Agri ſunt in poſtliminio, ſimul ac hoſtes ſunt expulſi, ita ut amplius eò ac-

d. c. 9. §. 13. c. 6. §. 4. n. 1.

accedere non poſſint. Quod de agris jus, idem eſſe arbitror de omni jure, quod ſolo adhæret. Nam & loca capta ab hoſtibus, quæ religioſa vel ſacra fuerant, ſi ab hac calamitate fuerint liberata, quaſi quodam poſtliminio reverſa priſtino ſtatui reſtituuntur. Sic agrô receptô, uſusfructus agri reſtituitur, fructus autem, ab alio interim percepti, non reſtituuntur. Sic comitatus & aliæ juriſdictiones hæreditariæ poſtliminio redeunt. Res mobiles poſtliminio non redeunt, ſed in præda ſunt. Quare & commercio parata, ubicunque reperiuntur, manent ejus. qui emit, nec apud pacatos reperta, aut intra fines perducta vindicandi jus eſt veteri domino.

Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 33 §. 83. Anton. Fab. C. de locat. def. 33. d. c. 9. §. 14. n. 1.

XVI. *Quid dicendum de rebus, quæ intra præſidia perductæ nondum ſunt?*

℞. Poſtliminio non egent, quia dominium nondum mutarunt; hinc etiam quæ piratæ aut latrones nobis eripuerunt, non opus habent poſtliminio, quia jus gentium illis non conceſſit jus dominii mutandi: & ſic res ab ipſis captæ ubique vindicari poſſunt; modò poſſeſſori ſumtus in poſſeſſionem recuperandam facti reſtituantur.

d. c. 9. §. 16. Ziegl. l. 3. c. 6. §. 3. aliter. & de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 79. Frantz 2. Reſol. 9.

XVII.

XVII. *An omnia hæc, de quibus hactenus dictum, jure civili varie poſſunt determinari?*

℞. Jure civili, propter propriam civitatis utilitatem & neceſſitatem, hæc àdſtringi additis exceptionibus aut conditionibus, & produci ad alia commoda varie poſſunt. *d. c. 9. §. 16. & 17.*

XVIII. *An jus poſtliminii extra bellum & inter populos, qui non ſunt hoſtes, locum habet?*

℞. Ubi obtinet extra bellum, ibi ſunt reliquiæ ſæculi Nomadum, quo ſenſum naturalis ſocietatis, quæ eſt inter homines, mores exſurdaverant. Hinc apud tales gentes, quæ publicum bellum non gerebant, erat quædam belli inter privatos, quaſi ipſis moribus indicti, licentia: ac ne ea licentia ad interficiendos homines proſiliret, placuit, captivitatis jura inter eos introduci; cui conſequens fuit, ut & poſtliminio locus eſſet, aliter quàm cum latronibus ac piratis, quia illa vis rem producebat ad æquas pactiones, quæ à latronibus & piratis contemni ſolent. *d. c. 9. §. 18. Gronov. ibi.*

XIX. *An hæc adhuc noſtris temporibus obtinent?*

℞. Noſtris temporibus non inter

d. c. 9. §. 19. Text. c. 18. §. 85. & 104. Perez. C. de poſtl. reverſ. §. 17.

Chriſtianos tantum, ſed & apud pleroſque Mahumetiſtas, jus ut captivitatis extra bellum, ita & poſtliminii evanuit, ſublata utriuſque neceſſitate, ob reſtitutam vim ejus cognationis, quam inter homines natura eſſe voluit. Habere tamen locum poterit, ſi res ſit cum gente tam barbara, quæ ſine indictione aut cauſa, omnes externos & res eorum hoſtiliter tractare pro jure habeat.

XX. *In quo conſiſtit temperamentum circa jus poſtliminii?*

Grot. l. 3. c. 16. §. 1. n. 1. & §. 2.

℞. Conſiſtit in iis rebus, quæ poſtliminio non gaudent, ut res mobiles. Si enim bello injuſto tales res captæ ſint & in alium tranſlatæ, huic non acquiruntur, quia ipſe captor habuit tantum dominium externum, (i. e. commodum hoc, ut ubique judiciaria auctoritate ac manu pro domino tuendus fuerit) non autem internum, & ſic in alium illud transferre non potuit; & ſicut ipſe juſtitiâ internâ reddere rem cogebatur, ita & hic ſecundus poſſeſſor.

XXI. *Quid ſi commercio res talis ad aliquem pervenerit?*

d. c. 16. §. 3. n. 1. l. 2. c. 10. §. 9.

℞. Æquitas vult, ut imputetur quantum ipſi qui rem amiſerat, valitura fue-

fuerat deſperatæ poſſeſſionis recuperatio. Item æſtimatio laboris & periculi, perinde ac ſi quis rem alienam in mari perditam urinando eduxiſſet. *& ibi not. Puf. l. 4. c. 13. §. 13.*

XXII. *An eodem modo populi & partes populorum reſtitui debent?*

℞. Reſtitui debent his, qui jus imperii habuerunt, aut etiam ſibi; ſi ſui fuerant juris ante vim injuſtam. *d. c. 16. §. 4.*

XXIII. *Hæc obligatio reſtituendi an nullo tempore poteſt extingui?*

℞. Si agitur inter cives ejuſdem imperii, tempus à legibus civilibus iſtius civitatis præſcriptum obſervari debet: ſi inter eos, qui alii aliis externi ſunt, ex ſola conjectura derelictionis eſt definiendum. *d. c. 16. §. 5. Text. c. 18. n. 136. Grot. l. 2. c. 4. §. 8. Ziegl. h. l. c. 9. §. 13. d. c. 16. §. 6. & Kulpis ibi.*

XXIV. *Quid, ſi jus ſit ambiguum?*

℞. Optimum eſt conſilium, ut vel novi poſſeſſores pecuniam recipiant & poſſeſſionibus cedant, vel ut veteres domini patiantur ſibi numerari, quod tanti eſt, quanti ſuum recuperare.

CAPUT X.

ſeu

CAPUT XVII. *ap. Grot.*

De his, qui in bello medii ſunt.

I. *An neutralitas, ut dicitur, ſemper amplectenda ſit.*
II. *Quid ſit neutralitas.*
III. *An omnis, qui non ſequitur alterutram belligerantium partem, ſit neutralis.*
IV. *Quotuplex ſit neutralitas.*
V. *Quinam neutrales eſſe poſſint.*
VI. *An aliquis ad neutralitatem cogi, vel etiam ea alicui denegari poſſit.*
VII. *Quid ſit officium bellantium circa neutrales.*
VIII. *An locus, ſumma neceſſitate ita exigente, in eorum territorio occupari poſſit.*
IX. *An hoſtis occidi, vel res ejus capi.*
X. *Quod ſit officium neutralium circa bellantes. An utrique tranſitum concedere debeant.*
XI. *An alterutri parti arma, & quæ in bello uſum habent, vendere poſſint.*
XII. *An & quomodo bellantes ad pacem inducere debeant.*

I. *An utile eſt, ut quis ſit medius in bello, ſeu neutrarum partium?*

Machiavell. de Princ. c. 21. & ibi Conring.

℞. Eſt res conſilii & prudentiæ politicæ, ideoque neutralitas, ut loquuntur, non ſemper vel amplectenda, vel declinanda eſt.

II. *Quid eſt neutralitas?*

Boecl. Quies in turb. p. 186. & ſeqq. Grot. l. 3. c. 17. §. 1.

℞. Neutralitas eſt ſtatus, in quo belli ſocietatem declinamus, & nos inter bellum gerentes quietos tenemus.

III. *An omnis, qui non ſequitur alterutram belligerantium partem, eſt neutralis?*

d. c. 17. §. 1. Text. c. 26. §. 1.

℞. Affirmatur in ſenſu generaliori, quatenus non eſt ſocius alterutrius, & ſic neutrarum partium ratione belli, ratione autem amicitiæ & jurium, quæ inde

inde fluunt, ſocius utriuſque, & erga utrumque æquum ſe præbet. In ſenſu ſtricto iſti dicuntur neutrales, quibus media iſthæc conditio pacto vel expreſſo vel tacito eſt conceſſa.

IV. *Quotuplex eſt neutralitas?*

℞. Duplex, alia generalis, alia ſpecialis; item alia abſoluta, quæ utramque partem in omnibus æquat: alia reſtricta, qua certæ tantum res vel certi actus excipiuntur. Item alia expreſſa, alia tacita, ex uſu æqualis amicitiæ, hoſtibus hinc inde ſcientibus & non contradicentibus, contracta.

Text. dict. c. 26. §. 1. & 2. §. 10. & 11. dict. c. §. 20. & 21.

V. *Quinam poſſunt eſſe neutrarum partium?*

℞. Omnes, quibus de bello paciſci propria auctoritate & proprio nomine licet.

Inſt. Jur. Publ. p. 587.

VI. ***An aliquis cogi poteſt, ut ſit neutrarum partium, aut ut non ſit?***

℞. Sicut fœdera bellica ſua natura ſunt libertatis & conſilii, ita & neutralitas eſt libertatis & conſilii, non neceſſitatis: nam neutralitas contrahitur fœdere, ſi non de adjuvando in bello, tamen de abſtinendo: niſi iſti, qui volunt eſſe neutrales, partium ſint ſubditi; tunc enim cogi poſſunt, ne ſint neutrarum partium. Sic Status Imperii

Boecl. Quies in turb. p. 198. Text. c. 26. §. 2. in fin. aliter. & §. 16. & ſeqq.

R. Germanici, ubi eſt bellum Imperii, cogi poſſunt, & oportet, ut militem, qui in Imperii matricula vel in comitiis eſt aſſignatus, mittant.

VII. *Quodnam eſt officium eorum, qui bellum gerunt, erga neutrales?*

Grot. l. 3. c. 17. §. 1. & 2. n. 3. & 6. & c. 4. §. 8. n. 2.

℞. Ut nullum exerceant actum hoſtilitatis, vel in ſubditis capiendis vel trucidandis, vel in rebus, ſive territorium vaſtando, res publicas vel ſubditorum occupando vel capiendo. Quamvis enim ſæpe maxima ſit militum licentia & libido, exacta tamen cura, proviſus rerum neceſſariarum, bene ſoluta ſtipendia, & vigor diſciplinæ militaris hanc ſecuritatem & temperantiam præſtabunt. Hinc etiam rex qui quæ debet ſtipendia, militibus non ſolvit, non tantum militibus tenetur de damnis inde ſecutis, ſed & ſubditis & vicinis, quos inedia coacti milites male habuerunt.

VIII. *Quid ſi ſumma neceſſitas hoc exigat?*

d. c. 17. §. 1. & l. 2. c. 2. §. 10. & ibi not. Obrecht. de rat. bel. c. 3. §. 3.

℞. Si moraliter certum ſit, hoſtem occupaturum e. g. caſtrum aliquod, ex quo magnum damnum poſſet inferre, occupari poteſt, ſed cuſtodia, ut alibi diximus, quæ durante neceſſitate eſt ſumta, ea ceſſante reſtituenda.

IX.

IX. *Poſſumuſne in ſolo pacato hoſtem occidere, vel res ejus capere?*

℞. Non; natura enim ſocietatum civilium vult, ut in eos, qui in aliquo ſunt territorio, nihil per vim agamus, niſi judicio tentato. *Grot. l. 3. c. 4. §. 8. n. 2. Text. c. 26. §. 43. aliter.*

X. *Quodnam eſt officium eorum, qui ſunt neutrarum partium?*

℞. Æquos ſe præbere debent utriſque, in commeatu præbendo legionibus, in obſeſſis non ſublevandis. An utrique tranſitum concedere debeant? diſputatur, alii negant, quia hoc ipſis ſumme noxium eſſe poteſt, cum propter damnum, quod datur à tranſeuntibus, tum propter bellum ipſum, quod ſic facile in territorium ipſorum transferri poteſt. *Grot. l. 3. c. 17. §. 3. & l. 1. c. 2. §. 14. n. 4. & ibi not. & ſuprà l. 2. c. 2. quæſt. 32. & ſeqq.*

XI. *An etiam arma hoſtibus vendere poſſunt, & quæ habent tantum neceſſarium uſum in bello?*

℞. Non, quia in exercitu hoſtium cenſetur, qui quæ proprie ad bellum uſui ſunt, hoſtili exercitui ſubminiſtrat, ut alibi diximus. Cæterum proderit, cum utraque parte bellum gerente fœdus miſcere, ita ut cum utriuſque bona vòluntate à bello abſtinere, & communia humanitatis officia utriſque exhibere liceat. *Grot. l. 3. c. 1. §. 5. & ibi not. Text. c. 26. §. 29. aliter.*

XII. *An ad pacem poſſunt inducere partes bellum gerentes?*

Forſtn. ad Tacit. l. 1. Ann. p. 13. Rhet. de pac. c. 4. §. 18. jung. tamen Boecl. d. diſſert. Quies in turb. p. 221.

℞. Sæpe principes bellis feſſi pacem optant, ſed infra dignitatem eſſe exiſtimant, eam ab hoſte petere, & hoc in caſu eorum, qui neutrarum ſunt partium, officium eſt, ut moneant, rogent, imò ſi pars fortior ultra modum debitum vel ſatisfactionem, vel vindictam exigeret, cogant (neceſſitate ita exigente) ut pacem acceptet.

CAPUT XI.

ſeu

CAPUT XVIII. *ap. Grot.*

De his, quæ in bello publico privatim fiunt.

I. *An privatim hoſti nocere liceat.*
II. *Quo jure.*
III. *Quotuplex ſit mandatum de hoſte perſequendo.*
IV. *An civitati ex rebus captis aliquid ſit reddendum.*
V. *Quomodo in rebus hoſtium capiendis contra temperamentum juris naturæ peccetur.*
VI. *An, ubi occaſione belli publici naſcitur bellum privatum, hoſtis læſio ſit juſta.*
VII *Ad quid teneatur miles, qui ſine mandato hoſtibus nocuit.*

I. *An privatim hoſti nocere licet?*

Grot. l. 3. c. 18. §. 1. n. 3.

℞. In bello juſto cuilibet conceſſum eſt ea facere, quæ parti innocenti, intra juſtum bellandi modum, profutura confidit.

II. *Quæ*

II. *Quæ eſt ratio?*

℞. Ratio eſt indictio belli, vi enim conſenſus & mandati generalis, civi hoſtem publicum ubique locorum perſequi, occidere, & bonis exuere permiſſum eſt.

Grot. l. 3. c. 3. § 9. c. 4. §. 3. & 8. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 33. §. 77.

III. *Quotuplex eſt hoc mandatum?*

℞. Duplex, aut generale, aut ſpeciale: generale in declaratione belli, quæ hodie fieri ſolet in Manifeſtis, ut dicuntur: ſpeciale mandatum habere poſſunt non hi tantùm, qui ſtipendia percipiunt, ſed & qui ſuo ſumtu militant, & qui, quod plus eſt, ſuo ſumtu partem belli adminiſtrant, ut qui naves inſtruunt ac ſuſtentant ſuis impendiis, quibus vice mercedis concedi ſolet, ut capta ſua faciant; intra juſtum tamen modum, qui & ab iis obſervari debet, quorum auſpiciis bellum geritur.

Grot. d. c. 18. §. 2,

IV. *Sed an civitati ex rebus captis aliquid reddendum?*

℞. Aut civitas ſpem prædæ, pro compenſatione impenſarum laboris & periculi, expreſſè concedit, tunc civitati nihil erit reddendum, quia hæc ſpes (1.) omnino eſt incerta, & ſicut, ſi nihil cepiſſet, omne damnum ad ipſum pertinuiſſet, ita meritò & omne

Feld. h. c. §. 3. Grot. h. c. 18. §. 3. aliter Kulpis. h. c.

commodum ad ipſum pertineat; (2.) quia periculum vitæ nulla ſpe prædæ æſtimari poteſt, nam vita eſt res inæſtimabilis, & pluris æſtimanda, quàm ipſa libertas. Aut civitas expreſſè partem ſibi ex captis ſtipulatur, tunc hæc ipſi erit reddenda.

Grot. l. 2. c. 24. §. 6. n. 2. & Oſiand. ibi.

V. *Annon peccari interdum poteſt contra temperamentum, quod in rebus capiendis obſervandum?*

d. c. 18. §. 4. & c. 13. §. 4.

℞. Affirmatur, ut ſi appareat, talem prædationem præcipue nocituram, non hoſtium univerſitati aut regi, aut etiam his, qui per ſe ſontes ſunt, ſed innocentibus, & quidem adeò, ut eos detruſura ſit in ſummas calamitates, in quas etiam eos, qui privatim nobis debent, conjicere immiſericordia foret. Quod ſi inſuper iſta deprædatio neque ad finem bello imponendum, neque ad hoſtium publicas vires accidendas notabile aliquod momentum habeat, tum verò probo homine, præſertim Chriſtiano, indignus cenſeri debet quæſtus ex ſola temporum infelicitate.

Ziegl. ad Grot. h. c. §. 4 jung. Grot. l. 2 c. 25. § 9.

VI. *Quid, ſi occaſione belli publici naſcatur bellum privatum?*

℞. Evenit interdum, ut occaſione belli

belli publici naſcatur bellum privatum, puta, ſi quis in hoſtes inciderit, & vitæ aut rerum adeat periculum, quo eventu juſte in hoſtem irruit & quovis modo eum lædit.

Ziegl. h. c. §. 5. Grot. h. c. §. 5. aliter & Kulpis. h.c.

VII. ***An in bello ſolenni miles, vel alius etiam, obligari poteſt, ſi ædificia incenderit, vel alia damna dederit?***

℞. Miles, aut alius, etiam in bello ſolenni, ſi ædificia hoſtium incenderit, agros vaſtaverit, atque id genus dederit damna non juſſus, aut citra neceſſitatem, & ubi juſta cauſa non ſubeſt, tenetur ad damna ea reſarcienda: imo etiamſi juſta ſubſit cauſa, civitati teneri poteſt, cujus leges transgreſſus eſt, licet hoſti non teneatur, cui nullam fecit injuriam. Cæterum videtur hîc Grotius ita militis conſcientiam informare, ut ne milleſimus quidem ſibi hodie perſuaderi patiatur iſtas juris interni regulas.

Grot. l. 3. c. 18. § 6. Kulpis. h.c.

Ziegl. l. 3. c. 18.

CAPUT XII.

ſeu

CAPUT XIX. *ap. Grot.*

De fide inter hoſtes.

I. *Quid*

I Quid hîc ſit fides.
II. Quotuplex ſit.
III. Cur fides hoſti data ſervanda ſit, an etiam latronibus data.
IV. Quid, ſi cum ipſis, ut latronibus, pactum ſit.
V. Quid, ſi deſertoribus aut rebellibus aliquid promiſſum fuerit.
VI. Quid, ſi tertio qui metum non intulit.
VII. Quid, ſi per talia pacta reip. ſtatus mutetur.
VIII. In bello ſolenni promiſſa, an propter metum reſcindi poſſint.
IX. An propter omnem metum, an ob eum tantum, quem jus gentium non improbat.
X. An perfidis fides ſit ſervanda.
XI. An & quot modis fides abſque perfidia frangi poſſit.
XII. Quomodo propter conditionis defectum.
XIII. Quomodo per compenſationem
XIV. An illud, unde bellum ortum eſt, hîc compenſari poſſit.

I. *Quid hîc eſt fides?*

Grot. l. 3. c. 1. §. 1. & c. 19. §. 1.

℞. Fides hîc eſt promiſſio, qua hoſtis hoſti obligatur vel ad dandum, vel ad faciendum ſeu præſtandum.

II. *Quotuplex eſt?*

Grot. l. 3. c. 20. §. 1.

℞. Vel eſt expreſſa, vel tacita. Item vel publica, vel privata.

III. *Cur fides hoſti data eſt ſervanda?*

Feld. ad Grot. h. c. §. 1.

Grot. c. 19. § 1. n. 3. Ziegl. ibi.

℞. Quia promiſſio jus novum hoſti confert. i. e. hoſtis, quoad hanc promiſſionem, à ſtatu diſſolutæ ſocietatis diſcedit, & in ſocietatem redit, ita ut ad jura ſocietatis ipſi præſtanda hoſtis de novo videatur obligatus eſſe. Hinc quamvis, ut hoſti falſa eloqui potuerim, tamen nunc ut homini ſocio non poſ-

poſſum, & promiſſa ſervare cogor. Quo accedit communis utilitas & neceſſitas; ſi enim fidem hoſtibus datam violare pro lubitu liceret, nihil aliud inde ſperandum eſſet, quam perpetua diffidentia, cædes & bellum perpetuum. Et hæc obtinent, etiamſi tyrannis vel latronibus aliquid ſit promiſſum. Homines enim ſunt, & communionem juris naturalis habent, etiam ipſo actu & cum effectu, ſi nobiſcum redeant in ſocietatem, id quod videtur fieri, quoad hanc promiſſionem; & verò juris naturalis eſt pacta ſervare.

Grot. c. 19. § 3. d. c. 19 § 2. n. 2.

IV. *Quid, ſi cum ipſo, ut cum latrone, pactus quis eſſet?*

℞. Quando piratis & prædonibus cum republica ſua, cujus membra fuerunt, aut cum ejus imperantibus negotium eſt tranſactum, reſpublica, quamvis aliàs ſubditis jura quæſita in pœnam auferre poſſit, tamen hoc in caſu videtur ſuum jus remiſiſſe, ne actus in vanum recidat. Quando cum privatis res eſt, e. g. privatus promittit pecuniam, ad redimendam vitam, vel propriam, vel alienam, nullum jus ſibi acquirunt, quia, ut alibi diximus, metus injuſtus tollit in illis facultatem exi-

d. c. 19. § 3.

d. c. 19. § 4. & Puf. l. 3. c. 6. § 11. in med. aliter.

exigendi promiſſum, etiam juratum.

V. *Quid, ſi deſertoribus, aut ſubditis rebellibus, aliquid eſſet promiſſum?*

Grot. d. c. 19. §. 6. & l. 2. c. 18. §. 2. n. 3. & ibi not.

℞. Promiſſum, quod ipſis novum jus tribuit, & propter quod ſuperior pœnam cenſetur remiſiſſe, eſt ſervandum; imò etſi cum iis tantùm ut defectoribus, aliàs contraxerit, non poterit ſine perfidiæ nota promiſſo pœnam opponere. Adde, ſi concedatur, ut propter dominium eminens, iis jus quæſitum in pœnam auferatur, videntur inanes fore omnes tales pactiones; ac proinde belli niſi per victoriam finiendi ſpes nulla. Et cum eminens dominium ſe exſerat, quatenus communiter expedit, in regimine non dominico tantùm, ſed & civili, etiam regio, plerumque communiter expedit, talia pacta ſervari.

VI. *Quid, ſi tertio aliquid promiſſum fuerit, qui metum non intulit?*

d. c. 19 §. 9. aliter.

℞. Si metus ideò ſit incuſſus, ut tertio aliquid daretur aut promitteretur, idem erit dicendum, quod de latrone dictum.

VII. *Quid, ſi de ſtatu puro in mixtum tranſeatur pactis?*

℞. Pacta ſunt ſervanda, ita ut qui ſub-

ſubditi fuerant, incipiant ſummum habere imperium, aut certè partem ejus, etiam cum libertate partis ejus vi tuendæ. d. c. 19. §. 10. jung. l. 2. c. 4. §. 12.

VIII. *Quid, ſi in bello ſolenni aliquid promiſſum ſit, an poteſt reſcindi propter metum?*

℞. Sicut bellum ſolenne habet alia peculiaria, ita & hoc, ut quæ in eo bello, aut ejus finiendi cauſa, promittuntur, adeo ſint valida, ut ex cauſa metus injuſte illati, invito eo, cui promiſſa ſunt, in irritum deduci non poſſint. Aliàs enim talibus bellis, quæ valde ſunt frequentia, nec modus, nec finis potuiſſet imponi, quod tamen fieri intereſt humani generis, propter pacem communem. Licet is, qui ex tali bello injuſto aliquid poſſidet, internâ (ut alibi diximus) juſtitiâ illud retinere non poſſit. d. c. 19. §. 11. & l. 3. c. 3. § 3. 5. & 6. Grot. l. 2. c. 4. §. 9. c. 9. qu. 20.

IX. *Quando metus, qui bello ſolenni infertur, pro juſto habetur, de quo metu hoc eſt intelligendum?*

℞. De eo metu intelligi debet, quem jus gentium non improbat. Nam ſi ſtupri inferendi metu extortum ſit quippiam, aut alio terrore contra datam fidem, verius erit, rem conſtitutam intra d. c. 19. §. 12. Kulpis ibi. jung. c. 4. §. 19. & ibi not.

tra jus naturale, quod obligationem omninò improbat, & jus gentium ad talem metum ſuam vim non porrigit.

X. *An & perfidis fides eſt ſervanda?*

d. c. 19. §. 13. l. 2. c. 11. §. 4. & ibi not. ℞. Affirmatur, quia eo ipſo, dum de novo cum ipſis contraho, ſimul remiſiſſe videor perfidiam, & ex meo promiſſo ſibi jus acquirunt perfectum, quod (ut alibi diximus) adimit particulam libertatis, vel in faciendo vel dando, etiamſi ſint hoſtes perfidi.

XI. *Annon poteſt accidere, ut quis non ſervet, quod promiſit, & tamen à perfidia vacet?*

Grot. d. c. 19. §. 14. ℞. Accidere hoc poteſt duobus modis, defectu ſcilicet conditionis, & per compenſationem.

XII. *Quomodo defectu conditionis?*

d. c. 19. §. 14. Alb. Gent. l. 3. c. 24. Puf. l. 8. c. 9. §. 11. in fin. ℞. Si prior alter non impleverit, quod ex ſua parte implere tenebatur, etiam ad implenda promiſſa non teneor. Nam unius ejuſdemqne contractus capita ſingula alia aliis ineſſe videntur, per modum conditionis, quaſi expreſſum eſſet, hæc ita faciam, ſi & alter faciat, quæ promiſit; & hinc ſi conditio deficiat, eventus oſtendit, nullam eſſe obligationem, ut quæ non niſi ſub conditione contracta erat.

XIII. *Quomodo per compenſationem?*

℞. Quod

℞. Quod promiſimus, poterit non præſtari, ſi non plus valeat, quàm res noſtra, quæ ſine jure eſt penes alterum: vel ſi viciſſim nobis aliquid debeat, ſive alio ex contractu, ſive ex delicto, ut ſi damnum dederit intra induciarum tempus, ſi legatos violarit, aut aliud quid fecerit, quod inter hoſtes jus gentium damnat: dummodo inter eaſdem perſonas fiat compenſatio, nec jus tertii cujusquam lædatur, ita tamen, ut ſubditorum bona, pro eo quod civitas debet, jure gentium obligata intelligantur.

d. c. 19. §. 15. 16. 17. 18. 19. n. 3. Ziegl. b. l. aliter.

XIV. ***An etiam illud, unde bellum eſt ortum?***

℞. Non, ſicut enim inter litigantes compenſari non poteſt, aut actio, de qua lis eſt, aut litis damna & impenſæ, ita nec manente bello compenſari poterit, aut id, unde ortum eſt bellum, aut quicquid bellico jure gentium fieri ſolet. Negotii enim natura, ne nihil actum ſit, oſtendit, conveniſſe ſepoſitis belli controverſiis; nam alioqui nulla eſſet pactio, quæ non poſſet eludi.

d. c. 19. §. 19. in pr. Str. 21. th. 24.

CAPUT XIII.

ſeu

CAPUT XX. *ap. Grot.*

De ſide publica, qua bellum finitur, ubi de pacis pactione, de ſorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obſidibus, pignoribus.

I. *Quid ſit fides publica.*
II. *Quotuplex.*
III. *Quænam ſint principalia in pactionibus bellum finientibus.*
IV. *Quinam pactiones iſtas, quæ bellum finiant, inire poſſint.*
V. *Quales res iſtis pactionibus ſubjiciantur. An rex per eas imperium aut ejus partem alienare poſſit.*
VI. *Quid ad id requiratur, ut vel totum imperium, vel ejus pars, valide alienari poſſit.*
VII. *An & quando bona regni alienari poſſint.*
VIII. *An ſucceſſores ſemper ex promiſſo regis obligentur.*
IX. *Quid rex in res ſingulorum, vi eminentis dominii, ſtatuere poſſit. An damnum in rebus ſubditorum eo jure datum reſarciri debeat.*
X. *An hoc damnum in rebus civis jure belli datum ſit, & ſic ad reliquos cives non pertineat.*
XI. *Quomodo ſint interpretandæ pacis conditiones.*
XII. *Quot modis bellantes, quoad belli juſtitiam, in pacis conditionibus inter ſe quam maxime æquentur.*
XIII. *An in dubio præſumatur conventum, ut res maneant quo ſunt loco.*
XIV. *Quale tempus inſpiciendum ſit, ſi convenerit de reſtituendis omnibus in eum, quo ante bellum fuerant, ſtatum.*
XV. *An ex tali pacto reſtitui debeat populus, qui ſui juris cum eſſet, ſponte ſe alicui ſubjecit.*
XVI. *An damna bello data, ſi de iis nihil convenerit, utrimque remiſſa cenſeantur.*
XVII. *An ea quæ ante bellum debebantur.*
XVIII. *An jus quod ante bellum*

bellum fuit: an pœnæ, ante bellum publicè debitæ, condonatæ cenſeantur.

XIX. *An pœnæ privatis debitæ.*

XX. *Quando tamen, quod ante bellum prætendebatur, remiſſum cenſeatur.*

XXI. *An poſt pacem factam capta reddenda ſint.*

XXII. *Quomodo interpretandæ ſint pactiones de reddendis bello captis.*

XXIII. *An fructus, & à quo tempore percepti, ſimul cum re ſint concedendi.*

XXIV. *Nomina regionum reſtituendarum quomodo ſint accipienda.*

XXV. *An qualitates priori pacto expreſſæ in poſteriori, quod ad prius relationem habet, repetitæ cenſeantur.*

XXVI. *An in pacto de faciendo, pro faciente ſit habendus is qui facere voluit.*

XXVII. *An mora intra breve tempus purgari poſſit.*

XXVIII. *An in dubio interpretatio contra eum, qui conditiones elocutus eſt, fieri debeat.*

XXIX. *Quid ſit ruptura pacis.*

XXX. *Quando & quot modis pax rupta cenſeatur; quomodo pacem rumpere & novam cauſam bello præbere differant.*

XXXI. *Quomodo rumpatur pax, faciendo contra id, quod omni paci ineſt.*

XXXII. *An, ubi ſocii noſtri vim bellicam inferunt, pax rumpatur. Quid, ſi ſubditi noſtri tale quid faciant: quid, ſi eorum factum probaverimus.*

XXXIII. *Quomodo id probatum cenſeatur per ſcientiam noſtram, puniendi potentiam, & neglectum.*

XXXIV. *Quid, ſi ſubditi noſtri aliis bellum gerentibus militent.*

XXXV. *Subditis noſtris vis illata an pacem rumpat.*

XXXVI. *An per pacem liceat ſe ſuaque defendere.*

XXXVII. *An ultionem ſumere, aut ablata per vim recuperare.*

XXXVIII. *Quid, ſi ſint piratæ vel ſimiles, in quos judicium poſtulari non poſſit.*

XXXIX. *Sociis vis illata an pacem rumpat. Quid, ſi in pace nominati non fuerint.*

XL. *Quomodo rumpatur pax faciendo contra id, quod in pace dictum eſt, & an ſemper propterea rumpatur.*

XLI. *Quid, ſi pœna ſit adjecta.*

XLII. *Quid, ſi neceſſitas aliqua conditionum adimpletioni obſtiterit.*

XLIII. *An pax, ab altera parte rupta maneat, ſi læ-*

ſus & innocens id velit.
XLIV. Quomodo pax rumpatur, faciendo id, quod ſpecialis pacis natura repudiat.
XLV. Ex quibus actibus pax, amicitiæ cauſa facta, præſumatur rupta.
XLVI. An & quando belli exitus ſortis aleæ ſubjici poſſit.
XLVII. An condicta certamina ad bellum finiendum permiſſa ſint.
XLVIII. Quorum conſenſus ad tale certamen requiratur.
XLIX. Quis in tali certamine dicatur victus.
L. Quid, ſi victoria à neutro probari poſſit.
LI. Quotuplices ſint arbitri, quorum judicio bellum finiri poteſt.
LII. An à tali arbitrio provocare liceat.
LIII. In quo conſiſtat arbitri officium.
LIV. An arbitrium aliquando ſignificet deditionem puram.
LV. Quale ſit officium victoris in tales deditos. Quid, ſi ſit deditio conditionata.
LVI. Quæ ſint acceſſiones pactionum. Qui obſides dari poſſint.
LVII. Quid ſit obſes.
LVIII. An dominus feudi vaſallum obſidem dare poſſit.
LIX. An civitas damnum obſidi datum repenſare debeat.
LX. An interfici poſſit obſes: an ſervus fiat.
LXI. An ipſi fugere liceat.
LXII. In unam cauſam datus obſes, an in aliam retineri poſſit.
LXIII. An mortuo eo, pro quo obſes datus fuit, liberetur.
LXIV. An rege mortuo, qui fœdus fecit.
LXV. An pignorum eadem ſit ratio, quæ obſidum.
LXVI. An pignus ſemper lui poſſit.

I. *Quid eſt fides publica?*

Grot. L. 3. c. 20. §. 1. ℞. Fides publica eſt fides à perſona publica data.

II. *Quotuplex eſt?*

d. c. §. 2. ℞. Aut eſt expreſſa, aut tacita: utraque aut ſummarum poteſtatum, aut inferiorum. Quæ ſummarum eſt poteſtatum, aut bello finem imponit, aut eo manente vim habet. In his, quæ bel-

bellum finiunt, ſpectantur principalia & acceſſiones.

III. *Quænam ſunt principalia?*

℟. Principalia ſunt ipſa, quæ bellum finiunt, ſive actu ſuo, ut pactiones, ſive ex conſenſu ad aliud relato, ut ſortes, prælii exitus, arbitri pronunciatio: quorum illæ ſeu ſortes merè ſunt fortuitæ, alia duo caſum temperant cum viribus animi, aut corporis, ut prælii exitus: aut cum facultate judicante, ut arbitri pronunciatio. *d. c. 20. §. 1.*

IV. *Quinam poſſunt pactiones inire, quæ bellum finiunt?*

℟. Ii quorum eſt bellum: rei enim ſuæ quiſque eſt moderator. Unde ſequitur, ut in bello utrinque publico hoc eorum ſit, qui ſummi imperii exercendi jus habent. Regis igitur hoc erit in ſtatu verè regio, modò is rex etiam jus habeat non impeditum vel naturali impedimento, quale eſt ætas, quæ judicii maturitatem non habet, (quod in regnis aliquibus lege definitur, alibi ex probabilibus conjecturis, ut ſuprà diximus, erit æſtimandum;) & mentis imminutio: vel morali, ut eſt captivitas, modo regnum ex conſenſu populi ortum habeat; non enim credibile eſt, à populo imperium dela-

Grot. l. 3. c. 20. §. 1. 3. 4. Horn. l. 2. c. 5. §. 6. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 40. §. 1. & 2.

Limn. in not. regn. Gall. c. 8.

 tum

tum ea lege, ut à non libero exerceri poſſit. Ergò & hoc caſu imperii non quidem jus totum, ſed exercitiô & quaſi tutelà, erit penes populum aut eum, cui id rex vel populus commiſerit. De his tamen, quæ privatim ſua ſunt, ſi quid pepigerit rex captivus, ut & de regno patrimoniali, valebit; ita tamen, ut ſi enormiter læſus ſit, poſſit in integrum reſtitui. Idem dicendum de rege, qui exul eſt, ſi obnoxius vivat, nam ſunt & laxæ cuſtodiæ. In procerum aut populi imperio, jus paciſcendi erit penes majorem partem, ita ut etiam eos obligent, qui aliter ſenſerunt. In ſtatu mixto penes eum, cui leges fundamentales hujus juris concedunt exercitium.

Text. c. 20. §. 11. & ſeqq. paulo aliter. Alber. Gent. l. 3. c. 14. p. 595. & ſeqq.

V. *Quæ ſunt res pactioni ſubjectæ?*

℞. Sunt res tam publicæ, quam privatæ. Imperium aut omne aut ejus partem reges, quales nunc ſunt plerique, regnum non habentes in patrimonio, paciſcendo alienare non valent. Imò, antequam regnum accipiant, quo tempore populus tanquam totum, ipſis tanquam partibus adhuc ſuperior eſt, lege publica tales actus in futurum plane irriti reddi poſſunt, propter defectum facultatis, quam talis

d. c. 20. §. 5. Text. c. 20. §. 31. & ſeqq. Inſtr. Pac. art. 10. Conring. de fin. Imp. c. 19. Grot. l. 2. c. 5. §. 23.

lis rex non habuit: obligatur enim, quia per pactum ad eam ſervandam ſe obſtrinxit, adeò ut nec ad id, quod intereſt, ipſius pactum obligationem pariat. Atque id populos voluiſſe credibile eſt, ne alioquin, ſi ad id quod intereſt, ſalva eſſet actio contrahentibus, ſubditorum bona pro debito regis caperentur, ac ſic de non alienando imperio vana eſſet cautio.

VI. *Ut ergò in pactione pacis vel totum imperium, vel pars tranſeat, quid requiritur?*

℞. Si regnum ſit non patrimoniale, requiritur populi conſenſus; & ſi pars alienetur, etiam (ut alibi diximus) ipſius partis, quæ invita à corpore, cui coaluit, avelli nequit. Sed pars ipſa tamen valide in ſe imperium tranſcribet, ſine populi conſenſu, in ſumma atque aliàs inevitabili neceſſitate, quia eam poteſtatem credibile eſt exceptam fuiſſe, cum ſocietas civilis coita eſt.

Grot. d. c. 20. §. 5. l. 2. c. 6. §. 3. & 4. & ibi not. Text. c. 20. §. 35. aliter. l. 2. c. 6. §. 8. in fin. & ibi not.

VII. *Quid dicendum de bonis regni?*

℞. In regno patrimoniali alienari poſſunt, ſecus quàm in non patrimoniali, niſi diſerte id appareat ex primitiva lege aut more, cui contradictum nunquam eſt, ut olim in Impe-

Grot. l. 3. c. 20. §. 5. n. 4. l. 2. c. 6. §. 11. & ibi not. Gabr. de jur. quæſt. non toll. quæſt. 8. aliter. & Text. c. 20. §. 23.

rio Romano-Germanico.

VIII. *An ſucceſſores obligantur ex promiſſo regis?*

Grot. l. 3. c. 20. §. 10. & l. 2. c. 14. §. 7. ℞. Affirmatur, quatenus obligandi poteſtas, ut alibi diximus, ſub imperio comprehenſa eſt.

IX. *Quid in res ſingulorum poſſunt pacis cauſa ſtatuere, qui reges ſunt, nec in res ſubditorum aliud jus habent, quam regium?*

Grot. d. c. 20. §. 7. Boecl. not. Imp. 18. & in Grot. l. 1. c. 1. §. 6. Text. c. 20. §. 28. Inſtr. Pac. art. 11. ℞. Res ſubditorum ſunt ſub eminenti dominio civitatis, ita ut civitas, aut qui civitatis vice fungitur, iis rebus uti, eaſque etiam perdere & alienare poſſit, non tantum ex ſumma neceſſitate, quæ privatis quoque jus aliquod in re aliena concedit, ſed ob publicam utilitatem, cui privatas cedere, illi ipſi voluiſſe cenſendi ſunt, qui in civilem cœtum coiverunt. Sed addendum, ut ſi fieri poſſit, à civitate hoc damnum, quod propter alios ſentiunt, ipſis reſarciatur.

X. *At damnum hoc jure belli datum eſt, & ſic ad civitatem non pertinet?*

d. c. 20. §. 8 & 9. ℞. Jus hoc belli populos alios ſpectat, partim & hoſtes inter ſe, non cives inter ſe, qui cum ſocii ſint, æquum eſt, ut communia habeant damna, quæ ſocie-

ſocietatis cauſa contingunt. Nec intereſt, an res, quæ ipſis eſt ablata, ſit acquiſita ex jure gentium, an ex jure civili; nam dominium, ex qualicunque cauſa ortum ſit, ſuos ſemper habet effectus ex jure naturali: & hinc in omnes æquale eſt jus regis, & ſine cauſa ſubditis auferri non poteſt. Licet autem ad hoc eminentis dominii exercitium juſta cauſa requiratur, externis tamen, qui cum rege contrahunt, nudum regis factum ſufficit, cum ob præſumtionem quam ſecum adfert dignitas perſonæ, tum etiam ob gentium jus, quod bona ſubditorum obligari ex facto regis patitur.

XI. *Quomodo ſunt interpretandæ conditiones pacis?*

℞ Quò quid plus habet favoris, ut alibi dictum, eò laxiùs accipiendum: quò longius abit, eò reſtrictiùs. Hinc ſi jus naturæ merum ſpectemus, maximus favor in eo eſt, ut ſuum quiſque conſequatur, & qui juſta arma habuit, ut id conſequatur, ob quæ arma ſumſit, & damna ſumtuſque recuperet; non item ut vindictæ nomine quicquam lucretur; id enim eſt odioſius. Sin jus gentium ſpectemus, quia ad pacem veniri vix ſolet injuriæ confeſſione, ea ſu-

d. c. 20. §. 11. Alber. Gent. l. 2. c. 4. p. 591. Text. c. 20. §. 40.

ſumitur interpretatio in pactis, quæ partes, quoad belli juſtitiam, quam maximè æquat.

XII. *Quot modis hoc ſolet fieri?*

Grot. d. c. 20. §. 11. n. 2. ℞. Duobus maxime modis: aut ut quarum rerum turbata bello poſſeſſio eſt, ex formula juris antiqui componatur; aut ut res maneant, quo ſunt loco.

XIII. *In dubio quodnam ex his duobus præſumitur?*

d. c. 20 §. 12. Text. c. 20. §. 44. ℞. In dubio magis eſt, ut præſumatur poſterius, quia facilius eſt, & nullam inducit mutationem.

XIV. *Quando poſſeſſio reſtituitur in ſtatum, in quo fuit ante bellum, quale tempus inſpiciendum?*

Grot. d. c. 26. §. 13. & c. 9. §. 6. n. 2. ℞. Ultimum, quod fuit ante bellum; ita ut privatis dejectis interdicto, aut vindicatione, apud judicem experiri liceat.

XV. *Quid, ſi quis ſui juris populus ſponte ſe bellantium alteri ſubjecerit?*

d. c. 20. §. 14. Ziegl. h. c. §. 14. ℞. Ad eum hæc reſtitutio non porrigetur, quia ad ea tantùm pertinet, quæ vi metuve facta ſunt, aut alioqui dolo non niſi in hoſtem licito.

XVI. *Quid, ſi de damnis nihil convenerit?*

℞. Omni

℞. Omni pace id actum cenſeri debet, ut quæ bello data ſunt damna, eorum nomine actio non ſit: quod de damnis, etiam privatim à militibus hoſtis noſtri acceptis, intelligendum eſt; nam & hæc belli ſunt effecta. In dubio enim ita cenſentur contrahere voluiſſe bellantes, ut neuter injuſtitiæ damnaretur.

Grot. d. c. 20. §. 15. Ziegl. h. l. Schutz. vol. 2. Ex. 13. th. 6. Boecl. de amneſt. c. 1. & 2.

XVII. *An ea, quæ cœperunt deberi belli tempore, cenſentur condonata?*

℞. Non, nam hæc non belli jure quæſita ſunt, ſed bello tantùm exigi vetita: itaque ſublato impedimento, vim ſuam retinent.

d. c. 20. §. 16. Habn. ad §. de indaganda, I. P. art. 8.

XVIII. *Quid dicendum de jure, quod ante bellum fuit?*

℞. Jus quod ante bellum fuit, quanquam nemini facile ademtum cenſeri debeat (hanc enim ob cauſam maximè, ut ſua tenerentur, reſpublicæ civitateſque conſtitutæ ſunt) intelligendum id tamen de eo jure, quod ex rerum inæqualitate naſcitur, ſive in dominio, ſive in contractibus, ſive in delictis. De jure ad pœnas & vindictam non æque: nam id jus, quatenus inter ipſos reges aut populos verſatur, remiſſum ideò cenſeri debet, ne pax non ſatis pax ſit, ſi veteres ad bellum cau-

d. c. 20. §. 16. in med. Habn. d. l. Grot. l. 1. c. 2. §. 1. n. 5.

ſas

Mævius & Boxhorn. de Amneſt. in princ. ſas relinquat. Quare & ignorata hîc venient ſub verbis generalibus: nam optimæ ſunt conciliationes, quæ iram & offenſarum memoriam delent.

XIX. *Quid, ſi privati jus ad pœnam ante bellum habuerint?*

Grot. d. c. 20. §. 18. ℞. De privatorum jure ad pœnam non tanta eſt ratio, ut remiſſum cenſeatur, quia ſine bello judiciis expediri poteſt: tamen cum hoc jus non ita noſtrum ſit, ut illud quod ex vera inæqualitate naſcitur, & pœnæ ſemper aliquid odii habeant, levis verborum conjectura ſufficiet, ut hoc quoque donatum intelligatur.

XX. *An jus, quod ex vera inæqualitate naſcitur, & ante bellum fuit, nunquam videtur condonatum?*

d. c. 20. §. 19. Text. c. 23. §. 44. & 45. ℞. In privatorum jure firmè tenendum eſt, quod non cenſeatur ademtum ſeu condonatum: in jure autem regum aut populorum facilius eſt, ut condonatio aliqua intelligatur facta, ſi jus de quo agitur, non liquidum erat, ſed in controverſia poſitum. Benignum enim eſt credere, id actum eſſe, ut belli ſemina evellerentur.

XXI. *Quid juris, ſi poſt perfectas pactiones capta quædam ſint?*

Grot. d. c. 20. §. 20. c. 21. §. 5. l. 2. c. 17. §. 1. ℞. Reddenda eſſe ſatis conſtat: ſublatum

latum enim jam erat belli jus.

XXII. *Quomodo pactiones interpretandæ, quæ ſunt de reddendis his, quæ bello capta ſunt?*

℞. Latiùs ſunt interpretandæ pactiones, quæ mutuæ ſunt, quàm quæ claudicant, quia in illis par eſt utriuſque conditio, ſecus quàm in his. Deinde quæ de hominibus agunt, plus favoris habent, quàm quæ de rebus; & inter eas, quæ de rebus, hæ quæ de agris, plus quàm quæ de rebus mobilibus agunt; & quæ de his, quæ penes publicum ſunt, plus quàm quæ penes privatos; & inter eas, quæ penes privatos ſunt, plus illæ, quæ reddi jubent lucrativo titulo poſſeſſa, quàm oneroſo, ut quæ emtionibus, quæ dotibus tenentur. *d. c. 20. §. 21. Gudel. de pac. c. 5. Schutz. vol. 2. Ex. 13. Rhet. de pac. c. 5. §. 26. Text. c. 20. §. 40. & ſeqq.*

XXIII. *Quid juris eſt de fructibus?* *Grot. d. c. 20. §. 22. Ziegl. h. d. l. aliter.*

℞. Cui pace res conceditur, eidem & fructus conceduntur, à tempore conceſſionis, non retrò: hi enim, ut alibi dictum, pertinent ad poſſeſſorem priorem. *Grot. d. c. 20. §. 23.*

XXIV. *Si regio ſit reſtituenda?* *l. 2. c. 9. §. 11. n. 4.*

℞. Nomina regionum accipienda ſunt ex uſu præſentis temporis, non tam vulgi, quàm peritorum: nam à peritis negotia talia tractari ſolent. *Conring. de fin. Imp. c. 1. & 2. Rhet. de pace, c. 5. §. 14. Schutz. d. Ex. th. 7.*

XXV. *Quid juris, ſi pactio ſe refe-*

rat

rat ad pactionem antecedentem?

Grot. l. 3. d. c. 20. §. 24.

℞. Quoties relatio fit ad pactum antecedens aut vetus, toties repetitæ cenſentur qualitates aut conditiones priori pacto expreſſæ.

XXVI. *Si pactum ſit de faciendo?*

d. c. 20. §. 24.

℞. Pro faciente habendus, qui facere voluit, ſi per alterum, quîcum controverſia eſt, ſtetit quominus fieret.

XXVII. *An mora purgari poteſt intra breve tempus?*

d. c. 20. §. 25. Puf. l. 8. c. 8. §. 4. Ziegl. h. l. aliter. & Schutz. Ex. th. 14. lit. c.

℞. Jure ſtricto non poteſt, niſi improviſa neceſſitas impedimento fuerit.

XXVIII. *Si pacti ſenſus plane dubius ſit?*

d. c. 20. §. 26. Str. Ex. 6. th. 52.

℞. Magis eſt, ut contra eum fiat interpretatio, qui conditiones elocutus eſt, quod eſſe ſolet potentioris. Habet enim, quod ſibi imputet, qui non apertiùs locutus eſt: alter autem, quod plures ſenſus recipit, id ſuo jure accipere poteſt in partem ſibi utiliorem.

XXIX. *Quid eſt ruptura pacis?*

Text. c. 22. §. 1. Schutz. d. Ex. 13. th. 14.

℞. Eſt injuſta contraventio, qua pax ab altera parte violatur.

XXX. *Quando & quot modis pax rupta cenſetur?*

Grot. h. c. 20. §. 27.

℞. Tribus modis, aut faciendo contra

tra id, quod omni paci ineſt, aut contra id, quod in pace dictum eſt apertè, aut contra id, quod ex pacis cujuſque natura debet intelligi. Unde patet differentia inter rumpere pacem & novam cauſam bello præbere: quod magnum uſum habet, tum ad committendam pœnam à peccante, tum ad liberandam in cæteris fidem ejus, in quem peccatum eſt.

XXXI. *Quando fit contra id, quod omni paci ineſt?*

℞. Si vis bellica inferatur, ubi nulla nova ſubeſt cauſa, quæ ſi probabiliter adferri poteſt, ſatius eſt injuſtitiam ſine perfidia, quàm cum perfidia admiſſam credi.

d. c. 20. §. 28. Alber. Gent. l. 3. c. 24. p. 793. Text. c. 22. §. 4. ſeqq.

XXXII. *A quibus illata vis armata pacem ſolvit?*

℞. Si ſocii tale quid fecerunt, rumpunt pacem, ſi manifeſtè appareat, hoc fuiſſe actum: aliàs credi non debet; eſt enim enorme, & communi facientium voto non convenit; ergò in eos, qui vim intulerunt, non autem in eos, qui non adjuverunt, erit belli jus. Si ſubditi quid fecerunt ſine juſſu publico, civitas non tenetur, niſi factum privatorum probaverit: ad quod tria requiruntur, ſcientia, puniendi po-

d. c. 20. §. 29. & 30. Schutz. Ex. 13. th. 14. lit. d. Alber. Gent. l. 3. c. ult. p. 705.

potentia, & neglectus.

XXXIII. *Quomodo hæc tria probantur?*

Grot. d. c. 20. §. 30. l. 2. c. 21. §. 2. & ſeqq.

℞. Scientiam evincunt facta manifeſta & denunciata. Potentia præſumitur, niſi defectio appareat. Neglectum oſtendit elapſum temporis ſpatium, quale in quaque civitate ad crimina punienda ſumi ſolet.

XXXIV. *Quid juris, ſi alicujus ſubditi non per ſe arma moveant, ſed aliis bellum gerentibus militent?*

d. c. 20. §. 31.

℞. Verius eſt, & hoc permittendum non eſſe, niſi probabilibus argumentis appareat actum aliud, ut nunc interdum fieri ſolet.

XXXV. *Quibus illata vis armata pacem rumpit?*

d. c. 20. §. 32. Text. c. 22. §. 14. Schutz. d. Ex. th. 14.

℞. Pax rupta cenſeri debet, non modò, ſi toti corpori civitatis, ſed & ſi ſubditis vis armata inferatur, ſine nova cauſa. Nam, ut omnes ſubditi tuti ſint, pax initur: eſt enim pax actus civitatis pro toto & pro partibus.

XXXVI. *Si cauſa nova ſubſit, an ſe licet defendere?*

d. c. 20. §. 32.

℞. Per pacem licebit ſe ſuaque defendere; naturale enim hoc eſt, arma armis repellere. Ideò abdicatum inter parcs non eſt, ut facilè credatur.

XXXVII.

XXXVII. *An ulciſci licet?*

℞. Ulciſci aut ablata recuperare per vim non licebit, niſi poſtquam judicium erit negatum: hæc enim res moram fert, illa non. d. §. 32.

XXXVIII. *At ſi ſubditorum quorundam ita ſit perpetuum maleficium, ut quod faciunt, id credendi ſint omninò facere rectoribus ſuis improbantibus, & judicium in eos poſtulari non poſſit, ut ſunt piratæ?*

℞. Ab his & res recuperare, & ultionem expoſcere licebit, tanquam à deditis propter delictum. At alios innocentes eo nomine armis impetere, id verò eſt contra pacem. d. c. 20. §. 32. n. 2. l. 2. c. 17. §. 20.

XXXIX. *Quid, ſi vis inferatur ſociis?*

℞. Vis armorum ſociis illata pacem rumpit, ſi in pace comprehenſi ſint, licet ipſi ſocii non pepigerint, ſed alii pro ipſis: modò poſtea pacem ratam habuerint. Aliorum ſociorum, ut & cognatorum & affinium, qui nec ſubditi ſunt, nec in pace nominati, ſeparata cauſa eſt: nec ad pacem ruptam vis in eos trahi poteſt, licet eo nomine ex nova cauſa bellum ſuſcipi poſſit. d. c. 20. §. 33. l. 2. c. 16. §. 13.

XL. *Quomodo rumpitur pax, faciendo contra id, quod in pace di-*

ctum eſt?

Grot. h. c. 23. §. 34. & 35. Schutz. d. Ex. 13. th. 14. lit. e. & f. Text. c. 22. §. 19. in med. & §. 8. & 9.

℞. Rumpitur, ſive faciamus quod non facere debemus, ſive non faciamus, quod & cum oportet: ſive fiat contra capita majoris ſive minoris momenti. Satis enim magna, ut ſerventur, videri debent, quæ pace comprehenſa ſunt. Sed quo magis paci caveatur, conſultum erit, ut capitibus minoris momenti adjiciatur, ut ſi quid adverſus ea factum erit, id pacem non rumpat: aut ut arbitri prius adeantur, quàm arma inferri liceat.

XLI. *An cenſetur hoc actum, ſi pœna ſit adjecta?*

Grot. h. c. 20. §. 36. Puf. l. 8. c. 7. §. 12. in fin.

℞. Videtur hoc actum ob negotii naturam, quamvis interdum poſſit eſſe electio ejus, cui injuria eſt facta, pœnam malit, an à tranſactione recedere.

XLII. *Quid, ſi neceſſitas aliqua in cauſa ſit, quo minus pars una impleat id, quod promiſſum eſt?*

Grot. h. c. 20. §. 37.

℞. Si adſit neceſſitas, puta ſi res perierit, aut ablata ſit, ſine facto ipſius, aut factum redditum ſit alio eventu impoſſibile, pax quidem rupta non cenſebitur, quia non ſolet pendere à conditione caſuali. Sed tamen alter opta-

optabit, an expectare malit, ſi qua ſpes ſit, impleri promiſſum ſeriùs poſſe, an æſtimationem accipere, an verò mutuis præſtationibus iſti capiti reſpondentibus, aut æquum valentibus liberari.

XLIII. *An, poſtquam pax eſt rupta, pars innocens adhuc ſtare poteſt paci?*

℞. Pacem quidem non rumpit, qui pactis ſimpliciter factis poſterior non ſtat; neque enim tenebatur, niſi ſub conditione; interim tamen, poſt læſam fidem, integrum eſt innocenti pacem ſervare, quia contra obligationem faciendo nemo ſe obligatione eximit; & ſi additum ſit, ut tali facto pax rupta habeatur, adjectum id cenſeri debet in commodum innocentis duntaxat, ſi eo uti velit.

Grot. h. c. 20. §. 28. Text. c. 22. §. 25.

XLIV. *Quomodo rumpitur pax faciendo id, quod ſpecialis natura pacis repudiat?*

℞. Si pax ſub lege amicitiæ contracta ſit, rumpitur per ea, quæ fiunt contra amicitiam: quod enim inter cæteros ſolius amicitiæ officium exigeret, hîc etiam pacti jure præſtandum eſt. Sed hîc quoque detrahenda, quantum fieri poteſt, facto invidia. Itaque perſonæ,

Gr t. h. c. 20. §. 40. Alber. Gent. p. 693. Schutz. d. Ex. 13. th. 14. lit. c. in med Grot. h. c. 20. §.

40. n. 2. Text. c. 22. §. 15. Alb. Gent. p. 601. Betlin. de re milit. tr. 10. tit. 2.

ſonæ, quamvis conjunctæ aut ſubditæ facta injuria, ipſi quîcum pax inita eſt, facta non cenſebitur, niſi apertè in ipſius ſugillatiouem facta ſit. Sic adulterium aut ſtuprum libidini potiùs, quam inimicitiæ imputabitur, & invaſio rei alienæ novæ potiùs cupiditatis reum faciet, quàm fidei læſæ.

XLV. *Quinam ergò ſunt actus, ex quibus præſumitur, contra pacem, amicitiæ cauſa contractam, eſſe factum?*

Grot. h. c. 20. §. 40. n. 3. l. 2. c. 2. §. pen. c. 22. §. 5. n. 2.

℞. Varii ſunt; huc referuntur atroces minæ, nulla nova cauſa præcedente, arces in finibus ſtructæ, non tuendi, ſed nocendi cauſa, inſolita copiarum conſcriptio, ſi juſtis ſatis indiciis appareat, in non alium hæc, quàm in eum, quîcum pax facta eſt, comparari. Sic oppida aut magnos cœtus, qui civitatis partem integrantem faciunt, recipere non licet, neque magis eos, qui ex ſacramento, aut aliter, miniſterium au ſervitutem debenr. Subditos tamen ſingulos, qui ex altera ditione in alteram migrare volunt, ſuſcipere, non eſt contra amicitiam: neque enim naturalis tantum, ſed & favorabilis eſt iſta libertas. Huc refertur perfugium exulibus datum; nam in exules nullum jus civitati.

Grot. h. c. 20. §. 41. n. 1. & 2. & l. 2. c. 5. §. 24. Inſt. Jur. Publ. p. 589.

Grot. l. 2. c. 5. §. 25.

XLVI.

XLVI. *Quando ſortis aleæ poteſt ſubjici belli exitus?*

℞. Si vera æſtimatione, qui injuſto bello impetitur, tantô ſit inferior, ut reſiſtendi nulla ſpes ſit, videtur ſors offerri poſſe, ut certum periculum incertô evadat; hoc enim eſt de malis minimum. Aliàs tum demum ſors eſt permiſſa, quoties de re agitur, in quam plenum habemus dominium; quod de ſubditorum vita, pudicitia, libertate & ſimilibus dici non poteſt.

Grot. h. c. 20. §. 42.

XLVII. *An prælia, quæ definito numero condicuntur, belli finiendi cauſa permiſſa ſunt, puta inter ſingulos utrinque, inter binos, inter ternos &c.?*

℞. Certamen tale juſtum ac pium eſt, ſi alioqui omninò expectandum ſit, ut qui injuſtam fovet cauſam, victor ſit futurus, cum magna innocentium ſtrage; tunc enim nihil imputandum eſt ei, qui mavult ea ratione certare, quæ ſpem ipſi maximè probabilem oſtentat.

Grot. h. c. 20. §. 43. Oſiand. hic, & ad l. 2. c. 23. §. 10.

XLVIII. *Ut hæc pactio valeat, quid requiritur?*

℞. In regno non patrimoniali requiritur & populi, & ſi qui nati jus ad ſucceſſionem habent, conſenſus; in re-

Grot. h. c. 20. § 44. Puf. l. 8. c. 8. §. 5. Rhet. de pace c. 4. n. 1.

gno patrimoniali regis, qui ſic in prælii exitum conjicit controverſiam, conſenſus ſufficit. Jus enim ſuum quiſque ſibi adimere poteſt, non autem alterius, ſine ejus conſenſu.

XLIX. *Quis in tali prælio dicitur victus?*

Grot. h. c. 20 §. 45. Puf. d. l. ℞. Victus non poteſt videri, niſi qui aut occubuit, aut in fugam datus eſt. Sic, in fines ſe aut oppida recipere, victi ſigna ſunt. Illa vero, ſpolia legere, cadavera ad ſepulturam concedere, prælio iterum laceſſere &c. per ſe nihil probant, niſi quatenus cum aliis indiciis valent ad docendam hoſtium fugam. Et certè, qui loco ceſſit, in dubio magis eſt, ut fugiſſe credatur.

L. *Quid juris, ſi victoriæ firma non adſint argumenta?*

Grot. d. c. §. 44. n. 3. ℞. Res manet eo loco, quo ante prælium fuit; & aut ad bellum, aut ad novas pactiones veniendum eſt.

LI. *Quotuplices ſunt arbitri, quorum judicio bellum finitur?*

Grot. h. c. 20. §. 46. l. 2. c. 23. § 8. & ibi not. ℞. Arbitrorum duo ſunt genera, unum ejuſmodi, ut ſive æquum, ſive iniquum pronuncient, parere debeamus: quod obſervatur, cum ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt; alterum ejuſmodi, ut ad boni viri arbitrium

trium redigi debeat, & ut fiat conciliator tantùm. Utrovis modo arbiter ſumi poteſt, aut ad bellum evitandum, ut ſuprà diximus, aut ad finiendum; hîc ſumitur ille, cujus dicto parendum omninò ſit.

LII. *An à tali arbitrio provocare licet?*

℞. Non; nulla enim hic eſt poteſtas ſuperior, quæ promiſſi vinculum aut impediat, aut ſolvat. Standum ergò omninò, ſive æquum, ſive iniquum pronunciaverit. Aliud enim eſt de arbitri officio, aliud de compromittentium obligatione quærere.

Grot. h. c. 20. §. 46. n. 2. Puf. l. 5. c. 12. §. 4. & ſeqq.

LIII. *Quodnam eſt officium arbitri?*

℞. Officium arbitri interdum eſt inſtar officii judicis, ut cogatur præciſe ſecundum legem judicare: interdum habet laxiorem poteſtatem, ita ut omne poſſit, quod rectius ſit, quàm non ſit, etiam extra juſtitiæ proprie dictæ regulas. Qui ſummam poteſtatem obtinent, cum judicem communem non habeant, arbitrum cenſendi ſunt adſtrinxiſſe iis regulis, quibus judicis officium adſtringi ſolet. Illud tamen obſervandum eſt, arbitros lectos à populis, aut à ſummis poteſtatibus, de principali negotio pronunciare debere,

Grot. d. c. 20. §. 17. Schutz. vol. 2. Ex. 13. th. 4.

Grot. d. c. §. 48. Boecl. quies in turb. p. 222. & ſeqq.

Ziegl. b. l. aliter. non de poſſeſſione. Et ideô dum cauſa cognoſcitur, nihil eſt innovandum, tum ne præjudicium fiat, tum quia difficilis eſt recuperatio.

LIV. *Eſtne adhuc aliud genus arbitri?*

Grot. d. c. 20. §. 49. & c. 11. §. 18. c. 15. in fin. ℞. Affirmatur, cum quis ipſi hoſti de ſe arbitrium permittit: quæ eſt deditio pura, ſubditum faciens eum, qui ſe dedit; ei verò, cui fit deditio, ſummam deferens poteſtatem. Sed hîc quoque diſtinguendum eſt, quid victus pati debeat, & quid victor jure, quid ſalvo omni officio facere poſſit, quid denique eum maxime deceat. Victus poſt deditionem nihil non patiendum habet: quippe jam ſubditus, & ſi jus belli externum reſpicimus, eo eſt loco, ut ipſi nihil non eripi poſſit, etiam vita, etiam libertas perſonalis, multò magis bona, non publica tantum, ſed & ſingulorum.

LV. *Ne victor quid injuſte faciat, quid ſpectandum?*

Grot. h. c. 20. §. 50. ℞. Spectare primum debet, ne quem occidat, niſi id ſuo facinore meritum: ſic & ne cui quicquam auferat, niſi in juſtam pœnam. Intra hunc autem modum, quantum ſecuritas patitur, ad clementiam & liberalitatem propendere ſem-

ſemper honeſtum eſt, interdum pro circumſtantiis, etiam ex morum regula, neceſſarium. Et huc pertinet illud Senecæ: *clementia liberum arbitrium habet: non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat, & abſolvere illi licet, & quanti vult taxare litem.* Neque refert, an dedens dicat, ſe dedere alterius ſapientiæ, an moderationi, an miſericordiæ, *auff Genad und Ungenad:* hæc enim omnia blandimenta ſunt, res manet, ut victor arbiter fiat. Secus, quam quando deditiones ſunt conditionatæ, quæ aut ſingulis conſulunt (ut quibus vita ſalva, aut corporum libertas, aut quædam bona excipiuntur) aut univerſitati: quarum nonnullæ etiam mixtum quoddam imperium induere poſſunt. *Grot. d. c. §. 51.*

LVI. *Quænam ſunt acceſſiones pactionum?*

℞. Obſides & pignora. Obſides dantur aut ſua voluntate, aut ejus, qui imperium habet: nam in ſummo civili imperio comprehenditur & jus in actiones ſubditorum, ut in bona. Et ſi plures ſint, qui ire poſſunt, danda eſt opera, ut ſorte res dirimatur. *Grot. d. c. §. 52.*

LVII. *Quid eſt obſes?*

℞. Obſes eſt, qui fidei publicæ ſer- *Alber. Gent. p. 394.*

 van-

vandæ cauſa, principi aut duci exercitus datur.

LVIII. *An dominus feudi vaſallum poteſt obſidem dare?*

Grot. b. c. 20. §. 52. in fin.

℞. Si vaſallus idem ſit ſubditus, dominus poteſt, etiam invito vaſallo; ſi non ſit ſubditus, non poteſt; neque enim reverentia, aut obſequium, quæ debet, hucuſque pertingunt.

LIX. *Si obſes aliquod damnum patiatur, quid juris?*

Grot. d. c. §. 52. Puf. l. 8. c. 2. §. 6.

℞. Civitas aut ejus rector tenebitur illud incommodum ei, qui patitur, aut proximis, repenſare.

LX. *An interfici poteſt obſes?*

Grot. b. c. 20. §. 53. c. 4. §. 14. Schutz. Ex. 13. th. 12. lit. g. aliter.

℞. Jure gentium externo poteſt, quia hoſtis manet, & ex ejus civitate; non autem interno, niſi par ipſius culpa accedat. Servi quoque non fiunt: imò & jure gentium bona habere & hæredibus relinquere poſſunt.

LXI. *An fugere obſidi licet?*

Grot. b. c. 20. §. 54. Oſiand. b. l. Gail. de pace publ. l. 2. c. 2. n. 2. aliter.

℞. Non licet, ſi ab initio aut poſteà, quo laxius haberetur, fidem dederit. Alioqui non videtur is animus fuiſſe civitatis, obligandi civem, ne aufugeret, ſed hoſti dandi facultatem, qualis vellet cuſtodiæ.

LXII. *Si obſes ſit datus in unam cauſam, poteritne retineri in aliam?*

℞. Odio-

℟. Odioſa eſt obſidum obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex facto alieno venit. Ideoque ſtricta interpretatio hic locum habet, & in unam cauſam datus, in aliam retineri ut obſes non poteſt. Sed, ſi in alia cauſa fides jam violata ſit, aut contractum debitum, retineri poteſt, non ut obſes, ſed eo gentium jure, quo ſubditi ex facto imperantium detineri poſſunt per androlepſiam: quod ipſum tamen ne fiat, caveri poteſt adjecto pacto de reddendis obſidibus, ubi id, cujus nomine dati erant, impletum fuerit. *Grot. h. c. §. 55.* *Grot. h. c. §. 55. c. 2. §. 3. & 5. Alber. Gent. p. 398. & ſeqq.*

LXIII. *Quid, ſi obſes detur, ut alterum captivum aut obſidem redimat?*

℟. Eo mortuo liberatur: nam in illo, dum moritur, jus pignoris extinctum eſt, ut in captivo redempto. *Grot. h. c. §. 56.*

LXIV. *Rege, qui fœdus fecit, mortuo an adhuc tenetur obſes?*

℟. Si fœdus fuerit reale, obſes adhuc tenetur; ſi fuerit perſonale, non tenetur. Nam acceſſoria non poſſunt efficere, ut in principalium interpretatione à regula recedatur, ſed ejus naturam & ipſa ſequi debent. *Grot. h. c. §. 57. l. 2. c. 16. §. 16. Tabor. de oblig. ſucceſ. c. 5. n. 14. Alber. Gent. p. 399.*

LXV. *An pignorum eadem eſt ratio,*

quæ

quæ obſidum?

Grot. h. c. §. 59. Alber. Gent. d. p. 399. Forſt. ad Tacit. p. 220.

℟. Commune habent cum obſidibus, quod ex alio jam debito retineantur, niſi data fides obſtet: proprium, quod quæ de iis eſt pactio, non tam ſtrictè ſumatur, quam illa de obſidibus; neque enim æquale eſt odium, resquippe natæ ſunt, ut teneantur, non & homines.

LXVI. *An pignus perpetuò poteſt lui?*

Grot. l. c. §. 60. l. 1. c. 4. §. 15.

℟. Multi affirmant, & nullum tempus efficere poſſe putant, ne luitio ſit pignoris, ſi id præſtetur, pro quo pignus ſuppoſitum eſt: niſi certæ conjecturæ aliam interpretationem exprimant; ut ſi quis luere cum vellet, impeditus id ſilentio tranſmiſiſſet tanto tempore, quod ad conſenſus conjecturam ſufficere poſſit.

CAPUT XIV.

ſeu

CAPUT XXI. *ap. Grot.*

De fide manente bello, ubi de induciis, commeatu, captivorum redemtione.

I. *Quid ſint induciæ.*
II. *Quotuplices*
III. *An nova belli indictione opus ſit, tempore induciarum finito.*
IV. *An, ſi pactis tale quid convenerit, & induciæ fuerint longiores, potiùs pax cenſeatur, quam induciæ.*
V. *An dies, induciis adſcriptus, excluſus an compre-*

prehenſus intelligatur.

VI. *A quo tempore induciæ obligare incipiant: an ubique obligent.*

VII. *Quantum per inducias liceat.*

VIII. *An ultrò citròque ire & redire.*

IX. *An, iis durantibus, interius recedere cum exercitu liceat: an mænia reficere & militem conſcribere.*

X. *An, corruptis hoſtium præſidiis, loca invadere.*

XI. *Quid, ſi loca fuerint derelicta.*

XII. *An dimittendus ſit, qui circa induciarum exitum, vi majore retentus, recedere anteà non potuit.*

XIII. *Quot modis finiantur induciæ.*

XIV. *Quomodo violatione: an læſo hoc in caſu liberum ſit, ſtatim ad arma venire.*

XV. *Quid, ſi pœna addita à violante ſoluta ſit.*

XVI. *An per privatorum facta rumpantur induciæ.*

XVII. *An extra inducias ſit jus commeandi, ſeu ſalvi conductus.*

XVIII. *Quid ſit jus commeandi.*

XIX. *Quotuplex.*

XX. *Militibus conceſſus commeatus, an etiam ad duces porrigatur.*

XXI. *An ſub itu etiam comprehendatur reditus.*

XXII. *Qui abire poteſt, an etiam redire, & qui venire, an mittere, vel ſæpiùs venire poſſit.*

XXIII. *Commeatus patri conceſſus, an ad filium extendatur, an ad famulum unum vel alterum.*

XXIV. *An ad bona; an ad comites omnes, vel eos, qui alterius ſunt gentis, in commeatus conceſſione non expreſſæ.*

XXV. *An jus commeandi morte concedentis extinguatur.*

XXVI. *Quid, ſi ad beneplacitum concedentis fuerit conceſſum.*

XXVII. *An leges, quæ captivos redimi vetant, ſemper ſint juſtæ.*

XXVIII. *An jus exigendi à captivo pretium redemtionis in alium tranſcribi poſſit.*

XXIX. *An idem pluribus redemtionis pretium debere poſſit.*

XXX. *An conventio de pretio facta reſcindi poſſit ob ignoratas captivi divitias.*

XXXI. *An pecunia à captivo celata ei prodeſſe poſſit ad redemtionem.*

XXXII. *An pretium conventum, & ante mortem non ſolutum, ab hærede debeatur.*

XXXIII. *An dimiſſus, ut alterum liberet, eo mortuo, nec liberato, in carcerem redire debeat.*

I. *Quid*

I. *Quid ſunt induciæ?*

Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 39. §. 2. in fin. Grot. l. 3. c. 21. §. 1. n. 1. aliter.

℞. Induciæ ſunt ſtatus belligerantium, quo (manente bello) bellicis actibus, ad tempus, ex conventione, abſtinendum eſt.

II. *Quotuplices ſunt?*

Horn. l. 2. c. 5. §. 6. Grot. l. 3. c. 21. §. 1. n. 3. & 4. Alber. Gent. l. 2. c. 12. p. 302. Puf. l. 8. c. 7. §. 4.

℞. Duplices eſſe poſſunt, ſcil. ratione temporis, vel longiores vel breviores. Dari enim poſſunt in horas, in paucos dies, in annos, etiam viginti, triginta, quadraginta, etiam centum; licet hæ longiores induciæ propiùs ad pacem accedant: & in his idem ferè, quod de pacis tempore dictum eſt, valet, non ex vi vocis, ſed mentis certa collectione. Sic etiam ab objecto dividi poſſunt, ut ſi ad certos actus concedantur. Non autem videntur rectè dividi in expreſſas & tacitas: quia licet, tempore induciarum finito, partes ſe invicem non laceſſant, hoc tamen non fit cum mutua obligatione; ſed cuicunque liberum eſt redire ad actus bellicos, quando ipſi viſum fuerit.

Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 39. §. 2. in med. aliter. Ziegl. d. l. §. 3. aliter.

III. *Tempore induciarum finito, an nova opus eſt indictione?*

Grot. h. c. 21. §. 3. Puf. l. 8. c. 7. §. 6.

℞. Non; nam ſublato impedimento temporali, ipſo jure ſe exſerit ſtatus belli, non mortuus, ſed ſopitus, ut domi-

minium & patria poteſtas in eo, qui à furore convaluit: niſi pactis aliter convenerit, & induciæ fuerint longiores; in his enim, ſi non neceſſum, tamen decorum eſt, ut iis elapſis fiat indictio conditionata.

IV. *At hoc in caſu, ubi aliter convenit (quia opus eſt nova indictione) induciæ potiùs ſunt pax?*

℞. Non; quia utrique parti relicta eſt facultas, citra novam cauſam, bellum repetendi, ſecus quàm ubi pax facta eſt.

Grot. h. c. 21. §. 3. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 39. §. 3. in fin. Text. c. 1. §. 19. Cardinal. Mantica Lucubr. Vatic. l. 27. tit. 2. n. 15. aliter.

V. *Utrum, ad quem diem, aut menſem, aut annum, dictum eſt, duraturas inducias, is dies, menſis aut annus excluſus, an comprehenſus intelligitur?*

℞. Magis naturale eſt, ut terminus ſit pars rei, inprimis ubi temporis productio favorem in ſe habet, ut in induciis, quæ humano ſanguini parcunt. Imò, propter eandem rationem, videtur comprehendi etiam dies, à qua incipiunt; nam hæc etiam eſt pars rei, & idem favor militat.

Alber. Gent. l. 2. c. 12. p. 306. Ziegl. ad Grot. l. 3. c. 21. §. 4. Text. c 19. §. 22. Puf. l. 8. c. 7. §. 8.

VI. *A quo tempore induciæ obligant?*

℞. Statim obligant contrahentes, ex quo contractus abſolutus eſt: at ſubditos utrinque obligant cum effectu,

Alber. Gent. d. l. Grot. l. 3. c. 21. §. 4.

ubi

n. 2. & 3. aliter. Grot. h. c. 21. §. 5. Schutz. vol. 2. Ex. 13. th. 16. lit. k. Text. c. 19. §. 20.

ubi publicatæ ſunt, & ad notitiam ſubditorum pervenerunt. Hinc, ſi publicatio uno tantum loco facta ſit, ea non per omnem ditionem eodem modo ſe exſerit, ſed per tempus ſufficiens ad perferendam ad ſingula loca notitiam. Quare, ſi quid interea à ſubditis contra inducias factum fuerit, ipſi quidem à pœnis immunes ſunt, ſed tamen res captæ reſtituendæ ſunt, ſi extent, aut ſi ſint conſumtæ, id quô facti ſunt locupletiores. Cæterùm, licet longiores induciæ regulariter complectantur omnes paciſcentium ditiones, tamen in imperio latè patenti conveniri poteſt, ut certis in locis tantùm induciæ obſerventur, in aliis autem bellum maneat, e. g. populi Europæ, qui in India orientali aut occidentali loca poſſident, inducias facere poſſunt valituras per Europam, non autem in India.

Puf. l. 8. c. 7. §. 3. in fin.

VII. *Quantum licet per inducias?*

℞. Ex ipſa induciarum definitione hoc poteſt intelligi. Illiciti ſunt omnes actus bellici, ſive in perſonas, ſive in res. Etiam res hoſtium, ſi tempore induciarum caſu ad nos perveniant, reddendæ erunt, etiamſi antè noſtræ fuiſſent, quia quod jus externum attinet, ipſorum ſunt factæ:

factæ: & hoc eſt quod dici ſolet, tempore induciarum non eſſe poſtliminium. Et hæc vera ſunt, ſi ſint induciæ illimitatæ, inprimis longiores; ſi enim ſint reſtrictæ, ob ſpecialem conventionem, nihil erit mutandum, ut ſi ſint tantum ſepeliendorum hominum cauſa datæ reliqui actus non ſunt permiſſi: & ſic auxilia & commeatus admittere non licebit, verum intercipi poterunt. Sic ſi obſeſſis induciæ ſint datæ, reliqui, qui extra præſidium ſunt, occidi poterunt. Interdum convenit, ne commeare liceat: interdum perſonis cavetur, non & rebus; quo caſu, ſi ad res defendendas, lædantur perſonæ, nihil contra inducias fiet.

Grot. h. c. 21. §. 6. & Text. c. 19. §. 10. Betlin. de re mil. part. 5. tit. 3.

Puf. l. 8. c. 7. §. 10. in med.

VIII. *An ire & redire ultrò citròque licet?*

Grot. h. c. 21. § 6. n. 3.

℞. Affirmatur, dummodo id fiat eo apparatu, qui periculum nullum oſtentet.

Grot. h. c. 21. §. 7. Alber. Gent. l. 2. c. 13. p. 314. Text. c. 19. §. 11. & ſeqq. Schutz. vol. 2. Ex. 13. th. 16. lit. c.

IX. *An durantibus induciis interiùs recedere cum exercitu licet?*

℞. Interiùs recedere licet, item reficere mœnia, militem conſcribere &c. omnes enim hi actus præparatorii tantùm ſunt futuræ vel defenſionis vel oppugnationis; niſi vel expreſſe con-

venerit, ut omnia in ſtatu ſuo perſiſtant, vel niſi quidam actus expreſſè excipiantur.

X. *An, corruptis hoſtium præſidiis, loca invadere licet?*

Grot. b. c. 21. §. 8. n. 1. Schutz. vol. 2. d. Ex. th. 17. ℞. Non licet: talis enim acquiſitio juſta eſſe non poteſt, niſi ex jure belli. Idem habendum, ſi qui ſubditi ad hoſtem deficere velint.

XI. *Quid, ſi loca fuerint derelicta?*

Grot. b. c. 21. §. 8. n. 2. Alb. Gent. l. 2. c. 13. p. 314. ℞. Occupare licet derelicta, dum verè derelicta ſint, i. e. eo animo, ne ampliùs ſint, quorum fuerant: non ſi incuſtodita, ſive cuſtodia ante inducias, ſive factis induciis omiſſa ſit. Dominium enim manens injuſtam facit alterius poſſeſſionem.

XII. *Finitis induciis, ſi quis vi majore impeditus recedere non potuerit, atque deprehenditur intra fines hoſticos, an adhuc habet jus redeundi?*

Grot. b. c. 21. §. 9. c. 4. §. 6. c. 9. §. 4. n. 3. Alb. Gent. p. 310. Bodin. de rep. l. 5. in fin. Alb. Gent. p. 310. ℞. Si jus externum gentium reſpiciamus, par eſt ejus conditio ei, qui cum in pace veniſſet, bello repente exorto, inter hoſtes fato ſuo deprehenditur. Internum verò ſi conſideremus, ſeu temperatum ex æquitate (quia non fecit contra inducias, dum caſu, puta per valetudinem, per adverſam maris tem-

tempeſtatem &c. eſt impeditus, & per eum non ſtetit, quo minus ſecundum conventionem abiret) redeundi facultas ipſi eſt concedenda, multò minùs occidi poteſt.

XIII. *Quot modis finiuntur induciæ?*

℞. Quatuor modis, 1. contraria pactione. 2. ceſſione diei aut temporis in induciis præfiniti. 3. abſoluto actu, ad quem conceſſæ. 4. violatione.

Grot. l. 3. c. 21. §. 6. n. 2. Bart. ad l. 15. de publ. aliter. Text. c. 19. §. 31. & ſeqq.

XIV. *Quomodo violatione?*

℞. Qui durantibus induciis hoſtem laceſſit, i. e. violentas belli functiones, quæque his æquiparantur, doloſas exercet, vel contra perſonas, vel contra res hoſtiles, inducias violat; & quin læſo liberum ſit, etiam ſine indictione, ad arma venire, fruſtra dubitatur, etiam in induciis horariis. Nam capita conventionis inſunt conventioni per modum conditionis: quanquam etiam, ſi læſus velit, ad induciarum terminum uſque quieſcere poſſit.

Grot. h. c. 21. §. 11. c. 19. §. 14. c. 20. §. 36. & 38. Alber. Gent. l. 2. c. 12. p. 308. Mynſ. l. 4. obſ. 7. aliter. quem refutat. Schutz. d. vol. 2. Ex. 13. th. 17. lit. c. Puf. l. 8. c. 7. §. 12.

XV. *Quid, ſi pœna addita, eaque petita & ſoluta ſit?*

℞. Si pœna conventa poſcatur & perſolvatur ab eo, qui contrà fecit, jam bellandi jus non eſt: ideò enim pœna ſolvitur, ut cætera ſalva maneant. Contrà, ſi læſus bellum moveat, à pœ-

Grot. h. c. 21. §. 12. & c. 20. §. 36. & ibi not. Puf. l. 8. c. 7. §. 12. in fin.

na receſſiſſe intelligitur: id quod inprimis accidit, ubi læſo optio relinquitur; quod tamen regulariter non ſolet fieri, ut neglectà pœnâ, aliquis ſtatim ad arma recurrat.

XVI. *An rumpuntur induciæ, ſi privati contrà faciant?*

Grot. l. c. 21. §. 13. & c. 20. §. 30.

℞. Non, niſi publicus actus accedat, puta imperii aut ratihabitionis, quæ etiam intelligitur, ſi qui deliquerint, nec puniantur, nec dedantur, ſi non reddantur res.

XVII. *An extra inducias eſt jus commeandi, ſeu ſalvi conductus?*

Grot. l. c. 21. §. 14. Alber. Gent. l. 2. c. 14. p. 163.

℞. Non, ſed eſt privilegium quoddam: quare in ejus interpretatione ſequenda ſunt, quæ de privilegiis traduntur. Eſt autem hoc privilegium neque tertio noxium, neque danti admodum grave: ideò intra verborum proprietatem laxa magis, quam ſtricta admittenda eſt.

XVIII. *Quid eſt jus commeandi, vel ſalvi conductus?*

Becht. de ſecur. & ſalv. cond. c. 1 §. 16. Magalot. de ſalv. cond. in pr. aliter.

℞. Jus commeandi, vel ſalvus conductus, eſt juſtum ſeu perfectum immunitatis ab offenſione, damno, vel inquietatione præſidium.

XIX. *Quotuplex eſt?*

℞. Vel univerſalis, vel particularis, qui

qui certis perſonis vel rebus conceditur. *Becht. d.tr. c. 3. §. 32.*

XX. ***Si militibus concedatur commeatus, quinam intelliguntur nomine militum?***

℞. Intelliguntur non tantùm gregarii, verum etiam medii & ſummi duces, quia verbi proprietas admittit eam ſignificationem: quanquam eſt & alia ſtrictior. *Grot. h. c. 21. §. 15. Alber. Gent. p. 320. in fin. aliter.*

XXI. ***Quid in ſalvo conductu comprehenditur ſub itu?***

℞. In itu cautum & de reditu cenſetur, ut abſurdum vitetur; nam niſi tutus eſſet receſſus, videretur petiiſſe itum, ut veniret in poteſtatem hoſtium: quod eſt ridiculum & improbum. Imò, ſicut is ante ſalvum conductum poterat offendi ubique, ſic eo dato nullibi, ne quidem in proprio vel alieno territorio, ubi tranſit, offendi poteſt. Et abitus tutus intelligendus eſt, uſquedum eò pervenerit, ubi tutus ſit. *Grot. h. c. §. 16. & 22. Alb. Gent. p. 318. Becht. de ſecur. & ſalv. cond. c. 4. th. 87.*

XXII. ***An is, cui abire datum, redire poteſt?***

℞. Non; ſed nec is cui venire conceſſum eſt, mittere poteſt, non contrà. Sunt enim hæc diverſa, nec extra verba exſpatiari ratio cogit: ita tamen, ut *Grot. h. c. §. 16. n. 2. Alber. Gent. p. 319. & 320.*

error excuſet à pœna. Sed & is, cui venire permiſſum eſt, ſemel veniet: niſi temporis adjectio, intra quod ſæpiùs abire & redire poteſt, aliam ſuppeditet conjecturam.

XXIII. *An patrem filius ſequitur, virum uxor?*

Grot. *h. c.* §. 17.

℟. Non; aliter quàm in jure commorandi. Nam morari ſolemus cum familia, peregrinari ſine ea. Famulus tamen unus aut alter, etiamſi expreſſus non ſit, comprehenſus cenſebitur in eo, quem ſine tali comitatu ire, indecorum foret. Nam qui aliquid concedit, concedit ſimul quæ neceſſariò ſequuntur: neceſſitas autem hîc moraliter intelligenda eſt.

Boecl. *conductor. Carol. p.* 17. & 24.

XXIV. *Quid dicendum de bonis & comitibus?*

Grot. *h. c.* §. 18. 19. Ab. Gent. p. 325.

℟. Non comprehenduntur hîc quævis bona, ſed quæ ſolita ſunt ad iter aſſumi. Expreſſo comitum nomine, non ſunt intelligendi hi, quorum cauſa magis eſt odioſa, quàm ipſius, cui proſpicitur, tales ſunt piratæ, latrones, transfugæ, deſertores. Gentis expreſſum nomen in comitibus ſatis oſtendit, facultatem ad alios non porrigi; ſic conceſſo pro Germanis ſalvo conductu, Galli duci non poſſunt.

XXV.

XXV. *Si is qui conceſſit ſalvum conductum, moriatur, an hic quoque exſpirat?*

℟. Non, quia hæc conceſſio venit ex vi poteſtatis, quæ tranſit in ſucceſſores regulariter. Nam interdum, ſi utilitas publica aliud ſuadeat, vel commeatus ſine probabili & juſta ratione fuerit conceſſus, is expirat vel potius revocatur. Grot. h.c. c.21. §.20. Oſiand. h.l.

XXVI. *Quid, ſi ſalvus conductus ad beneplacitum concedentis, ſeu quamdiu voluerit, fuerit conceſſus?*

℟. Durat hoc beneficium, etiamſi novus actus volendi non intercedat; ſecus eſt, ſi is qui conceſſit, deſierit poſſe velle: quod per mortem contingit. Grot. h.c. 21. §. 21.

XXVII. *An leges quæ captivos redimi vetant, ſemper ſunt juſtæ?*

℟. Non ſunt juſtæ, niſi appareat opus eſſe tali rigore, ut majora, aut plura mala, alioqui moraliter inevitabilia, caveantur; tunc enim captivi ſuam ſortem patienter ferant. Aliàs captivorum redemtio multum habet favoris, maximè apud Chriſtianos, quibus lex divina hoc miſericordiæ genus peculiariter commendat. Grot. h.c. 21. §. 23. Oſiand. h.l.

XXVIII. *An jus exigendi pretium redemtionis poteſt in alium transſcribi?*

Grot. h. c. §. 25. c. 18. §. 53. aliter.

℞. Affirmatur, quia natura patitur, ut incorporalia alienari poſſint.

XXIX. *Poteſtne pretium redemtionis pluribus deberi?*

Grot. h. c. §. 26. Alber. Gent. d. l.

℞. Ita: ſcilicet, ſi ab uno dimiſſus, pretio nondum ſoluto, captus ſit ab alio; ſunt enim diverſa hæc debita ex diverſis cauſis.

XXX. *An conventio de pretio facta reſcindi poteſt, ideò quod captus nunc intelligatur locupletior, quàm primùm credebatur?*

Grot. h. c. §. 27. l. 2. c. 12. §. 8.

℞. Non, quia jure gentium externo nemo cogitur ſupplere id, quod in contractu minus æquô promiſit pretiô, ſi dolus non interceſſit.

XXXI. *Si captus pecuniam aliquam celaverit, an ei hæc prodeſſe poteſt ad pretium redemtionis?*

Ziegl. h. c. §. 8. Grot. l. 3. c. 9. §. 4. n. 2. & 3. & h. c. §. 28. aliter. Puf. l. 8. c. 7. §. 14. in fin. Alber. Gent. p. 337. aliter.

℞. Non, quia ſimul cum perſona capta intelliguntur ea, quæ penes perſonam deprehenduntur. Imò & ea, quæ captus alibi habet, apud eos ſcil. qui ſunt neutrarum partium: & victor ſtatuit, ut vult.

XXXII. *An pretium conventum, & ante*

ante mortem non ſolutum, ab hærede debetur?

℞. Si captivus in carcere mortuus ſit, non debetur; promiſſioni enim inerat conditio, ſi liberaretur: mortuus autem non liberatur. Niſi convenerit, ut ab ipſo contractus momento purè debeatur pretium, & captivus tantùm retineatur, non jam ut jure belli captus, ſed ut â ſe oppignoratus. Sin mortuus ſit, cum in libertate eſſet, debetur: jam enim lucratus eſt id, pro quo promiſſum eſt pretium.

Grot. h. c. §. 29. Alber. Gent. p. 336. Text. c. 18. §. 51. Gl. ad l. 15. de capt. aliter.

XXXIII. *An in carcerem redire debet is, qui dimiſſus eſt ſub pacto, ut faceret dimitti alterum, qui factum morte prævenit?*

℞. Non tenebitur quidem dimiſſus reddere ſe cuſtodiæ; neque enim id conventum fuit, neque tacitè hoc actum intelligi patitur favor libertatis: neque tamen debebit lucrifacere libertatem, ſed ejus quod præſtare non poteſt, æſtimationem præſtabit. Nam in promiſſis oneroſis non ſufficit facere quantum quis poteſt, ſed obligatur quis ad id, quod tantundem valet.

Grot. h. c. §. 30. Kulpis. h. c.

CAPUT XV.

ſeu

CAPUT XXII. *ap. Grot.*

De fide minorum poteſtatum in bello.

I. *Quinam nomine minorum poteſtatum in bello veniant.*
II. *Quot modis eorum promiſſa conſiderari poſſint.*
III. *Quando per pactionem ſuam ſummam poteſtatem obligent.*
IV. *Quid, ſi conditiones in mandato expreſſas non obſervaverint.*
V. *Quid, ſi fines mandati exceſſerint.*
VI. *An tali in caſu pars altera obligetur.*
VII. *An inferiores ſuos obligare poſſint.*
VIII. *An de belli cauſis tranſigere, & pacem facere.*
IX. *An inducias dare.*
X. *An homines, agros, imperia, bello quæſita, concedere & alienare.*
XI. *An nondum quæſita condonare.*
XII. *Hæc ducum pacta, an ſtrictè ſint interpretanda.*
XIII. *Quomodo interpretanda ſit deditio purè à duce accepta.*
XIV. *Quid, ſi ſub cautione ratihabitionis deditio fuerit accepta.*
XV. *An obſeſſi, ſi oppidum ſimpliciter tradere promiſerint, præſidium ante deditionem dimittere poſſint.*

I. *Quænam ſunt minores poteſtates in bello?*

Grot. l. 3. c. 22. §. 1. l. 1. c. 3. §. 4. n. 2. c. 4. §. 4. n. 1.

℞. Minores poteſtates ſunt omnes, quorum poteſtas pendet ab eo, cujus auſpiciis bellum geritur; ſive ſint ſummis proximi, quales ſunt duces excellenter dicti, ſive longiùs remoti.

II. *Quot modis poſſunt conſiderari horum promiſſa?*

℞.

℞. Duobus, nam aut hoc quæritur, an ſummam poteſtatem obligent, aut hoc, an ſe ipſos obligent. Grot. h. c. 22. §. 2.

III. *Quando obligant ſummam poteſtatem?*

℞. Obligant ſummam poteſtatem (1.) quando faciunt id, quod probabiliter ipſorum officio contineri cenſetur; (2.) aut etiam extra illud, ex ſpeciali propoſitione notâ publicè, aut iis, quorum res agitur; (3.) per conſenſum ſubſequentem, quando ſumma poteſtas vel expreſſè ratum habet, quod geſſerunt, vel tacitè, ubi ſcivit ſumma poteſtas, quod actum erat, & fieri paſſa eſt, quæ ad aliam cauſam referri probabiliter non poſſunt; (4.) per rem, in quantum quis ſit locupletior ex ipſorum facto. Hinc ab injuſtitia excuſari non poſſunt, qui pacta improbant, & tamen retinent, quod ſine pactis non haberent. Nemo enim cum damno alterius locupletari debet. d. c. 22. §. 2. h. c. §. 3. & c. 20. §. 30. l. 2. c. 10. §. 2.

IV. *An, ſi habet mandatum, præciſè debemus ſequi conditiones in mandato comprehenſas?*

℞. Affirmatur; nam ſi quis ſub certa lege, vel interventu cujuſdam perſonæ contrahi voluit, æquiſſimum eſt, id ſervari, cui fuit præpoſitus; idque ſuf- h. c. 22. §. 4. l. 2. c. 11. §. 12. & 13. Puf. l. 3. c. 9. §. 2.

ſufficit etiam ad hoc, ut alius obligetur, licet habeat mandata arcana, ut alibi diximus. Cui conſequens eſt, ut alii reges aut populi magis, alii minùs, ex ducum ſuorum contractibus teneri poſſint, ſi ſatis notæ ſint ipſorum leges atque inſtituta. De his ſi non conſtet, conceſſum intelligitur id, ſine quo ſatis commodè ea, quæ officii ſunt, expediri non poſſunt.

Ruber. p. 167. in fin.

V. *Quid, ſi fines mandati exceſſerit minor poteſtas?*

Grot. h. c. §. 4. n. 3. l. 2. c. 15. §. 16. & ibi not.

R. Tenebitur ipſa, ſi id quod promiſit, præſtare non poteſt, ad æſtimationem: niſi lex aliqua ſatis cognita id quoque impediat. Quod ſi dolus acceſſerit, i. e. ſi prætulerit jus majus, quam habebat, jam tenebitur de damno culpa dato, imo & ex crimine ad pœnam crimini reſpondentem.

VI. *An ſemper obligatur is, qui cum minoribus poteſtatibus contrahit?*

Grot. h. c. §. 5. jung. §. 3. h. c. in fin. l. 5. pr. D. de auctor. tut.

R. Quia ſemper aut ſumma poteſtas obligatur, aut miniſter ejus, certum eſt, & partem alteram obligari, & contractum claudicare non poſſe.

VII. *An inferiores poteſtates obligare poſſunt?*

Grot. h. c. §. 6.

R. Non dubitandum, quin dux milites, magiſtratus oppidanos obligent,

intra

tra eos actus, qui ſolent ab ipſis imperari; id enim in poteſtate ipſorum comprehenſum eſt.

VIII. *An dux belli poteſt tranſigere de cauſis belli & conſequentibus, & pacem facere?*

℞. Non; neque enim belli gerendi pars eſt bellum finire. Imò, etſi cum maxima poteſtate præpoſitus fuerit, ea tamen de ſolo belli ductu intelligenda erit. Et eorum tantùm eſt bellum finire, ut alibi diximus, quorum eſt bellum.

Grot. h. c. §. 7. l. 1. c. 3. §. 5. n. 3. & ibi not. l. 2. c. 11. §. 12. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 40. §. 2.

IX. *Poteſtne inducias dare?*

℞. Inducias dare ducum eſt, nec ſummorum tantùm, ſed & minorum, iis nempe, quos oppugnant aut obſeſſos tenent, & ſe ſuaſque copias quod attinet. Et ſic particulares & brevioris temporis, puta in horas aut dies aliquot dabunt: nam adminiſtrationi militari creditur ineſſe hæc quietis imago. Univerſales autem inducias, in aliquot menſes aut annos porrectas, cum ad pacem propiùs accedant (pax enim non ſunt, quia omnis pax, ex voto paciſcentium, debet eſſe perpetua) majeſtati ſoli competere verius eſt; adeò ut, ſi de facto Dux longiores concedat, reſcindendæ ſint.

Grot. h. c. §. 8. Alb. Gent. l. 2. c. 12. p. 305. in med. Frid. Horn. l. 2. c. 5. §. 6. Baud. de Ind. Belg. l. 1. & 2. Ziegl. de jur. maj. l. 1. c. 39. §. 5. Rhet. de pace, §. 12. & 13.

X.

X. *An homines, imperia, agros, bello quæſita concedere poteſt?*

Grot. h. c. §. 9. & c. 6. §. 11. 15. ſeqq.

℞. Non, nam & hæc ad eum pertinent, ad quem bellum pertinet, & quamvis ducibus concedatur aliquod jus in præda, tamen hoc non competit ex vi poteſtatis, ſed ex cujuſque populi moribus.

XI. *Quid de nondum quæſitis dicendum?*

Grot. h. c. §. 9. n. 2. c. 6. §. 15.

℞. Nondum quæſita condonare omninò in ducum eſt poteſtate, quia oppida pleraque & homines ſæpe in bello ſe dedunt ſub conditionibus vitæ ſalvæ, aut libertatis, aut bonorum, de quibus ſummæ poteſtatis arbitrium exquiri res plerumque non patitur. Pari ratione, jus hoc & ducibus non ſummis dandum eſt intra ea, quæ ipſis agenda commiſſa ſunt.

XII. *Hæc ducum pacta quomodo ſunt interpretanda?*

Grot. h. c. §. 10.

℞. Quia de re agunt aliena; quatenus contractûs natura patitur, adſtringenda eſt interpretatio, nempe ne aut ex ipſorum facto ſumma poteſtas plus, quam vellet, obligetur, aut ipſi Duces damnum ſubeant officium faciendo.

XIII. *Si in deditionem puram quis à duce ſit acceptus?*

℞.

℞. Hoc ſic eſt interpretandum, ut cenſeatur eo jure acceptus, quo de ipſo victoris populi aut regis arbitrium ſit. Grot. b. c. §. 11. c. 4. §. 12.

XIV. *Quid, ſi adjecta ſit clauſula, ita ratum eſto, ſi majeſtas cenſuiſſet?*

℞. Hæc clauſula efficiet, ut ratihabitione non ſecuta, dux in nihil ipſe teneatur, niſi ſi qua re locupletior factus ſit, ut ſi aliquid accepiſſet, quod aliàs non accepiſſet. Grot. b. c. §. 12. l. 2. c. 15. §. 3.

XV. *Si obſeſſi oppidum tradere promiſerunt, quomodo hoc interpretandum?*

℞. Poſſunt præſidium dimittere, & oppidum tradere. Grot. b. c. §. 13.

CAPUT XVI.

ſeu

CAPUT XXIII. *ap. Grot.*

I. *An privati fide hoſti data obſtringantur.*
II. *Quouſque privatorum in paciſcendo cum hoſte poteſtas ſe extendat.*
III. *An talia pacta in ſumma neceſſitate, & ut evitetur majus malum, permiſſa cenſeantur.*
IV. *An lex ea ſemper prohibere poſſit.*
V. *An privatorum actus, ubi juſta eſt prohibitio, irriti ſint.*
VI. *An valeat promiſſio captivi de redeundo in carcerem, vel quod contra victorem nunquam militare velit.*
VII. *An fugere poſſit, ubi contrarium promiſit.*
VIII. *An alteri ſe dedere.*
IX. *An privati à ſuo magiſtratu cogi poſſint, ut hoſtibus promiſſa impleant.*
X. *Quomodo hæc pacta ſint interpretanda.*

I. *An*

I. *An privati fide hoſti data obligantur?*

Grot. l. 3. c. 23. §. 1. & 2. jung. ſuprà l. 2. c. 11. quæſt. 17.

℞. Affirmatur: neç admittenda eſt opinio eorum, qui ſtatuunt, pacta publicè cum hoſtibus inita, fidem adſtringere, non verò ea quæ à privatis fiunt. Nam, cum privati jura privata habeant, quæ obligare poſſunt, & hoſtes capaces ſint acquirendi juris, nihil eſt quod obligationem impediat. Huc accedit, quod niſi id ſtatuatur, detur cædibus occaſio, & libertati impedimentum. Sic & latroni & piratæ data privatim fides obligat.

II. *Quouſque privatorum in paciſcendo cum hoſte poteſtas ſe extendit?*

Grot. d. c. 23. §. 5.

℞. Difficilis inſpectio eſt. Quod publicum eſt, à privato alienari non poſſe, ſatis conſtat. Nam, ſi ne ducibus quidem belli id permiſſum ſit, ut modò diximus, multò minus privatis. Pacta etiam, de ipſorum actionibus & rebus, videntur illicita civibus, propter indictionem belli, & ob civitatis ſupereminens dominium in rebus ipſorum: militibus verò conductis, ob fidem ſacramento datam.

Grot. l 3. c. 3. c. 9. l. 1. c. 1. § 9.

III. *Quid, ſi ſit ſumma neceſſitas, & ut evitetur majus malum?*

℞. Ea pacta, quæ majus malum aut cer-

certius evitant, e. g. tributa hoſtibus promiſſa ad redimenda incendia & vaſtationes, magis utilia, quam damnoſa, etiam publico, cenſeri debent, & permiſſa eſſe videntur. Grot. l.3.c. 23. §.5.n. 2.l. 1. c.4. §.7. & ibi not.

IV. *Annon lex hanc poteſtatem ſubditis adimere poteſt?*

℞. Lex quidem poteſt adimere ſubditis, aut perpetuis, aut temporariis hanc poteſtatem, ſed nec lex hoc ſemper facit: parcit enim civibus; neque ſemper hoc facere poteſt. Nam leges humanæ vim obligandi tum demum habent, ſi latæ ſint ad humanum modum, non ſi onus injungant, quod à ratione & natura planè abhorreat, e. g. ſi prohibeatur, ne hoſtibus tributa ſolvantur, ubi dominus territorii nullo modo ſubditos à vi hoſtili tueri poteſt. Grot. h. c. 23. §.5. n. 3. l. 2. c. 13. §.20.

V. *Quid, ſi actus, qui lege aut præcepto interdictus erat, & valere vetitus, interdici æquo jure potuit, e. g. commercia, ne arma, equi, frumentum &c. hoſtibus vendantur?*

℞. Jam irritus erit actus privati, & puniri poterit, quia promiſit id, quod ſui juris non erat, maximè, ſi contra præſtitum juramentum hoc fecerit. Grot. h. c. 23. §.5. n. 4. l. 1. c. 3. §. 16. n. 2. l. 2. c. 5. §. 10.

VI. *Promiſſio captivi de redeundo in*

I. *An privati fide hoſti data obligantur?*

Grot. l. 3. c. 13. §. 1. & 2. jung. ſuprà l. 2. c. 11. quæſt. 17.

℞. Affirmatur: neç admittenda eſt opinio eorum, qui ſtatuunt, pacta publicè cum hoſtibus inita, fidem adſtringere, non verò ea quæ à privatis fiunt. Nam, cum privati jura privata habeant, quæ obligare poſſunt, & hoſtes capaces ſint acquirendi juris, nihil eſt quod obligationem impediat. Huc accedit, quod niſi id ſtatuatur, detur cædibus occaſio, & libertati impedimentum. Sic & latroni & piratæ data privatim fides obligat.

II. *Quouſque privatorum in paciſcendo cum hoſte poteſtas ſe extendit?*

Grot. d. c. 23. §. 5.

℞. Difficilis inſpectio eſt. Quod publicum eſt, à privato alienari non poſſe, ſatis conſtat. Nam, ſi ne ducibus quidem belli id permiſſum ſit, ut modò diximus, multò minus privatis. Pacta etiam, de ipſorum actionibus & rebus, videntur illicita civibus, propter indictionem belli, & ob civitatis ſupereminens dominium in rebus ipſorum: militibus verò conductis, ob fidem ſacramento datam.

Grot. l 3. c. 3. c. 9. l. 1. c. 1. § 9.

III. *Quid, ſi ſit ſumma neceſſitas, & ut evitetur majus malum?*

℞. Ea pacta, quæ majus malum aut cer-

certius evitant, e. g. tributa hoſtibus promiſſa ad redimenda incendia & vaſtationes, magis utilia, quam damnoſa, etiam publico, cenſeri debent, & permiſſa eſſe videntur.

Grot. l. 3. c. 23. §. 5. n. 2. l. 1. c. 4. §. 7. & ibi not.

IV. *Annon lex hanc poteſtatem ſubditis adimere poteſt?*

℞. Lex quidem poteſt adimere ſubditis, aut perpetuis, aut temporariis hanc poteſtatem, ſed nec lex hoc ſemper facit: parcit enim civibus; neque ſemper hoc facere poteſt. Nam leges humanæ vim obligandi tum demum habent, ſi latæ ſint ad humanum modum, non ſi onus injungant, quod à ratione & natura planè abhorreat, e. g. ſi prohibeatur, ne hoſtibus tributa ſolvantur, ubi dominus territorii nullo modo ſubditos à vi hoſtili tueri poteſt.

Grot. h. c. 23. §. 5. n. 3. l. 2. c. 13. §. 20.

V. *Quid, ſi actus, qui lege aut præcepto interdictus erat, & valere vetitus, interdici æquo jure potuit, e. g. commercia, ne arma, equi, frumentum &c. hoſtibus vendantur?*

℞. Jam irritus erit actus privati, & puniri poterit, quia promiſit id, quod ſui juris non erat, maximè, ſi contra præſtitum juramentum hoc fecerit.

Grot. h. c. 23. §. 5. n. 4. l. 1. c. 3. §. 16. n. 2. l. 2. c. 5. §. 10.

VI. *Promiſſio captivi de redeundo in*

carcerem an toleratur?

Grot. h. c. §. 7. Alb. Gent. p. 295. & 299. Puf. l. 8. c. 2. §. 2.

℞. Affirmatur, quia nec civitatis nec captivi reddit conditionem deteriorem. Item valet pactum, ne quis in certum locum redeat, ne adverſus eum, qui ipſum in poteſtate habuit & dimiſit, militet. Nam & hic patriæ cauſa non fit deterior, cui is, qui captus eſt, ni liberetur, jam periiſſe cenſendus eſt. Niſi tamen ſalus publica omninò id poſtulet, & civitas in manifeſto verſetur periculo, ni iſte quoque arma capiat, ut alibi diximus.

VII. *Si promiſerit, quod non velit fugere?*

Grot. h. c. §. 8. l. 2. c. 17. §. 19. Alber. Gent. p. 595. & 599.

℞. Tenet hoc eum, etiamſi vinctus promiſerit, quia hæc vis eſt licita, & ſic ſolet aut vita ſervari, aut mitior obtineri cuſtodia.

VIII. *An qui captus eſt, alteri ſe dedere poteſt?*

Grot. h. c. §. 9.

℞. Non, nemo enim ſua pactione jus alteri quæſitum auferre poteſt.

IX. *An privati à ſuo magiſtratu cogi poſſunt, ut pacta ſervent?*

Grot. d. c. §. 10. & c. 6. §. 2. n. 1. Hom. l. 2. c. 9. §. 3. & 4.

℞. Affirmatur, nam in bello ſolenni bellum gerentes obſtringuntur alter alteri jus reddere, etiam de factis privatorum; ut puta, ſi à privatis violati eſſent hoſtium legati.

X.

X. *Quomodo hæc pacta ſunt interpretanda?*

℞. De interpretatione tenendæ regulæ jam aliquoties memoratæ, ut à proprietate verborum non recedatur, niſi abſurdi vitandi cauſa. Sic vitam pactus non habet jus ad libertatem, ſunt enim diverſa. Veſtium nomine arma non intelliguntur. Veniſſe auxilium dicitur, ſi ſit in conſpectu, etiamſi nihil agere poſſit. Rediiſſe ad hoſtem non dicitur, qui clam rediit, ut ſtatim exiret, ſed ita rediiſſe intelligi debet, ut in poteſtate hoſtium ſit. Juſta auxilia in pactis deditionis non faciendæ, ſi ea advenerint, intelligi debent talia, quæ periculum ceſſare faciant, &c. *Grot. b. c. §. 11. 12. 13. & 14.*

CAPUT XVII.

ſeu

CAPUT XXIV. *ap. Grot.*

De fide tacita.

I. *Quid ſit fides tacita, & quomodo interponatur.*
II. *An non nimium ſit extendenda.*
III. *An ſigna, quæ ex conſuetudine ſignificant, tacitè obligent.*
IV. *An vindictæ remiſſio ex diſſimulatione colligatur.*

I. *Quid eſt fides tacita?*

Grot. l 3. c. 24. §. 1. 2. & 3. l. 2. c. 2 §. 16. ℞. Fides tacita eſt fides, quæ præſumitur aut ex ſilentio, aut ex negotii natura. Sic qui aut ab hoſtibus, aut ab externis venit, & in alterius populi aut regis fidem ſe dat, Grot. l. 2. c. 9. p. 282. tacitè ſe obligat, ne quid faciat adverſus ſtatum, in quo præſidium petit. Sic qui colloquium aut poſtulat, aut admittit, tacitè pollicetur, collocutoribus id innoxium fore.

II. *Annon ultrà tacita illa voluntas trahenda eſt?*

Grot. h. c. 24. §. 4. c. 1. §. 6. Puf l. 4. c. 1. §. 19. ℞. Non, nam dum collocutores nihil patiuntur, ſpecie colloquii avertere hoſtem à belli conſiliis, ſua autem interim promovere, perfidia vacat, & dolis bonis annumeratur.

III. *An etiam ſigna, quæ ex conſuetudine ſignificant, tacitè obligant?*

Grot. h c. §. 5. & c. 1. §. 9. ℞. Affirmatur: ſic hodiè vela candida tacitum habent ſignum petiti colloquii, obligabunt ergò non minùs, quam ſi voce petitum eſſet.

IV. *An vindictæ remiſſio colligitur ex diſſimulatione?*

Grot. h c. §. 7. c. 20. §. 40. ℞. Non, ſed opus eſt, ut accedat actus talis, qui aut amicitiam per ſe oſtendat, ut fœdus amicitiæ cauſa; aut opi-

opinionem de tali virtute, cui meritò antè facta condonari debeant, ſive ea opinio verbis indicata ſit, ſive rebus, quæ ex more inſtitutæ ſunt ad talem ſignificationem.

CAPUT XVIII.

ſeu

CAPUT XXV. *ap. Grot.*

Concluſio cum monitis ad fidem & pacem.

I. *An ſummæ poteſtates fidem omninò ſervare debeant.*

II *An in bello ſemper pacem ſpectare debeamus.*

III *Quid ſit pax.*

IV. *Quotuplex.*

V. *Quando tuta cenſeatur.*

VI. *Quid ſit amneſtia.*

VII. *An ſemper præſumatur, licet de ea expreſſè cautum non fuerit.*

VIII. *Quando pacem facere maximè conveniat.*

IX. *An pax, qualibuſcunque legibus facta, ſumma religione ſervanda ſit.*

I. *An omninò neceſſe & utile eſt, ut ſummæ poteſtates fidem ſervent?*

℞. Omninò opus eſt, tum propter alia, tum ne ſpes pacis adimatur. Fide enim non tantum reſpublica quælibet continetur, ſed & major illa gentium ſocietas: hac ſublata, tollitur quod inter homines eſt commercium. Et fidem tantò magis præſtare ſummi hominum rectores debent, quanto cæteris impunius peccant. *Grot. l. 3. c. 25. §. 1. & 2.*

 Præ-

Grot. in proœm. §. 18. & 22. Puf. l. 2. c. 3. §. 10. Præterea magis eſt regum, religioſè hanc colere, primùm, ut conſcientiæ, deinde & famæ, qua ſtat regni autoritas, conſulant. Et ſciant iſti, qui ipſis fallendi artes inſtillant, diu non prodeſſe doctrinam, quæ hominem hominibus inſociabilem facit, & Deo inviſum.

II. *An in bello ſemper in pacem proſpectare debemus?*

Grot. h. c. §. 2. 4. & 5. ℞. Affirmatur, nam ſapientes pacis cauſa, ad quam nati ſunt, bellum gerunt, & pacem non quærunt, ut bellum exerceant, ſed bellum gerunt, ut pacem acquirant. Huc accedit utilitas publica, quæ homines ad pacem colendam invitat, tam eos, qui minùs valent (quia his periculoſum eſt longum cum validiore certamen) quàm validiores: cum, quia pax melior tutiorque eſt, quam ſperata victoria, tum etiam propter improviſas mutationes, quæ in bello accidere ſolent; & ne hoſtes ad deſperationem adigantur, quorum audacia tunc maxime eſt metuenda.

III. *Quid eſt pax?*

Alber. Gent. p. 472. aliter. Schutz. vol. 2. Ex. 13. ℞. Pax in genere eſt ſtatus, quo in ſocietate, amicitia & ſecuritate vivimus. In ſpecie, eſt pactum publicum,

cum, vel potius ſtatus, quo ii, qui ſummum imperium habent, ex pacto in ſocietate & concordia perpetuò vivunt.

lib. 1. Rhet. c. 1. de pac. c. 1. §. 2. l. 3. D. de J. & J.

IV. *Quotuplex eſt?*

℞. Eſt vel privata, vel publica: & hæc rurſum vel communis omnium hominum in ſtatu naturali, vel certorum populorum.

Grot. l. 2. c. 24. §. 10.

V. *Quæ pax eſt tuta?*

℞. Pax tuta eſt, quæ conſtat & maleſactorum & damnorum & ſumtuum condonatione, ſeu ubi eſt amneſtia quædam generalis.

Grot. h. c. §. 3.

VI. *Quid eſt amneſtia?*

℞. Amneſtia eſt omnium in bello, ejuſque intuitu commiſſorum perpetratorumque, perpetuò ſancita oblivio.

Grot. l. 3. c. 20. §. 19. Rhet. de pac. c. 5. §. 5. & 6.

VII. *Si amneſtia expreſſè cauta non ſit, an tacitè præſumitur?*

℞. Affirmatur, quia pacem tutam, firmam & ſecuram cupimus, qualis eſſe non poteſt, niſi ſit univerſalis oblivio injuriarum, & perpetua ſuſpenſio omnis vindictæ & ultionis.

Grot. l. 3. c. 20. §. 15. & 17. Boecl. de amneſt. c. 2.

VIII. *Quando convenit pacem facere?*

℞. Optimum tempus de pace agendi eſt, dum uterque pares adhuc

Grot. h. c. §. 6.

ſibi videntur, & ſibi uterque confidit.

IX. *An pax ſervanda eſt, qualibuſcunque legibus facta ſit?*

Grot. d. c. §. 7. & 8.

℞. Omninò, ob fidei ſanctimoniam: & hinc ſolicitè cavenda, non tantùm perfidia, ſed & quicquid animos exaſperat. Inſcribat hæc Deus, qui ſolus hoc poteſt, cordibus eorum, quorum res Chriſtiana in manu eſt, & iiſdem mentem divini humanique juris intelligentem duit, quæque ſemper cogitet, lectam ſe miniſtram ad regendos homines, Deo cariſſimum animal.

FINIS.

IN-

INDEX
rerum
PRÆCIPUARUM.

Numerus primus librum, ſecundus caput, tertius quæſtionem notat.

A.

Abdicari regnum an poſſit. v. Regnum.

Abjecta quando habeantur pro derelictis. l. 2. c. 4. q. 4.

Abitus tutus an comprehendatur ſub itu conceſſo, & quando tutus intelligatur. 3. 14. 21.

Abſentium jus an præſentibus accreſcat. 2. 5. 31

Abſolvere à juramento an poſſit princeps. 2. 13. 29. & 30.

an Abſolvere in dubio melius ſit, quam condemnare. 2. 23. 6.

Abſtinentia militum in ſolo pacato & neutrali quomodo obtineatur. 3. 10. 7.

Abſurda nemo credendus eſt velle. 2. 16. 27.

Abuſus rei alienæ, quando ſit licitus, & ad quid utentem obliget. 2. 2. 23. & ſeqq & 3. 10. 8.

non Acceptata conditio an offerentem obliget. 2. 16. 37.

Acceptatio an neceſſario in promiſſo requiratur. 2. 6. 4. & 2. 11. 28. *an illud præcedere poſſit.* ib.

Acceſſio modus acquirendi. 2. 8. 12.

Accuſator injuſtus, an ad damnum per eam accuſationem datum reſarciendum teneatur. 2. 17. 12.

quomodo Acquiratur derivative. 2. 6. 1. *quomodo facto hominis.* 2. 6. 2. *quomodo lege.* 2. 7. 1. *quomodo expletione juris.* 2. 7. 3. *quomodo ſucceſſione.* 2. 7. 6. & 7.

an Acquirantur bello res apud hoſtes inventæ, licet eorum non ſint. 3. 6. 3. *an incorporalia.* 3. 7. 5.

Acquiſitio in bello an juſta. 3. 6. 1.

Acquiſitio originaria qualis ſit. 2. 3. 1. & ſeqq.

Acquiſitiones juris gentium. 2. 8. 1.

de nondum Acquiſitis an lex diſponere poſſit. 3. 6. 9.

Actiones ſuæ cuique naturaliter propriæ ſunt. 2. 17. 3. & *in eas quiſque par jus habet, ac in res ſuas.* 2. 11. 1. *an à ſuperioribus dependeant.* 2. 13. 29. *quomodo ex Actibus præcedaneis æqualitas æſtimetur inter contrahentes.* 2. 12. 11.

in Actu benefico non præſumitur quis ſe ad magnum ſuum incommodum obligaſſe. 2. 16. 31.

de Actu qui tenetur, an etiam de conſequentibus teneatur. 2. 17. 7. & 12.

an ab Actu dubio, ut illicito, abſtinendum ſit. 2. 23. 3. & 4.

an Actus meræ facultatis præ-

ſcribi poſſint. 2. 4. 23.

Actus interni an ſint congruentes ſocietati humanæ. 2. 6. 3. *an iis efficacia juris ſit tribuenda.* 2. 4. 2. *an in æſtimationem pœnæ veniant.* 2. 20. 20.

an Actus externi poſſint eſſe ſigna ſufficientia voluntatis noſtræ. 2. 4. 2. & 2. 11. 28.

Actus contra juramentum factus, an injuſtus tantum, an & irritus ſit. 2. 13. 28.

Actus regum, vel regii, vel privati. 2. 14. 3. *an regii eo loco habendi, ac ſi communitas feciſſet.* ib.

Actus dividui quomodo diſtinguantur ab individuis in reſarciendo damno. 2. 17. 11. & 3. 4. 15.

an omnes Actus vitioſi, & quales, puniri poſſint. 2. 20. 20. *quomodo conſiderandi in pœnarum impoſitione.* 2. 20. 27.

Actus publici & privati in bello. 3. 6. 7. & ſeqq.

an adjuvans tenetur de damno. 2. 17. 8.

Admiralitatis natura & utilitas. 2. 12. 41.

an Adminiſtratores regni ſummum imperium habeant. 1. 3. 38.

an Adoptivi in regnis ſuccedant. 2. 7. 45.

Adulter, ad quam reſtitutionem teneatur. 2. 17. 12.

an Adulteria cum fœminis hoſtium ſint permiſſa. 3. 4. 13.

Ædificare in littore an liceat prætervehentibus. 2. 2. 38.

Æqualitas in contractibus ſervanda. 2. 12. 8. *quomodo determinetur & inveniatur.* 2. 12. 10. 11. 15. & 16. *an ubique obſervetur.* 2. 12. 42.

Æs alienum civitatis an faciat, quominus civibus é civitate diſcedere liceat. 2. 5, 20.

Æſtimatio rei quomodo fiat. 2. 12. 22.

Agendi impunitas an verum jus tribuat. 2. 1. 26. & 2. 20. 19.

Agri limitati & illimitati. 2. 8. 13.

Agri quando intelligantur capti. 3. 6. 1. *an ſemper vaſtandi.* 3. 5. 7. & ſeqq. *cui acquirantur.* 3. 6. 9. *an ſint in poſtliminio.* 3. 9. 15.

Agricolis in bello parcendum. 3. 4. 17. & 3. 5. 9.

an ad Alapam vitandam alter juſtè occidatur. 2. 1. 19.

Alea. v. ſors.

Alienandi jus dominis naturaliter competit. 2. 6. 2.

Alienatio quid requirat in dante. 2. 6. 3. *quid in accipiente.* 2. 6. 4.

Alienatio regni. v. Rex.

Alimenta debentur liberis. 2. 7. 9. 10. & 11. *quamdiu.* 2. 7. 18. *debentur quoque parentibus.* 2. 7. 12. *non tamen ita ut liberis.* 2. 7. 13. *debentur quoque ſervis pro operis.* 3. 7. 13. *an ob ea præſtita teneatur próles ſervilis.* 2. 5. 47.

Alii prodeſſe licitum & honeſtum 1. 5. 2.

per Alium quid faciens, an ipſe feciſſe cenſeatur. 3 6. 6.

per Alium an licitè ſemper exequamur, quod nobis licet. 3. 1. 23. & 24.

Alluvio ad quem pertineat. 2 8. 12. *an ſub ſola imperii conceſſione contineatur.* 2. 8. 14

an

an ad vaſallos feudo conceſſo. ib.

Alvei mutatio an imperii terminos mutet. 2. 3. 20.

an Amentes ex promiſſo teneantur. 2. 11. 6.

an Amenti mendacium dicatur. 3. 1. 20.

Amici quinam intelligantur in jure poſtliminii. 3. 9. 2.

pro Amicis an juſte ſuſcipiatur bellum. 2. 25. 7.

Amicitiæ conventio in pace ad quid obliget. 3. 13. 44.

Amneſtia quid. 3. 18. 6. *an expreſſè non cauta tacite præſumatur.* 3. 18. 7.

pro Anchoris in littore jactis an aliquid exigi poſſit. 2. 2. 39.

Androlepſia quid. 3 2. 4.

Animantibus agriculturæ inſervientibus in bello parcendum. 3. 5. 9.

an Appellare à ſubditis aliquando non liceat. 2. 4. 21.

Appetitus honeſtiſſimus & maxime naturalis eſt declinare malum. 2. 1. 15. & 2. 20 20.

Aptitudo juris ſpecies quid. 1. 1. 17. *jus perfectum non tribuit* 2. 17. 4. *ſed jus petendi juxta alios.* 2. 17. 5. & 6.

an Aquas corrumpere in bello licet. 3. 4. 10.

Arbitri quotuplices ſint. 3. 13. 51. *quales cenſeantur electi ad bellum componendum.* ib. *an à tali arbitrio provocare liceat.* 3. 13. 52. *eorum officium.* 3. 13. 53.

Arbitrium aliquando pro deditione. 3. 13. 54.

ex Argumentis pluribus quale præferri debeat. 2. 23. 6

Ariſtocratia quid. 1. 3. 27.

Arma hoſti alicujus an per pacem licite ſubminiſtrentur. 3. 1. 5.

an Armis hoſtium ad eos decipiendos uti licitum ſit. 3. 1. 9.

Arrogatio quid. 2. 5. 43.

Artium vocabula quomodo ſint intelligenda. 2. 16. 6.

Arx à vicino ſtructa, quæ damnum aliquando dare poſſet, an juſta ſit belli cauſa. 2. 22. 3. *an pacem amicitiæ cauſa contractam rumpat.* 3 13. 45.

Aſſecuratio ut ſubſiſtat, quid requiratur. 2. 12. 35. *quomodo in ea æſtimetur pretium.* 2. 12. 34.

Aſſertio quid. 2. 11. 2. *quid ad eam requiratur.* 2. 11. 3.

Aſyla quid ſint. 2. 21. 10. *quibus proſint.* 2. 21. 9.

Auctores belli injuſti ad quid teneantur. 3. 4. 15.

Auctoritas ſuadendi à poteſtate differt. 1. 3. 35.

Aves an per univerſitatem occupatæ 2. 2. 20.

an avus teneatur alere nepotes. 2. 7. 14.

Auxilia promiſſa mittere quando quis excuſetur. 2. 16. 31.

Auxilium, quamvis non promiſſum, an amicis debeatur. 2. 25. 7. *ut in bello præſtetur, ſæpe conveniri ſolet, & quale fœdus ſit.* 2. 15. 8. *cujus ſumtibus debeatur.* 2. 16. 13. *ex fœderatis pluribus inter ſe bellantibus, quibus debeatur* 2. 15. 2. *quando poſteriori fœderato potius præſtandum ſit, quàm priori.* 2. 16. 33. *hoſti præſtitum an juſta ſit belli cauſa.* 3. 1. 3. & 5. & 3.

3. 3. 10.
Auxilium obſeſſis veniſſe, in pacto non faciendæ deditionis, quando dicatur. 3. 16. 10. *juſtum quale dicatur.* ib.

B.

an Barbarorum non ſubditorum peccata punire, aliis regibus incumbat. 2. 20. 35.
an Bella pro aliis geri poſſint. 1. 5. 2.
Bella non debent ſuſcipi, niſi ad juris conſecutionem. 1. 1. 3.
ad Bella injuſta an ex fœdere quis obligetur. 2. 15. 12. & 2. 25. 5.
Bellantium quodnam ſit officium erga naturales. 3. 10. 7. *an in eorum territorio caſtrum occupare poſſint.* 3. 10. 8.
quomodo Bellantes in pacis interpretatione maxime æquentur 3. 13. 12. & 13.
Bellare quando liceat. prol. quæſt. 5.
Belli gerendi poteſtas regi conceſſa de quo bello intelligenda. 1. 4. 18.
Belli efficientes cauſæ principales quæ ſint 1. 5. 1. *adjuvantes.* 1. 5. 2. & 3. *inſtrumentales.* 1. 5. 4.
Belli cauſa quid ſit. 2. 1. 1. *quotuplex.* 2. 1. 2. *in omni bello requiritur juſtifica.* 2. 1. 3. *quid ad eam requiratur.* 2. 1. 4. *an ſuaſoria ſufficiat.* 2. 22. 2. v. Cauſa.
Belli quæ ſit prima juſta cauſa. 2. 1. 7.
Belli juſta cauſa eſt rerum defenſio. 2. 2. 1.
Belli cauſæ juſtificæ an recte publicentur. 2. 26. 4.
Belli gerendi quis ſit modus. 3. 1. 7.
Belli indictio quid. 3. 3. 6. *conditionata & pura.* 3. 3. 7. *cur ad bellum ſolenne requiratur.* 3. 3. 11. *an requiratur, ubi jus legationis eſt violatum.* 3. 3. 12.
Belli effectus qui ſint. 3. 4. 1.
Belli ſolennis, ſed injuſti, effectus an juſtitia intrinſeca juſti eſſe poſſint. 3. 4. 14.
Belli jure quinam occidi poſſint. 3. 4. 3. & 16.
quando Belli exitus ſortis aleæ ſubjici poſſit. 3. 13. 46.
Belli dux. v. Dux belli.
in Bello an jus obſervetur. 1. 1. 3.
an Bello quæſita regis, an populi propria ſint. 1. 3. 41.
an Bello quis ad liberalitatem, gratiam, & ſimiles virtutes præſtandas cogi poſſit. 2. 22. 11.
an Bello juſto vitium ex animo gerentis accedere poſſit. 2. 22. 12.
ex Bello juſto quidem, ſed temere ſuſcepto, an rex teneatur ſubditis, & ad quid. 2. 14. 2.
in Bello injuſto an juſta poſſit eſſe ſubditorum defenſio. 2. 26. 8.
in omni Bello an requiratur denunciatio. 3. 3. 5. & *quare.* 3. 3. 11.
in Bello juſto an omnes juſtè occidi poſſint. 3. 4. 16. *an innocentes, infantes, fœminæ, ſenes, &c.* ib. & 3. 4. 17. *an captivi, obſides, &c.* ib.
an Bello non ſolenni res acquirantur. 3. 6. 16.
Bello juſto quantum quis conſequatur. 3. 13. 12.

in

in Bello ſemper in pacem proſpe-ctandum. 3. 18. 2.
Bello capta. v. Capta.
in Bello quid liceat. v. quid Liceat.
Bellum quid ſit. 1. 1. 1. *an ſtatus naturalis, an ſubſidiarius.* ib. *quotuplex.* 1. 1. 2. *privatum prius eſt,* ib. *pacis cauſa geri debet.* 1. 1. 3. *&* 3. 8. 3.
an Bellum jure naturæ aliquando juſtum eſſe poſſit. 1. 2. 1.
Bellum aliud publicum. 1 3. 1. *aliud privatum.* 1. 3. 2. *aliud mixtum.* 1 3. 4. *quomodo publicum & privatum inter ſe differant.* 2. 1. 30. *privatum an licitum poſt conſtituta judicia.* 1. 3. 5. *&* 6.
Bellum publicum ſolenne vel minus ſolenne. 1. 3. 8. *quid ſolenne.* 1. 3. 9. *quid minus ſolenne.* 1. 3. 10. *an & quando à minore magiſtratu geri poſſit.* 1. 3. 11. *&* 14. *an ad injuriam regi illatam vindicandam.* 1. 3. 12. *an ex ſola conjectura voluntatis ipſius regis, vel ex ſpe eam feliciter vindicandi.* 1. 3. 13. *quid ſi in ſpecie ea poteſtas ipſi fuerit conceſſa.* 1. 3. 14. *an ad tuendam plebem & exercendam juriſdictionem.* 1. 3. 15.
Bellum ſine cauſa juſtifica ſuſceptum injuſtum eſt. 2. 1. 5.
Bellum pœnale an detur. 2. 1. 6. *&* 2 20. 34.
Bellum juſtè ad defenſionem vitæ ſuſcipitur. 2. 1. 8. *quamvis invaſor peccato careat.* 2. 1. 9. *modò ſit periculum præſens.* 2. 1. 11. *nec qualiſcunque metus ſufficit.* 2. 1. 12. *&* 13.
an Bellum, ad imminuendam potentiam creſcentem, licite inferatur. 2. 1. 31. *quid ſi de animo nocendi conſtet.* 2. 1. 32.
an Bellum pro iis qui juſtè illud ſunt promeriti, rectè ſuſcipiatur. 2. 1. 33.
an Bellum, oblata ſatisfactione, componi debeat. 2. 1. 34.
Bellum quando pro ſolo offenſivo ſumendum ſit. 2. 16. 16.
Bellum juſtum eſt in eum, qui ad id cauſam dedit. 2. 17. 14.
an Bellum, ob legatos non admiſſos, juſtè inferatur. 2. 18. 10. *an ob eos violatos.* 2. 18. 21. *an ob ſepulturam denegatam.* 2. 19. 13. *an ad vindicanda delicta in Deum commiſſa.* 2. 20. 36. *an etiam ad religionem propagandam.* 2 20. 37 *an in Chriſtianos, quà tales, vel in eos, qui legem Chriſti diverſè interpretantur.* 2. 20. 38.
an Bellum à populo ſubdito, ad libertatem priſtinam vindicandam, juſtè ſuſcipiatur. 2. 22. 5. *an ad imperium in homines, quaſi naturaliter ſervos, acquirendum.* 2. 22. 6. *an ex ſpe concepta ex divinorum vaticiniorum explicatione.* 2. 22. 10.
Bellum quot modis vitari poſſit. 2. 23. 8. & ſeqq.
an Bellum utrimque poſſit eſſe juſtum. 2. 13. 16.
Bellum, quamvis juſta adſit cauſa, non temerè ſuſcipiendum. 2. 24 per tot. *ex quibus cauſis pro aliis juſtè ſuſcipiatur.* 2. 25. 1. & ſeqq. *an pro ſubditis defendendis.* 2. 25. 2. & ſeqq.

INDEX.

an pro hominibus infirmis. 2. 25. 8.

an Bellum pro ſola mercede geri poſſit. 2. 25. 10. an per homines improbos. 2. 26. 5. & 3. 1. 24.

Bellum juſtum aliquando pro ſolenni. 3. 3. 1. vel quoad effectus externos. 2. 23. 16.

ad Bellum ſolenne quæ requirantur. 3. 3. 3. & 4. cur gentes in eo denuntiationem requirant. 3. 3. 11.

an Bellum utrimque indici debeat. 3. 3. 8. an ſimul atque indictum eſt, geri poſſit. 3. 3. 9. quibus indictum cenſeatur. 3. 3. 10. an etiam hoſtis noſtri ſubditis & ſociis. ib.

an Bellum, ob miſſa hoſti auxilia gerendum, novam indictionem requirat. 3. 3. 10.

Bellum privatum aliquando naſcitur occaſione belli publici. 3. 11. 6.

ante Bellum debita an eo ſuperveniente tollantur. 3. 13. 17.

an Bellum in piratas per pacem licitum ſit. 3. 13. 38.

quomodo Bellum per arbitros componatur. 3. 13. 15. & ſeq.

Bellum finire qui poſſint. 3. 15. 8.

Bellum pro ſociis. v. Sociis. pro Amicis. v. Amicis.

Beneficentia cedit gratitudinis debito. 2. 16. 33.

an Beneficia à principibus conceſſa revocari poſſint. 2. 14. 20.

an Beneficium, uni conceſſum, alteri ſine cauſa negari poſſit. 2. 2. 47.

Beneficium nemini debet eſſe damnoſum. 2. 12. 9.

Bona, quibus naturaliter relicta cenſeantur. 2. 7. 15. 17. & ſeqq.

Bona vera & imaginaria, quæ. 2. 20. 26.

an Bona ſubditorum ex facto civitatis obligentur. 3. 2. 9.

Bona tranſeunt ſimul cum oneribus. 3. 2. 9.

Bona innocentum an bello juſtè capiantur. 3. 6. 19.

Bona regni, an à rege alienari poſſint. 3. 13. 7.

Bruta an ſint capacia juris naturæ. 1. 1. 36.

C.

an Capitatio exteris, ut civibus. rectè imponatur. 2. 2. 36.

Capta in bello cui cedant. 3. 6. 1. an ſingulis acquirantur, an ei, cujus auſpiciis bellum geritur. 3. 6. 6. 7. & ſeqq.

Capta ultra debitum modum, an juſtè retineantur. 3. 6. 17.

Capta bello injuſto, an retinenda. 3. 9. 20. reſtituenda, & à quibus. 3. 4. 14. & 15. & 3. 9. 20.

Capta poſt pacem factam, an reddenda. 3. 13. 21.

Capti in bello, an populi, an ſingulorum capientium fiant. 3. 7. 6. bello injuſto capti, an aufugere poſſint, & res ſuas victori, citra furtum, auferre. 3. 7. 7. & 8.

Captis in bello parcendum. 3. 4. 17.

an Captivi aut ſupplices jure talionis interfici poſſint. 3. 4. 7.

cur Captivo in ſervitutem redigantur. 3. 7. 1. & 10. an omnes indiſtinctè. 3. 7. 2. an iſti, qui fato ſuo apud hoſtes deprehenſi. 3. 7. 2. eorum res, etiam non apprehenſæ, an victori acquirantur.

tur. 3. 14. 31. *quo jure ipſorum poſteri ſervi fiant.* 3. 7. 3.
Captivi promiſſio de redeundo in carcerem, an valeat. 3. 16. 6.
Captivitas modus acquirendi. 2. 8. 11. *ejus effecta.* 3. 7. 4.
an Captivorum redemtio juſtè prohiberi poſſit. 3. 14. 27.
circa Captivos quid obtineat, ubi ſervitus non eſt recepta. 3. 7. 10. & 15.
an Captivus redemtionis pretium pluribus debere poſſit. 2. 14. 29.
an Captivus, ut alterum liberaret, dimiſſus, eò mortuò, in carcerem redire debeat. 3. 14. 33.
Captus an alteri ſe dedere poſſit. 3. 16. 8.
Cartel quid. 3. 7. 10.
Caſus in emtione & locatione, ad quem pertineat. 2. 12. 30.
quando Caſus à lege vel pacto, univerſaliter concepto, cenſeatur exceptus. 2. 16. 33.
Cauſæ diſpenſandi quæ. 2. 20. 23. & 24.
Cauſæ impellentes quomodo in delicto examinentur. 2. 20. 26. *quomodo abſtrahentes.* 2. 20. 27.
Cauſæ belli injuſtæ. 2. 22. 1. *quotuplices ſint.* 2. 22. 2. *quæ ad eas referantur.* 2. 22. 3.
Cauſæ belli dubiæ. 2. 23. 1. *quæ ſit ejus incertitudinis cauſa.* 2. 23. 2.
Cauſæ ſubnaſcentes in bello. 3. 1. 3. & 3. 6. 18.
Cautio innoxia, qualis adverſus metus incertos adhibenda ſit. 2. 1. 31.
Celari quæ poſſint in contractibus. 2. 12. 11. & ſeqq.
Certamen ſingulare v. Duellum.
Certamina determinato numero, an licita. v. Prælia.
Cicatrices an æſtimari poſſint. 2. 17. 12.
Cives, an à civitate recedere poſſint. 2. 5. 36. *an ipſis hoc prohiberi poſſit.* 2. 5. 37. & 38. *an gregatim diſcedere.* 2. 5. 39. *an quolibet tempore civitati renunciare.* 2. 5. 40.
Civis innocens, qui ab hoſte depoſcitur, an deſerendus ſit. 2. 25. 3. *an hoſti tradendus.* 2. 25. 4.
Civitas, quid. 1. 3. 20. *eſt ſubjectum majeſtatis.* ib. *an jus habeat in exſules.* 2. 5. 4.
an Civitas invita alienari poſſit. 2. 6. 6. *an ad totum corpus conſervandum.* 2. 6. 7. & *propter utilitatem & neceſſitatem publicam.* 2. 6. 11. *an à toto corpore pro lubitu recedere.* 2. 6. 8. *à corpore ſeparata, an primævum jus conſequatur.* 2. 6. 10.
Civitas, quot modis intereat. 1. 3. 21. & 2. 9. 3. & 4. *quomodo interitu corporis.* 2. 9. 5. *quomodo interitu ſpeciei* 2. 9. 6. *an per imminutionem civium.* 2. 9. 7. *an per migrationem.* 2. 9. 8. *an mutata regiminis forma.* 2. 9. 9. *an per hanc mutationem ejus debita exſtinguantur.* 2. 9. 10. & 11. *an alteri unita intereat.* 2. 9. 12. *an bello ſubacta.* 3. 8. 1.
Civitas quomodo dividatur. 2. 9. 13. *aliquando in partes ſcinditur.* 2. 18. 6.
an Civitas ex indigni magiſtratûs electione, adverſus mandatarium

rium agere poſſit. 2. 17. 6.
an Civitas etiam injuſta, ſit civitas, & quamdiu talis maneat. 3. 3. 3.
an & quando Civitas ex facto privatorum teneatur. 3. 13. 32. & 33.
Civitates plures fœderatæ ſingulæ majeſtatem retinent. 1. 3. 25.
Civitates, quo ſenſu dicantur immortales. 2. 9. 3.
Civitates, quomodo puniantur. 2. 21. 13. & ſeq.
Civitates deſciſcentes an per fœdus liceat recipere. 3. 13. 45.
an Civitati ex rebus, à privato in bello captis, aliquid reddi debeat. 3. 11. 4.
Civitatis jus ad ſe tuendum majus eſt, quàm corporis in civitatem. 2. 6. 9.
pro Civitatis debito an nondum nati teneantur. 3. 7. 14.
Civitatis jura an mediante imperio victori acquirantur. 3. 8. 3. & 4.
Clementia victori utilis. 3. 5. 3. 8. 3. 10.
Cogendi jus an ſuperiori tantum competat. 1. 3. 48. & 2. 14. 11.
Cogitatio an puniri poſſit. 2. 20. 20.
per Colloquium quomodo evitetur bellum. 2. 23. 9. *an partes per ſe potiùs, quàm per legatos conveniant.* 2. 23. 10.
Colloquium petens aut concedens ad quid teneatur. 3. 17. 1.
an Coloniæ ab origine ſua ſemper dependeant. 2. 9. 13.
Comitia ordinum, an ubique idem jus habeant. 1. 3. 35.
Commeandi jus. v. Jus commeandi.
Commercia an impedire liceat. 2. 2. 35. *an pactis & fœderibus ſtabilienda.* 2. 15. 7.
an Compenſari poſſit id, quod bello cauſam dedit, aut quod belli jure factum eſt. 3. 12. 14.
ad Compenſationem quid requiratur. 3. 12. 13.
per Compromiſſum quomodo vitetur bellum. 2. 23. 11. *an arbitri ſententiæ eo in caſu partes ſtare cogantur.* 2. 23. 12.
an Concubinatus ſit verum matrimonium. 2. 5. 22.
Conditio, ſi res eodem maneant loco, an omni promiſſo adjecta cenſeatur. 2. 16. 29.
Conditiones pacti dubiæ, contra quem ſint interpretandæ. 3. 13. 28.
Conditionis defectus an fidem liberet. 3. 12. 12.
Conductus ſalvus. v. Jus commeandi.
Confiſcatio bonorum, ob delicta paterna, an reſpectu liberorum pœna ſit. 2. 21. 8.
Conjecturæ ad interpretationes quandoque neceſſariæ. 2. 16. 17. *unde ſumantur.* 2. 16. 8. & 23.
Conjuncta quando ad interpretationem adhibenda. 2. 16. 9. *quotuplicia.* ib.
an Conſcientia erronea obliget. 2. 23. 3.
ex Conſenſu an quis teneatur ad damnum datum. 2. 17. 8.
an Conſenſus per tertium interponi poſſit. 3. 11. 35.
Conſenſus ſummæ poteſtatis unde colligatur. 2. 21. 4. & 3. 15. 3.
Conſervatio ſui à natura commendata 1. 2. 1. & 2.

I N D E X.

Conſociatio, *qu[illegible]de à ſubjectione differat.* 2. [illegible]. 11.

Conſtituens non ſemper eſt ſuperior conſtituto. 1. 3. 32.

Conſuetudo & facilitas præcipua ſunt ad delinquendum invitamenta. 2. 20. 32.

in Contractibus ſervanda eſt æqualitas. 2. 12. 8. *an etiam in contractibus beneficis.* 2. 12. 9. v. æqualitas.

in Contractibus indicanda rei vitia. 2. 12. 11. *an omnia*, 2. 12. 13. *an & alia extra rei ſubſtantiam poſita.* 2. 12. 12.

Contractibus invaſorum an populi teneantur. 2. 14. 21.

Contractus, quid. 2. 12. 1. *quomodo differat à pacto.* 2. 12. 2. *eſt vel verus, vel quaſi contractus.* 2. 12. 3. *nominatus, vel innominatus.* 2. 12. 4. *realis, verbalis, literalis, conſenſualis.* 2. 12. 5. *innominati quotuplices.* 2. 12. 6. *bilaterales, unilaterales, oneroſi, benefici, bonæ fidei & ſtricti juris.* 2. 12. 7.

Contractus, quomodo confirmari ſoleant. 2. 13. 1.

Contractus, juramento confirmatus, an ob enormen læſionem reſcindi poſſit. 2. 13. 24.

Contractus regis cum ſubditis, an his actionem pariat. 2. 14. 11.

an Contractus regum leges ſint. 2. 14. 14. *an iis teneantur ſucceſſores* 2. 14. 15. *an interpretandi ex jure Romano.* 1. 16. 35.

Contractus regum, an populum obligent, & populi liberi contractus an regem. 2. 14. 16.

an Contractus, ad publicam perniciem vergens, obligationem producat. 2. 14. 18.

an Contractus regum, ad alienationem regni vel ejus partis pertinentes, valeant. 2. 14. 19.

ad Contractus perfectionem an neceſſariò requiratur ſcripturâ. 2. 16. 34.

ad Contrahendum an quis cogi poſſit. 2. 12. 14.

Controverſia de re bello capta, apud populum pacatum orta, quomodo ſit componenda. 3. 6. 14.

Conventiones publicæ, quid. 2. 15. 1. *quotuplices.* 2. 15. 2.

Corpora mortuorum ſepelienda. 2. 19. per tot. *non ſunt malè tractanda.* 2. 5. 5.

an Corpora maleficorum à magiſtratu ad anatomiam tradi poſſint. 2. 19. 12.

Corpus, quomodo intereat. 2. 9. 5.

an Creditor propria auctoritate invito debitori debitum auferre poſſit. 2. 7. 4. *quid, ſi per judicem obtineri non poſſit.* 2. 7. 5.

ex Culpa, an & ad quid aliquis obligetur. 2. 17. 1. & 2.

Curatores regni, an ſummum imperium habeant. 1. 3. 38.

D.

Damna bello data, an in pace remiſſa cenſeantur. 3. 13. 16.

Damnatos inter ſe committere, ut de vita pugnent, an juſtum ſit. 2. 1. 28.

in Damni dati æſtimatione quid conſideretur. 2. 17. 7.

ex Damno injuria dato qualis o-

riatur obligatio. 2. 17. 2.
de Damno dato qui teneantur. 2. 17. 8. & 9. *quo ordine conveniantur.* 2. 17. 10. *quid, ſi plures damnum dederint.* 2. 17. 11. *an etiam teneantur de conſequentibus, & quæ ſint conſequentia.* 2. 17. 12.
de damno, etiam juſto bello dato, an & quando teneatur miles. 3. 11. 7.
Damnum injuria datum, quid. 2. 17. 1.
ad Damnum datum refundendum, an teneatur is qui doloſè alium ad contrahendum adegit. 2. 17. 13.
Damnum à militibus datum, quando ſuperiores obliget. 2. 17. 16. *à beſtia vel mancipio datum, an dominum obliget.* 2. 17. 17.
Damnum adverſus honorem & famam, quomodo detur & reparetur. 2. 17. 18.
Damnum bello injuſto datum, à quibus refundi debeat. 3. 4. 14. & 15.
Damnum civi jure eminentis dominii datum, an à civitate reſarciri debeat. 3. 13. 9. & 10. *an damnum obſidi datum.* 3. 13. 59.
Debita civitatis, an mutata regiminis forma exſtinguantur. 2. 9. 10. *an propter ea teneantur ſubditi.* 3. 7. 14.
an Debita, ante bellum orta, pace remiſſa cenſeantur. 3. 13. 17.
Debita regis, an ad ſucceſſorem pertineant. 2. 14. 15.
pro Debitis defuncti an bona obligata cenſeantur. 2. 14. 15. *cur de iis teneatur hæres, non verò de pœna.* 2. 21. 27.
Dedere delinquentem an cogatur princeps, ad quem confugit. 2. 21. 6. & 7.
an Dediti, & non recepti ab aliis, cives maneant. 2. 21. 8.
Dediti ſine conditione an juſtè occidantur. 3. 4. 17.
ſponte Dediti an poſtliminio gaudeant. 3. 9. 11.
Deditio pura quale jus victori tribuat. 3. 13. 54. *quale tribuat conditionata.* 3. 13. 55.
de Deditis pure, à duce acceptis, an victor populus ſtatuere poſſit. 3. 15. 13.
Defectio ſubditorum induciarum tempore, an valida ſit. 3. 14. 10.
Defenſio omni jure licita. 2. 20. 16. *an contra regem.* 1. 4. 5. & *ſeqq. an cum interfectione aggreſſoris.* 2. 1. 8. *an contra amentem, vel furioſum.* 2. 1. 9. *an cum periculo innocentis.* 2. 1. 10.
Defenſio rerum, an juſta ſit alium occidendi cauſa. 2. 1. 24.
Defenſio eorum, qui bellum ſunt promeriti, an juſta ſit. 2. 1. 33.
Defenſio ſubditorum, an in bello injuſto juſta eſſe poſſit. 2. 26. 8.
Defenſio ſtrenua, an juſta ſit captivum occidendi cauſa. 3. 4. 8.
an Defenſio per pacem ſit permiſſa, nec eam rumpat. 3. 13. 36.
Defunctis quomodo gratia reddatur

INDEX.

tur in liberis. 2. 7. 28.

in Deliberationibus politicis quæ ſint conſideranda. 2. 24. 3. & ſeqq.

an Delicta omnia ſint punienda. 2. 20. 20. & ſeqq.

Delicta majora, an rectè remittantur. 2. 20. 22. an ea quæ per ignorantiam, vel per infirmitatem difficulter ſuperabilem, commiſſa ſunt. 2. 20. 24

ob Delicta majorum an puniendi poſteri. 2. 21. 24. an populus verè ſubditus, ob delicta regis. 2. 21. 25. & ſeq.

in Delicto examinanda cauſa, quæ impulit. 2. 20. 26. cauſa, quæ retrahere debuit. 2. 20. 27. 28. & perſonæ aptitudo. 2. 20. 29.

ex Delicto ſubditorum, an & quando teneantur ſuperiores. 2. 21. 2. & ſeqq.

ob Delictum alterius, quomodo quis damnum ſentire poſſit. 2. 21. 18. quomodo ejus occaſione obligari. 2. 21. 19. an puniri. 2. 21. 23.

Delinquendi conſuetudo, quomodo ſpectetur in pœnarum impoſitione. 2. 20. 32.

an Delinquentes à populo, apud quem reperiuntur, eos depoſcentibus reddi debeant. 2. 21. 7. ſi non dedantur, ſecundum quæ jura puniendi. 2. 21. 11.

Delinquentes, an in dubio abſolvendi. 2. 23. 6.

Democratia quid. 1. 3. 27.

an Deo ex juramento acquiratur obligatio. 2. 13. 12. cur is perjuros puniat. 2. 13. 13.

de Deo male ſentientes an bello juſtè petantur. 2. 22. 4.

Deo potius obediendum, quàm hominibus. 2. 26. 2.

Deponens in rei depoſitæ repetitione an præferatur domino. 2. 10. 6.

Derelictum. v. Res derelicta.

Deſertores recipere, an ſit contra jus belli. 3. 1. 24.

Deſertoribus promiſſum an ſervandum. 3. 12. 5.

quomodo Deus parentum peccata in liberis puniat. 2. 21. 16. & regum peccata in populo. 2. 21. 26.

an Dicere quis debeat omne, quod alteri utile eſt. 2. 12. 12.

Dictator Romanus an habuerit ſummum imperium. 1. 3. 38.

Dies induciis adjectus, an incluſus, an excluſus intelligatur. 3. 14. 5.

Dimicatio ſingularis quando licita. 2. 1. 27. an rectè à magiſtratu duobus mortem meritis permittatur. 2. 1. 28. non concedenda ad vindicandas privatas injurias. 2. 1. 29. v. Duellum.

ad Diſciplinam militarem ſervandam tenentur duces bellici. 3. 10. 7. quomodo ea ſervari poſſit. ib.

Diſpenſatio à pœna, an juſta eſſe poſſit. 2. 20. 21. an & ante & poſt legem pœnalem latam. 2. 20. 22. differt ab æqua legis interpretatione. 2. 20. 23.

Diſpenſationis quæ ſint juſtæ cauſæ. 2. 20. 22. 23. 24. & 33.

Diſſimulatio, an licita. 3. 1. 7. an vindictæ remiſſæ ſit ſignum juſti-

ſufficiens. 3. 17 4.
Diviſio, an modus acquirendi dominium originarius. 2. 3. 3.
Divortia an ſint licita. 2. 5. 17.
Dogmata nova, an ut metuenda, ſemper probiberi debeant. 2. 20. 38.
Dolo contrahens ad quid teneatur. 2. 17. 13.
Dolus quotuplex. 3. 1. 7. & 8. *an in bello permiſſus.* 3. 5. 6.
Domanialia bona an rex, ſine conſenſu populi, alienare poſſit. 2. 6. 16. *an fructus ex iis perperceptos.* 2. 6. 17. *an oppignorare.* 2. 6. 18.
Domini jus in ſervum quouſque ſe extendat. 2. 5. 46. *an ad jus vitæ & necis.* ib.
Dominia & imperia quot modis deſinant. 2. 9. 1. & *ſeqq.*
Dominii origo. 2. 2. 4.
in Dominio quid eſſe poſſit. 2. 2. 16.
Dominium quid. 2. 2. 9. *vulgare & eminens.* 2. 2. 10. *unde hoc majeſtati competere probetur.* 2. 2. 11. *non datur, eo conceſſo, facultas graſſandi in bonis privatorum, nec eorum dominium ſubalternum tollitur.* 2. 2. 12. *an ſe exſerat in exterorum bona.* 2. 14. 13.
Dominium ſtrictè ſic dictum, an homo ſtatim acceperit, an vero jus res vacuas occupandi. 2. 2. 5. *ante multiplicatum genus humanum non fuit.* 2. 2. 6. *quomodo fuerit introductum.* 2. 2. 7. *an ex ſola aptitudine.* 2. 17. 4. *lege civili anteverti poteſt.* 2. 2. 21. & 3. 6. 9. *ut etiam peregrinos obliget.* 2. 2. 22.
Dominium & imperium quomodo differant. 2. 3. 6. & *ſeqq.*
ad Dominium acquirendum requiritur uſus rationis. 2 3. 11. *an infantes, furioſi &c. illud acquirere poſſint.* 2. 3. 12. *an illo per ſe uti.* 2. 3. 13. *an per alium acquiri poſſit.* 3. 6. 6.
Dominium in alium transferre, juris eſt naturalis. 2. 6. 2. *ad illud transferendum quid requiratur in dante.* 2. 6. 3. *quid in accipiente.* 2. 6. 4. *an transferatur in eum, qui rem alienam, loco ſuæ ſibi debitæ, cepit.* 2. 7. 3. *rerum fungibilium dominium, an ſine conſenſu domini in alium transferri poſſit.* 2. 10. 21.
Dominium externum quale. 3. 6. 1. & 3. 9. 20.
Domino deficiente, ad quem ejus res pertineant. 2. 3. 22.
Dominum rei poſſeſſæ ignorans nemini eam dare tenetur. 2. 10. 8.
Dominus, unde habeat jus in prolem ſervilem. 2. 5. 47.
an Dominus in rei ſuæ repetitione præferatur deponenti. 2. 10. 6. *an obligetur ad damnum datum ab animali vel ſervo.* 2. 17. 17.
in Donatione, quomodo verba donantis accipi debeant. 2. 16. 12.
Donationes & alia beneficia, à principibus conceſſa, an ſemper revocari poſſint. 2. 14. 20.
Dubitans de cauſæ juſtitia, an juſtè

juſtè militet. 2. 23. 4.
Dubitans de jure, quid facere debeat 2. 23. 4. 5. *quid, ſi ab utraque parte probabilia allegentur argumenta.* 2. 23. 6.
Duella juſtiſſimè ſub pœna mortis probibentur. 2. 10. 15. *an ad bellum vitandum permitti poſſint.* 2. 23. 13. v. Dimicatio.
Dux belli quis. 3. 15. 1. *an teneatur de damno in bello injuſto dato.* 3. 4. 15. *an de bello transfigere & pacem facere poſſit.* 3. 15. 8. v. Poteſtas minor.

E.

Ebrii, an ex promiſſo teneantur. 2. 11. 7. *an ex delicto.* 2. 11. 8.
an Eccleſia jus babeat in populos bactenus ignotos. 2. 2. 9.
Electio, an ſit titulus imperii, an verò modus ad id perveniendi. 1. 3. 36.
Eligens indignum is, qui magiſtratûs collationem babet, an reip. teneatur. 2. 17. 6.
Emendatio peccantis primus eſt pœnæ finis. 2. 20. 12.
ad Emendum an quis cogi poſſit. 2. 12. 14.
Emens rem alienam bona fide, an eam domino, ſine pretii repetitione, reſtituere debeat. 2. 10. 16. & 17. *an eam venditori reſtituere poſſit, ut pretium ſervet.* 2. 10. 18.
Emere res ad vitam neceſſarias nemo probibendus. 2. 2. 42. *niſi ipſi ejus rei indigeamus.* 2. 2. 43.
Emtio, qualis contractus. 2. 12. 4. *an à Rege, ſine pretio facta, ſubſiſtat.* 2. 14. 10.
in Emtione quomodo transferatur dominium. 2. 12. 26. *cur eâ perfectâ, ante dominii tranſlationem, periculum rei venditæ ad emtorem pertineat.* 2. 12. 27.
Emtor rei, bello injuſto captæ, an ad ejus reſtitutionem teneatur. 3. 9. 21.
Errantes circa religionem an licitè puniantur. 2. 20. 38.
Error, an promiſſum vitiet. 2. 11. 12. & *ſeq.*
Error circa pretium, an in contractibus corrigi debeat. 2. 12. 16.
Exercitores navis, an ex contractu magiſtri ſinguli pro portione, an in ſolidum obligentur. 2. 11. 27.
Exercitus, quid. 2. 16. 6. *de eo in certum locum non ducendo, pactum quomodo intelligi debeat.* 2. 16. 18. *ejus inſolita conſcriptio an pacem rumpat.* 3. 13. 45.
Execratio. v. Juramentum.
Exheredari, ne in regnum ſuccedat, an filius poſſit. 2. 7. 57.
Exheredationis quæ ſint juſtæ cauſæ. 2. 7. 17.
Exheredato filio an debeantur alimenta. 2. 7. 17.
Exheredatus filius an tacitè aliquando cenſeatur. 2. 7. 57.
Exploratores an mittere liceat. 3. 4. 12.
ad Exſilium an fidejuſſorio nomine quis obligari poſſit. 2. 21. 21.
in Exſules an civitas aliquod jus retineat. 2. 5. 41.
an Exſules alienos per pacem recipere liceat. 3. 13. 15.

INDEX.

an Exteri teneantur legibus loci, in quo deprehenduntur. 2. 2. 22. *an ad ſua apud nos vendenda jus habeant.* 2. 2. 44.
Exteri, apud hoſtes deprehenſi, an pro hoſtibus habeantur. 3. 4. 5.
Exteris, ſedibus ſuis pulſis, an concedenda perpetua habitatio. 2. 2. 39. & *ſeq.* v. Peregrini.

F.

Facta, an ſub iis comprehendantur non facta. 2. 4. 4.
ex Facto alieno an naturaliter quis teneatur. 3. 2. 9. *an ex facto ſingulorum teneatur civitas.* 2. 21. 2. & ſeqq.
Facultas, juris ſpecies, quid ſit. 1. 1. 11. *quid ſub ſe comprehendat.* 1. 1. 12. *quotuplex.* 1. 1. 13. *vulgaris.* 1. 1. 14. *eminens.* 1. 1. 15. *quæ ſuperior eſt vulgari.* 1. 1. 16.
Facultas, omnibus hominibus competens ad actus aliquos exercendos, quotuplex. 2. 2. 41. *abſoluta ſeu ſimplex.* 2. 2. 42. & *ex ſuppoſitione.* 2. 2. 47.
Fallere hoſtem an liceat. 3. 1. 7.
Falſiloquium. v. Mendacium.
Favorabilia, quomodo interpretanda. 2. 16 12. *in dubio cenſentur realia.* 2. 16. 19.
Feræ beſtiæ per univerſitatem occupatæ. 2. 2. 20. *ut tamen dominium earum ad territorium ſit reſtrictum, nec in alieno vindicari poſſint.* 2. 2. 21.
Feræ occupatæ quamdiu cenſeantur noſtræ. 2. 8. 5. *quid, ſi additis crepundiis, dignoſci poſſint.* 2. 8. 6. *quid ad earum occupationem requiratur.* 2. 8. 7. *an in ſylva circumſepta verſantes poſſideantur.* 2. 8. 8.
ſub Feudo conceſſo an contineantur incrementa fluviatilia. 2. 8. 14.
an Feudi dominus vaſallum invitum obſidem dare poſſit. 3. 13. 58. *an Fidejuſſor ſe ad mortem obligare poſſit.* 2. 21. 20. *an ad membrorum mutilationem.* ib. *an ad exſilium.* 2. 21. 21.
Fides, quid. 3. 12. 1. *quotuplex.* 3. 12. 2. *hoſti data an ſit ſervanda.* 3. 12. 3. *an tyrannis, vel latronibus data.* ib. *an deſertoribus & rebellibus.* 3. 12. 5. *an perfidis.* 3. 12. 10.
Fides publica, quid. 3. 13. 1. *quotuplex.* 3. 13. 2.
Fides tacita, quid. 3. 17. 1. *quouſque extendenda.* 2. 17. 2. & ſeqq.
an Fides privatim hoſti data obliget. 3. 16. 1. *an latroni & piratæ data.* ib.
Fides à ſummis poteſtatibus neceſſariò ſervanda. 3. 18. 1.
quæ Fides vim habeat juramenti. 2 13. 32.
quando Fides abſque perfidia liberetur. 3 12. 11. *quomodo compenſando liberetur.* 3. 12 13.
bonæ Fidei poſſeſſor. v. Poſſeſſor.
an Filio exheredato debeantur alimenta. 2. 7. 17. v. Liberi.
an Filius à patre in regno exheredari poſſit. 2. 7. 57. & 58.
an Filius, patre jam rege natus, præferendus ſit in ſucceſſione filio

filio antè nato. 2. 7. 62.
ad *Finem quæ ducunt, in morali materia, æſtimationem ſuam accipiunt ab ipſo fine.* 3. 1. 2.
Fines publici qui intelligantur. 3. 9. 2.
Flumen, ad quem pertineat. 2. 2. 30. *an in illud jam occupatum alii homines jus habeant.* 2. 2. 31.
Flumen, mutato alveo, an idem maneat. 2. 3. 20. *an totum unius populi eſſe poſſit.* 2. 3. 21.
Flumina, an occupari poſſint. 2. 3. 14.
Fluminis curſu mutato, an imperii fines mutentur. 2. 3. 19. *an alveo mutato* 2. 3. 20.
Fœdera quotuplicia ſint. 2. 15. 7. & 8. *inæqualia quotuplicia, & inter quos contrahi poſſint.* 2. 15. 9.
Fœdera, an morte regis exſtinguantur. 2. 16. 20. *cum populo inita, an maneant, mutata regiminis forma.* 2. 16. 18.
Fœdera quæ ſint favorabilia, quæ odioſa. 2. 16. 19.
Fœderati inæqualiter an ſummum imperium habeant. 1. 3. 52. *facilè ſuperioris potentiâ ſubiguntur.* 1. 3. 53.
an *Fœderatus contra fœderatum defendi poſſit.* 2. 15. 12.
an *Fœderatus à fœdere, quod alter violavit, licitè diſcedat.* 2. 15. 14.
in *Fœderibus, inprimis ad bellum gerendum initis, præſumitur ratio habita prudentiæ ac pietatis ejus, cum quo agitur.* 2. 16. 19.
Fœdus quid. 2. 15. 3. *quinam illud facere poſſint.* 2. 15. 4. *an tyrannus.* 2. 15. 5. *an rex regno pulſus.* 2. 15. 6.
Fœdus antiquius quando præferendum ſit. 2. 15. 12.
an *Fœdus juſtè cum iis ineatur, qui à vera religione alieni ſunt.* 2. 15. 10. *an cum atheis.* 2. 15. 11. *an finito tempore, tacitè renovatùm cenſeatur.* 2. 15. 13.
Fœdus, ne injuſſu alterius bellum geratur, quomodo intelligendum. 2. 16. 16.
Fœdus reale, quomodo diſtinguatur à perſonali. 2. 16. 18. *an tale ſit, ob perſonam regis fœderi inſertam.* 2. 16. 19. *in dubio quale præſumatur.* ib.
Fœdus cum rege initum, an ad regem regno pulſum extendatur. 2. 16. 21. *an ad invaſorem.* 2. 16. 22.
an *Fœminæ ad regnorum ſucceſſionem admittantur.* 2. 7. 52.
an *Fœminæ impunè occidantur in bello.* 3. 4. 5. *an juſtè.* 3. 4. 17.
Fœtus animalium, an ad dominum patris, an verò matris pertineat. 2. 8. 15. *quid, ſi de patre conſtet.* 2. 8. 16.
Fratribus an debeatur ſucceſſio fratrum. 2. 7. 28. & ſeq.
an *Fructus ſub rei reſtitutione contineantur.* 3. 13. 23.
Fuga hominis occiſioni præferenda. 2. 1. 21. *nec ignominioſa eſt.* 2. 1. 22.
Furem occidere quando liceat. 2. 1. 24. & 25.
Furioſi an dominium acquirere poſſint. 2. 3. 12. *an illò per-*

ſe uti. 2. 3. 13.
an Furtum ſemper committatur, rem alienam capiendo. 1. 1. 35. & 2. 2. 23. & ſeqq.

G.

Generatio, quomodo tribuat jus in perſonam. 2. 5. 1. & 2.
qui Gradus cognationis matrimonium impediant. 2. 5. 20. & ſeq.
Gratia parentibus mortuis quomodo reddatur. 2. 7. 28.
Gratitudinis debitum majus eſt debito beneficentiæ. 2. 16. 33. *an quis ad eam armis cogi poſſit.* 2. 22. 11.

H.

an Habitatio perpetua exteris, ſedibus ſuis pulſis, concedi debeat. 2. 2. 39.
Hæres repræſentat perſonam defuncti. 2. 9. 15. *an ex juramento defuncti obligetur.* 2. 13. 25. *an ex ejus facto.* 3. 2. 9. *an ad pœnam delinquentis teneatur.* 2. 21. 27. *an ad debita.* ib.
Homicida injuſtus, ad quid teneatur occiſi parentibus, uxori, aut liberis. 2. 17. 12.
Homines liberi, an ſint in commercio. 1. 3. 30 & 40.
Homines ad mutuam, ſibi invicem præſtandam, opem tenentur. 1. 5. 3.
Hominum prehenſio, quid. 3. 12. 4.
Homo ad pacem, non ad bellum natus. prol. quæſt. 1. *unde hoc probetur.* qu. 2. *cur tamen tam pronus in bellum ſit.* qu. 4.
an Homo ſe ipſum interficere poſſit. 2. 19. 9.
Homo liber, quando poſtliminio redeat. v. Poſtliminio.
Honeſtum quid. 1. 1. 28. *cur determinetur ex natura ſocietatis humanæ.* 1. 1. 30.
Honor homini ſuum eſt. 2. 17. 3. *an & quomodo honor noſter lædi poſſit.* 2. 17. 18. *quomodo reparari.* ib. *an quaſvis & à quolibet injurias ferendo augeatur.* 2. 1. 19.
Hoſtem quomodo lædere liceat. 3. 4. 3. *an indiſtinctè, non conſiderata cauſæ juſtitia.* ib. *cur hoc gentibus ita placuerit.* 3. 4. 4. *qui ſub hac licentia lædendi comprehendantur.* 3. 4. 5. *an eum veneno tollere liceat.* 3. 4. 9. *an immiſſo percuſſere.* 3. 4. 11. *an in loco pacato occidere.* 3. 10. 9.
ad Hoſtem rediiſſe quis dicatur. 3. 16. 10.
an Hoſtes ſepeliendi. 7. 19. 4. & 5.
in Hoſtes licitum jus generoſè remittitur. 3. 1. 22.
apud Hoſtes deprehenſi an ſervi fiant. 3. 7. 2. *an in pace jus poſtliminii habeant.* 2. 9. 4.
an Hoſti ex promiſſione jus oriatur. 3. 21. 50. *an ei mentiri liceat.* 3. 1. 9. *an privatim nocere.* 3. 11. 1. & 2.
Hoſtibus ſubminiſtrans res an pro hoſte habendus, & an res intercipi poſſint. 3. 1. 5. *quid, ſi non ad hoſtem, ſed ad amicum vicinum, mittantur.* 3. 1. 6.
Hoſtis, quis. 3. 3. 2. *an ejus interfectio omni modo licita ſit.* 3. 1. 24. *an ob ſtrenuam defen-*

ſenſionem, & pertinax ſtudium in partes, rectè occidatur. 3. 4 8. & 7.
Hoſtium ſubditi, an ubique occidi poſſint. 3. 4. 6. an in ſolo pacato. i9.

I.

Idola hoſtium an violare liceat. 3. 5. 4. quid, ſi victores eadem religione teneantur. ib.
Impediens aliquem à petendo munere, ad quid teneatur. 2. 17. 5.
an Imperator Romanus univerſale imperium habeat. 2. 22. 7. an ad id vindicandum, juſtum bellum ſuſcipiat. ib.
Imperia, quomodo poſſint eſſe in patrimonio. 1. 3. 39.
an Imperia non ſumma plenè haberi poſſint. 1 3. 43.
Imperia ſunt magna onera. 2. 4. 11. ut res aliæ aliquando derelictæ præſumuntur. ib. an alienari poſſint. 2. 6. 5. & 12. an pro parte, & an partis alienandæ conſenſus requiratur. 2. 6. 6. an ad conſervandum totum corpus. 2. 6. 7. an in feudum offerri. 2. 6. 13. an oppignorari. 2. 6. 14.
Imperia & dominia, quot modis deſinant. 2. 9. 1. an per interitum familiæ regnatricis. 2. 9. 2. an amittantur delinquendo. 2. 1. 17.
Imperii ſummitas, an diſtingui poſſit ab habendi plenitudine. 1. 3. 43.
Imperii forma unde dignoſcatur. 1. 3. 56. & 57.
Imperii ſubjecta, perſonæ & territorium. 2. 3. 7.
Imperii terminus, an fluminis curſum ſequatur. 3. 3. 19. & 20.
Imperio injuſto an ſit obſequendum. 2. 26. 2.
ſub Imperio, jure victoriæ acquiſito, quæ comprehendantur. 3. 1. 3. & 4.
an omne Imperium ejus, qui regitur, cauſa comparatum ſit. 8. 3. 33.
an Imperium ſummum diverſo modo haberi poſſit. 1. 3. 3.
Imperium in populum devictum, jure victoriæ acquiſitum, regi an populo acquiratur. 1. 3. 41.
Imperium ſummum, an & quomodo dividi poſſit. 1. 3. 47. an diviſum intelligatur, ſi populus liber futuro regi aliquid imperet, vel facultatem eum cogendi retineat. 1. 3. 48. an ſi rex alia acta rata non velit, quàm à ſenatu probata. 1. 3. 51.
Imperium ſummum an retineant ii, qui tributa ſolvunt. 1. 3. 54. an illi, qui nexu feudali tenentur. 1. 3. 55.
Imperium & dominium differunt. 2. 3. 6. hinc retineri imperium poteſt, aſſignato aliis dominio. 2. 3. 8.
Imperium loci occupatum ſequitur dominium rerum ibi exiſtentium. 2. 3. 9. nec propterea nova prohibitione eas apprehendendi opus eſt. 2. 3. 10.
Imperium in maris partem, quot modis acquiri poſſit. 2. 3. 17.
Imperium, quod in rege eſt, ut in capite, manet in populo, ut in toto. 2. 9. 9.
imperium ſummum an habeant populi, quamvis injuſtè agentes.

tes. 3. 3. 3. *an cœtus latronum*. ib. *an, qui pro parte id habent*. ib. v. Majeſtas.

Imperium in victos quale acquiratur. 3. 8. 1. & 2.

Imperium ſummum an comprehendat jus in bona & actiones ſubditorum. 3. 13. 56.

Imperium paternum, quomodo à poteſtate patria differat. 2. 5. 5. *patri & matri eſt commune*. ib. *ita tamen, ut patris imperium præferatur*. 2. 5. 3.

ob Inæqualitatem intervenientem, an juramentum, uti contractus, reſcindi poſſit. 2. 13. 24.

an Incorporalia belli jure acquirantur. 3. 7. 5.

Indictio belli. v. Belli indictio.

Induciæ quid. 3. 14. 1. *quotuplices*. 3. 15. 2. *an rectè dividantur in expreſſas & tacitas*, ib. *an differant à pace*. ib. & q. 4. *à quo tempore obligent*. 3. 14. 6. *an ad certa tantùm loca reſtringi poſſint*. ib. *quot modis finiantur*. 3. 14. 13. *quomodo violentur*. 3. 14. 14. *an per privatorum factum rumpantur*. 3. 14. 16. *an à belli ducibus concedi poſſint*. 3. 15. 9.

an Induciarum tempore detur poſtliminium. 3. 9. 11.

quid per Inducias liceat. 3. 14. 7. *an ire & redire*. 3. 14. 8. *an mœnia reficere & ſimilia*. 3. 14. 9. *an corruptis hoſtium præſidiis, loca invadere*. 3. 14. 10. *an loca derelicta occupare*. 3. 14. 11. *an incuſtodita*. ib.

extra Inducias, an competat jus commeandi, ſeu ſalvi conductus. 3. 14. 7.

Induciis finitis, an nova requiratur indictio belli. 2. 14. 3. *an intra fines hoſticos deprehenſus jus redeundi habeat*. 3. 14. 12.

Induciis adjectum tempus, an excluſum, an comprehenſum intelligatur. 3. 14. 5.

an Infantes dominium acquirere poſſint. 2. 3. 12. *an illo per ſe uti*. 2. 3. 13. *an ex promiſſo obligentur*. 2. 11. 6. *an belli jure occidi poſſint*. 3. 4. 5. & 17.

Inferiores, quomodo circa cauſas belli agere debeant. 2. 26. 1. *an inviti, ubi de injuſtitia cauſæ conſtat, ad bellum adigi poſſint*. 2. 26. 2. *quid, ſi dubitent*. 2. 26. 3. & 5.

Injuria ſubdito à principe illata, an toleranda, an vi repellenda. 1. 4. 1. & 2.

Injuria, ſocio aut ſubdito illata, an pacem rumpat. 3. 13. 44.

Injuriæ vindicta, à principe neglecta, an minoribus magiſtratibus permiſſa ſit. 1. 3. 12.

Injurias quaſvis ferre, an virtus. 2. 1. 20.

Injuſtitia, quomodo æſtimetur. 2. 20. 27. *eo major eſt, quo majus alteri damnum infertur*. ib.

Injuſtum, quid. 1. 1. 5.

Innocentem inſultans rex, an ipſo facto Rex eſſe deſinat. 2. 1. 17.

an Innocentes aliquando non injuſtè occidantur. 2. 1. 10. *quomodo citra propoſitum lædi poſſint*. 3. 1. 5.

Inſignia regia, an ſemper denotent regiam poteſtatem. 1. 3. 35.

35.
Inſula in flumine nata ad quem pertineat. 2. 8. 12.
Interpretatio recta ad obligationem producendam adhibenda. 2. 16. 1. *quid ſit.* 2. 16. 2. *quotuplex.* 2. 16. 3. *quæ ſit ejus menſura.* 2. 16. 4. *ex quibus ſignis deſumatur.* 2. 16. 5.
Interpretatio verborum quomodo fiat. 2. 16. 6. *an conjecturæ in ea locum habeant.* 2. 16. 7. *unde hæ conjecturæ deſumantur.* 2. 16. 8. & 9.
Interpretatio extenſiva & reſtrictiva. 2. 16. 23. *an utraque æquè facile admittenda.* 2. 16. 24. *extenſiva, quando locum habeat.* 2. 16. 25. *reſtrictiva, unde petatur, & quando locum habeat.* 2. 16. 27. 28. 30. 31. & 33.
Interpretatio conditionum pacis, quomodo fieri debeat. 3. 13. 11. *quæ maxime bellantes æquet quoad belli juſtitiam.* 3. 13. 12. & 13.
Interpretationis regulæ in non odioſis. 2. 16. 11. *in favorabilibus.* 2. 16. 12. *in odioſis.* 2. 16. 13.
Invaſio, an ſit juſtus ad regnum perveniendi modus. 2. 14. 21. & 22.
in invaſorem regni quid liceat. 1. 4. 19. *an ad juſſum veri regis occidi poſſit.* 1. 4. 20. *an vi legis, ante invaſionem in invaſorem latæ.* 1. 4. 21.
an Invaſores imperii populum obligare poſſint. 2. 14. 21. *an fœdera inire.* 2. 15. 5.
Inventio modus acquirendi. 2. 8. 9. *an fiat ſolo viſu.* 2. 8. 10.
an Inventionis titulo occupari poſſint ea, quæ ab aliis tenentur. 2. 22. 4. *quid, ſi poſſeſſores ſint barbari.* ib.
quæ ſint Invitamenta ad peccandum præcipua. 2. 20. 31.
an Ira delictum excuſet. 2. 20. 29.
Irritum quid ſit jure naturæ. 2. 5. 18. *an id, quod vetitum eſt.* 2. 4. 24.
Itus, quando reditum comprehendat. 3. 14. 21.
Judicare quis poſſit de controverſa regni ſucceſſione, rex, an populus. 2. 7. 61.
poſt Judicia publica inſtituta, an bellum privatum licitè geri poſſit. 1. 3. 5.
Judicio injuſto damnum qui dedit, ad quid teneatur. 2. 17. 12.
Judicium, quot modis ceſſet. 1. 3. 7.
in Juramentum inferiorum quale jus habeant ſuperiores. 2. 13. 29. *an eos ab iis abſolvere poſſint.* 2. 13. 30.
Juramenti forma. 2. 13. 17. *effectus.* 2. 13. 21.
Juramentis quæ ſint affinia. 2. 13. 32.
ex Juramento an Deo acquiratur obligatio. 2. 13. 12. *an perjuros propterea puniat.* 2. 13. 13.
Juramento non præſtito, quis fiat perjurus. 2. 13. 25. *an is cui id remiſſum.* 2. 13. 27. *vel qui ſub alia qualitate juravit.* ib.
Juramentum, cur exigatur. 2. 13.

ſeq. 2. *quid ſit*. 2. 13. 3. *quotuplex*. 2. 13. 4. *ejus requiſita*. 2. 13. 5.

Juramentum an ſit, ſi quis non putans ſe jurare, verba jurantia proferat. 2. 13. 7. *quid, ſi ea deliberato proferat, licet animo non jurandi*. 2. 13. 9.

Juramentum, dolo elicitum, an obliget. 2. 13. 10. *an metu injuſto extortum*. 2. 13. 11. *an illud, quod eſt de re illicita*. 2. 13. 14. *vel quod impedit majus bonum morale*. 2. 13. 15. *vel de re impoſſibili*. 2. 13. 16. *quid, ſi res pro tempore tantum ſit impoſſibilis*. ib.

Juramentum, ab execrationibus & obteſtationibus quomodo differat. 2. 13. 18.

Juramentum per falſos Deos an obliget. 2. 13. 19. *an Chriſtianis tale à Gentilibus exigere liceat*. 2. 13. 20.

Juramentum latroni præſtitum, an ſit ſervandum. 2. 13. 21. *an hoſti publico præſtitum*. ib. *an perjuro*. 2. 13. 23.

Juramentum an ab hærede præſtari debeat. 2. 13. 25.

Juramentum, ab altero remiſſum, an obliget. 2. 13. 27.

contra Juramentum factum, an injuſtum tantùm, an irritum quoque ſit. 2. 13. 28.

Juramentum regum, an & à quibus reſcindi poſſit. 2. 14. 8.

an Jurans, ſi in mente ſua obligari non velit, tamen obligetur. 2. 13. 8.

Jurare per creaturas an liceat. 2. 13. 18. *an per alium Jurare, aut per literas*. 2. 13. 26.

qui Jurare non poſſint. 2. 13. 6.

Jura quædam realia quo ſenſu dicantur. 1. 1. 9.

an Jura bello acquiri poſſint. 3. 8. 3.

quale Jus in bello obſervetur. 1. 1. 3.

Jus naturæ & gentium omnes homines obligat & ſemper. 1. 1. 3. *quomodo hæc duo jura differant*. 1. 1. 42.

Jus, quot modis ſumatur. 1. 1. 4. *aliquando pro eo, quod juſtum eſt*. ib.

Jus, pro qualitate morali ſumtum, quid ſit. 1. 1. 8. *quotuplex*. 1. 1. 10.

Jus pro lege. 1. 1. 20.

Jus divinum. 1. 1. 22. *quotuplex* 1. 1. 23. *morale*. 1. 1. 25. *poſitivum*. 1. 1. 26.

Jus naturæ, quid. 1. 1. 27. *an detur*. 1. 1. 31. *quomodo probetur*. 1. 1. 32. *hypotheticum*. 1. 1. 33. *abſolutum*. ib. *eſt immutabile*. 1. 1. 34. *videtur tamen mutari, propter materiæ mutationem*. 1. 1. 35. *eſſe aliquid juris naturalis, quomodo probetur* 1. 37. *quædam ejus juris eſſe dicuntur reductivè*. 1. 1. 38. & *abuſivè pro eo, quod eſt honeſtum*. ib.

Jus Gentium, quid. 1. 1. 39. *an à Deo*. ib. *cur id conſtitutum*. ib. *communis inter omnes gentes utilitas & neceſſitas ejus eſt fundamentum*. 1. 1. 41. *quomodo probetur*. 1. 1. 43.

Jus Hebræum, quem uſum habeat in quæſtionibus de jure belli & ſimilibus. 1. 1. 44.

Jus

INDEX.

Jus humanum, quid. 1. 1. 45. quos obliget, & an in decidende jure belli quæſtionibus adhiberi poſſit. 1. 1. 46.

Jus regium, an 1 Sam. 8. v. 11. deſcribatur. 1. 4. 3.

Jus ſtapulæ. quid. 2. 2. 35.

Jus uni populo conceſſum, an & alteri concedi debeat. 2. 2. 47.

Jus, quomodo originariè acquiratur in perſonas. 2. 5. 1. in liberos, propter generationem. 2. 5. 2. quomodo propter conſenſum. 2. 5. 11. quomodo ex delicto. 2. 5. 50.

Jus quæſitum ſubditis an princeps auferre poſſit. 2. 14. 12.

Jus non tantum ex ſolo belli principio ſpectatur, ſed & ex cauſis ſubnaſcentibus. 3. 1. 3.

Jus, quod ante bellum fuit, an eo ſuperveniente tollatur. 3. 13. 18.

an Jus, ex vera inæqualitate natum, per pacem condonatum cenſeatur. 3. 13. 20.

Jus commeandi, ſeu ſalvi conductûs, quid. 3. 14. 18. quotuplex. 3. 14. 19. an extra inducias competat. 3. 14. 17. militibus conceſſum, ad quos extendatur. 3. 14. 20. eo conceſſo, quid comprehendatur ſub itu. 3. 14. 21. an abitu conceſſo, reditus comprehendatur. 3. 14. 22. patri vel marito conceſſum, an ad filium & uxorem pertineat. 3. 14. 23. an ad famulum. ib. an ad bona & comites. 3. 14. 24. eo, qui conceſſit, mortuo, an revocetur. 3. 14. 25. quid, ſi ad beneplacitum fuerit conceſſum, 3. 14. 26.

Juſtitia expletrix, quid. 1. 1. 18. attributrix. 1. 1. 19.

Juſtitia, quando dicatur denegata, quando malitioſè protracta. 3. 2. 7.

Juſtum æquatorium & rectorium, quid. 1. 1. 6.

L.

Latrocinari, an liceat. 2. 15. 7.

ex Latrociniis non inhibitis an magiſtratus teneatur. 2. 17. 15.

an Latrones jus legationis habeant. 2. 18. 7. v. Piratæ.

cum Latronibus pactum an ſervari debeat. 3. 12. 4. an iis promiſſum, in favorem tertii, qui metum non intulit. 3. 12. 6.

Legati admittendi & non violandi. 2. 18. 8. an omnes admittendi. 2. 18. 9. quæ ſint juſtæ eos rejiciendi cauſæ. 2. 18. 10. cur ſint inviolabiles. 2. 18. 11. lex de iis non violandis an etiam eum obliget, per cujus territorium tranſeunt. 2. 18. 14. an jure civili populi, ad quem mittuntur, teneantur. 2. 18. 11. eorum comites an ſint ſancti. 2. 18. 16. an eos delinquentes punire poſſint. 2. 18. 17. an in ædibus ſuis habeant jus aſyli. 2. 18. 18. an eorum bona, ad ſolutionem debiti, capi poſſint. 2. 18. 19. an jure repreſſaliarum capi. 3. 2. 13.

Legationis jus, ex quo jure ſit. 2. 18. 3. quibus competat. 2. 18. 4. an iſtis, qui impari

ſe-

INDEX.

fœdere junguntur. 2. 18. 5. *an civitati, ſi inter ſe ſcindatur.* 2. 18. 6. *an rebellibus.* 2. 18. 7.

in Legatos debitores quale jus creditoribus competat. 2. 18. 19. & 20.

ob Legatum violatum an juſtè ſuſcipiatur bellum. 2. 18. 21.

Legatus quid. 2. 18. 1. *quotuplex.* 2. 18. 2. *an mittentem obliget.* 2. 11. 25. *an etiam contra arcana mandata.* 2. 11. 26. *an ab eo, ad quem miſſus eſt, puniri poſſit.* 2. 18. 11. *quid, ſi hoſtilia moliatur.* 2. 18. 12. & 13. *an jure talionis occidi, aut malè tractari poſſit.* 2. 18. 15.

Legitima liberis & parentibus debetur. 2. 7. 32. *an lege civili tolli poſſit.* 2. 7. 10.

Lege quot modis fiat acquiſitio. 2. 7. 1.

Legem quis tollere poſſit. 2. 20. 22.

Leges civiles aliquando injuſtæ, 2. 7. 1. & 2. 21. 24.

Leges, de ſucceſſionibus privatorum latæ, an etiam obtineant in ſucceſſionibus principum. 2. 7. 34.

quæ Leges ſint obſervandæ in contractu, in mari, aut in inſulis vacuis celebrato. 2. 11. 11.

Leges coactivæ, an circa Regum actus locum habeant. 2. 14. 11.

Leges prohibitivæ non ſemper ſunt æquales. 2. 16. 33.

Leges humanæ interfectionem quorundam permittentes, an interfectoribus jus verum, an tantùm impunitatem præſtent. 2. 1. 26. & 2. 20. 19.

an Leges, quæ liberos ob crimen paternum damnant, juſtæ ſint. 2. 21. 24.

Legiſlator, an lege ſua teneatur. 2. 20. 22. *an eam impunè abroget.* ib.

Lex, quid. 1. 1. 10.

Lex commiſſoria in delatione regni adjecta, quid operetur. 1. 3. 46.

Lex civilis, an peregrinos obliget. 2. 2. 22.

Lex de uſucapione à principe lata, an ad ipſum jus imperii & ejus partes pertineat. 2. 4. 18. *an ad alia.* 2. 4. 21.

Lex aliquid vetans, an illud ſimul irritum faciat. 2. 5. 24.

Lex decalogi, de furto non faciendo, quid contineat. 2. 10. 4.

Lex de non reſiſtendo ſuperiori, an obliget in ſummo diſcrimine. 1. 4. 5.

Lex permiſſiva cedit præceptivæ; affirmativa negativæ; generalis ſpeciali; lex inferioris legi ſuperioris. 2. 16. 33.

Liberi, quale damnum, occaſione delicti paterni, ſentire poſſint. 2. 21. 22. *an propterea puniri.* 2. 21. 23. & 24.

cur Liberi captivorum ſervi fiant. 3. 7. 3. *quo jure ſervi naſcantur.* 3. 7. 14.

Liberis debentur alimenta. 2. 7. 9. & *quidem omnibus.* 2. 7. 10. *an ſemper.* 2. 7. 11. & 18. *an ab avo.* 2. 7. 14. *ſic debetur ipſis ſucceſſio.* 2. 7. 8. &

INDEX.

& 15. *niſi juſtè exheredentur.* 2. 5. 16. *vel ſint adulterini.* 2. 5. 19. *quomodo de eo conſtare poſſit.* 2. 7. 20. *quid, ſi ſint naturales.* 2. 7. 22.

Liberorum diſtinctio in naturales & legitimos, an ſit ex jure civili. 2. 7. 44. *an ad regum liberos pertineat.* ib.

Libertatis deſiderium in populo ſubdito, an juſta ſit belli cauſa. 2. 22. 5.

quid Liceat in bello, aut nudè ſpectatur, aut ex promiſſo accedente. 3. 1. 1.

quid Liceat natura. 3. 1. 2.

vox Licere quas ſignificationes habeat. 3. 4. 2.

quod Licet in Bello, ad quod bellum pertineat. 3. 2. 1.

an Licita ſint quædam conſequenter, quæ non licerent ex propoſito. 3. 1. 4.

Literatis in bello parcendum. 3. 3. 17.

Locans pluribus operam, an à ſingulis mercedem in ſolidum exigere poſſit. 2. 12. 31.

Locatio conductio convenit & differt ab emtione. 2. 12. 30. *cujus damno ſint caſus uſum impedientes.* ib. *ſine certa mercede aut re facta an valeat.* 2. 14. 10.

Locupletior ex re aliena factus, ad quid teneatur. 2. 10. 9.

quando Locus in ſolo pacato ſitus occupari poſſit. 2. 2. 27. *ut tamen nihil, præter nudam cuſtodiam, ſumatur.* 2. 2. 28.

M.

Magiſtratus minor, an & quando bellum gerere poſſit. 1. 3. 11. *an contra ſuperiorem.* 1. 4. 4. *an injuriam regi illatam, ſed neglectam, perſequi & vindicare poſſit.* 1. 3. 12.

Magiſtratus latrocinia non inhibentes, ad quid teneantur. 2. 17. 15.

Majeſtas, quid. 1. 3. 16. *cur dicatur ſumma poteſtas.* 1. 3. 17. *an & à quo ejus actus poſſint reddi irriti.* 1. 3. 18. *an rectè dividatur in realem & perſonalem.* 1. 3. 24. & 29. *an ſemper ſit penes populum.* 1. 3. 29. *an à Deo.* 1. 3. 30. *an ex nomine & externa adminiſtrationis ſpecie cognoſcatur.* 1. 3. 35. *an ex delatione imperii per ſucceſſionem vel electionem.* 1. 3. 36. *diverſo modo haberi poteſt.* 1. 3. 37. *an poſſit eſſe in patrimonio.* 1. 3. 39. *aliquando optimatibus competit.* 1. 3. 31. *aliquando populo in populum.* ib. v. Imperium.

Majeſtatis ſubjectum, quotuplex. 1. 3. 19. *ſubjectum commune.* 1. 3. 20. *& proprium.* 1. 3. 26. *cur hoc ita dicatur.* 1. 3. 27.

Majeſtatis quot ſint jura. 1. 3. 28.

Majoratus, quid. 2. 7. 54.

an Malum declinandum quæ fiunt, maximè excuſabilia videntur. 2. 20. 26.

Mandatarius, cui à rep. magiſtratus collatio eſt mandata, ad quid teneatur. 2. 17. 6.

an Mandatum per æquivalens impleri poſſit. 2. 16. 26.

Mandatum, an excuſet exſecutorem delicti. 2. 17. 10.

ad

ad Mandatum injuſtum an quis teneatur. 2. 26. 2. *quid, ſi de ejus juſtitia dubitet.* 2. 26. 3.

Mandatum de hoſte perſequendo, quotuplex ſit. 3. 11. 3.

Mandatum excedens, ad quid teneatur. 3. 15. 5.

contra Mandatum arcanum agens mandatarius, an mandantem obliget. 3. 15. 4. & 2. 11. 26.

an Mare poſſit eſſe in dominio. 2. 2. 14. & 17. *an occupari.* 2. 3. 14. *in quibus partibus occupari poſſit.* 2. 2. 15. & 16. *an omne, an internum tantùm, & quouſque.* 2. 3. 15. *an ſolo animi actu.* 2. 3. 16. *an per contractum, ne ibi ab alio navigetur.* 2. 3. 18. *quot modis pro parte acquiri poſſit.* 2. 3. 17.

an Mares in regnorum ſucceſſionibus præferendi ſint fœminis. 2. 7. 46.

an Maritus habeat imperium in uxorem. 2. 15. 14. *an uxorem, in adulterio deprehenſam, impunè occidat.* 2. 20. 19.

Mater eſt certa. 2. 7. 20.

Matrimonia parentum cum liberis illicita. 2. 5. 20. *an cum cognatis & affinibus.* 2. 5. 21. *an inter civem & peregrinam, ſenatorem & libertam, ſervum & liberam.* 2. 5. 23 *non omnia ſunt irrita, quæ lege humana prohibentur.* 2. 5. 24.

Matrimonii contrahendi libertas, an vicinis denegari poſſit. 2. 2. 46. *leges civiles, quæ exteris eam negant, quomodo ſint intelligendæ.* ib. *an propterea juſtè ſuſcipiatur bellum.* 2. 22. 3.

Matrimonium quid. 2. 5. 15. *eſt conſociatio maximè naturalis.* 2. 5. 13. *cui in ea imperium competat.* 2. 5. 14. *an irritum ſit, deficiente parentum conſenſu.* 2. 5. 18. *an contrahi poſſit cum alterius viventis conjuge.* 2. 5. 19.

Matrimonium ad Morgenaticam, quid. 2. 5. 25. & 2. 7. 23. *an licitum.* 2. 7. 24. *quæ rationes civiles tale matrimonium ſuadeant.* 2. 5. 26. & 2. 7. 25. *an in juſtum matrimonium mutari poſſit.* 2. 7. 26.

an Medici, ægrotis falſa dicentes, mentiri dicantur. 3. 1. 20.

Medii in bello, qui dicantur. v. Neutrales.

an Membri conſervandi cauſa, alium occidere liceat. 2. 1. 4.

Mendacii natura in quo conſiſtat. 3. 1. 14.

à Mendacio an excuſetur, qui verbum in alia ſignificatione ſumſit. 3. 1. 16.

Mendacium, quid. 3. 1. 8. & 14. *quomodo à falſiloquio differat.* 3. 1. 15.

quibus non Mentiamur. 3. 1. 10. & 20. *an hoſtibus.* 3. 1. 21. & 22.

Mentiri & mendacium dicere, quomodo differant. 3. 1. 15.

Menſura pretii, quæ 2. 12. 20.

Mercatoribus in bello parcendum. 3. 4. 17.

an Merces, ad hoſtem miſſæ, intercipi poſſint. v. Hoſtibus.

ob Meritum, an quis à pœna liberari poſſit. 2. 20. 24.

ex Metu commiſſum delictum, an excuſari poſſit. 2. 20. 29.

ad-

INDEX.

adverſus Metus incertos quale præſidium petendum ſit. 2. 1. 31.

an Metus promiſſum vitiet. 2. 11. 15. & ſeqq. *an contractum.* 2. 12. 14.

Metus ex vicina potentia, an juſta belli cauſa. 2. 22. 3.

an Metus interveniens obligationem reſcindat. 3. 12. 9.

qui Metus in bello ſolenni habeatur pro juſto. 3. 12. 9.

an Miles ex damno, per vaſtationem dato, teneatur. 3. 11. 7.

Militare ob ſolum ſtipendium an liceat. 2 25. 10.

an Milites ſinguli ex bello captis nihil ſibi acquirant. 3. 6. 7. *an aliquid extra miniſterium publicum facere poſſint.* 3. 6. 8. *quas res ſibi acquirant.* 3. 6. 9.

Militum nomine qui intelligantur. 3. 14 20.

Miniſtris regiis, iniquum mandatum exequentibus, an reſiſtere liceat. 1. 4. 8.

an Minores ex promiſſo teneantur. 2. 11. 6.

in Minorum reſtitutione in integrum, quales leges obſervari debeant. 2. 11. 10.

Moderatio in bello, ad quid proſit. 3. 5. 10.

Monarchia, quid. 1. 3. 27. *an univerſalis detur.* 2. 22. 8.

Monopolia, an ſint licita. 2. 2. 48 & 2. 12. 29.

an Mora in obligatione faciendi, intra breve tempus purgari poſſit. 3. 13. 27.

Morari in territorio an peregrinis liceat. 2. 2. 38.

Morbi, an proprie ſint pœnæ. 2. 20. 4.

Mors mandantis an mandatum tollat. 2. 11. 34.

Mortem meritos an magiſtratus rectè inter ſe committat. 2. 1. 28.

quæ Mortis vitandæ cauſa injuſtè ſiunt, excuſari poſſunt. 2. 20. 26.

Mortui, an puniri poſſint. 2. 19. 8.

Mortuorum corpora malé tractari non debent. 3. 5. 5.

ſub Muris an aliquando aggeres intelligantur. 2 16. 25.

Mutilatio membri. v. Membri.

qui Mutilavit alium, ad quid teneatur. 2. 17. 12.

N.

Nati qui nondum ſunt, quomodo jus ſuum amittere poſſint. 2. 4. 17. *an pro debitis civitatis teneantur.* 3. 7. 14.

Naturæ prima, quæ. 1. 2. 2. *an per ſe ſufficiant ad probandum jus naturæ.* 1. 2. 3.

Naves, quando cenſeantur captæ. 3. 6. 2.

Navis hoſtilis, etiamſi in ea innocentes ſint, an tormentis peti poſſit. 3. 1. 4.

Navigandi libertas, an pactis imminui poſſit. 2. 3. 18. *an tale pactum occupationem maris doceat.* ib.

Naufragorum bona an juſtè publicentur. 2. 7. 1.

Neceſſitas graviſſima jus dat in res jam occupatas. 2. 2. 23. *non tamen ſemper.* 2. 2. 24 *nec furtum ita committitur.* 2. 2. 25. *ut tamen, ceſſante neceſſitu-*

ſitate, reſtitutio fiat. 2. 1. 26. *eodem jure locus in ſolo pacato occupari poterit.* 2. 2. 27. v. Locus.

Neglectus in puniendis ſubditis, quando in ſuperiore præſumatur. 3. 13. 33.

Neutrales qui dicantur. 3. 10. 3. *qui tales eſſe poſſint.* 3. 10. 5. *in Neutrali loco an alteruter belligerantium locum occupare poſſit.* 3. 10. 8. *an hoſtem occidere, vel res ejus capere.* 3. 10. 9.

Naturalitas in bello, an utilis. 3. 10. 1. *quid ſit.* 3. 10. 2. *quotuplex.* 3. 10. 4. *an ad eam quis cogi poſſit.* 3. 10. 6.

Neutralium quod ſit officium erga bellantes, & an alterutri tranſitum concedere poſſint. 3. 10. 10. *an arma & ſimilia ipſis vendere.* 3. 10. 11. *an eos ad pacem inducere.* 3. 10. 12.

Nomen regionis, per pacem reſtituendæ, quomodo accipiendum. 3. 13. 24.

Noſtrum, quibus ex cauſis, & quot modis, aliquid dicatur. 2. 2. 2. & 2. 17. 3. *natura quid ſit noſtrum.* ib. *quid ex lege.* ib. *an ex ſola aptitudine aliquid ſit noſtrum.* 2. 17. 4.

Noſtrum quomodo aliquid fiat acquiſitione derivativa 2. 6. 1. *quomodo facto hominis.* 2. 6. 2. *quomodo lege.* 2. 7. 1.

Nummus, qualis eſſe debeat. 2. 12. 23. *an ex ſtanno, plumbo, papyro, vel ſimili materia.* 2. 12. 24. *an ejus valor, pro lubitu ſummum imperium habentis mutari poſſit.* 2. 12. 25.

an Nutus interdum ſit ſignum ſufficiens voluntatis declaratæ. 2. 11. 25.

O.

Obedientia, quando ſit licita. 1. 4. 1. & 2. 26. 2. & ſeqq.

Obligari per alium an poſſimus. 2. 11. 25. *an inviti.* 2. 11. 26.

Obligari naturaliter & civiliter aliquis poteſt. 2. 14. 11.

Obligatio adverſus nos naſcitur ex rebus exſtantibus vel non exſtantibus. 2. 10. 1. *quomodo ex rebus exſtantibus.* 2. 10. 2. *& non exſtantibus.* 2. 10. 9.

Obligatio perfecta præfertur imperfectæ. 2. 16. 33.

qualis Obligatio ex damno dato oriatur. 2. 17. 2.

an quis, contra obligationem faciendo, ſe obligationi eximat. 3. 13. 43.

Obſes, quis. 3. 11. 57. *an etiam invitus dari poſſit.* 3. 13. 56. *an vaſallus.* 3. 13. 58. *an damnum ipſi datum à civitate resarciri debeat.* 3. 13. 59. *an interfici poſſit.* 3. 13. 60. *an ſervus fiat.* ib. *an aufugere poſſit.* 3. 13. 61. *in unam cauſam datus, an propter aliam retineri.* 3. 13. 62. *an eô, pro quo redimendo datus eſt, mortuô, liberetur.* 3. 13. 63. *an rege mortuo, à quo datus.* 3. 13. 64.

Obſeſſi, qui oppidi traditionem promiſerunt, an præſidium dimittere poſſint. 3. 15. 15.

Obteſtatio. v. Juramentum.

Occidere alium, ob membrum mutilatum, an liceat. 2. 1. 14.

an

an ad pudicitiam conſervandam. 2. 1. 15. an ad vitandam alapam, aut malum ſimile. 2. 1. 19. an ad exiſtimationem tuendam. 2. 1. 23. an ad res ſervandas. 2. 1. 24. & 25.
Occidi innocentes, ad ſervandam vitam, an poſſint. 2. 1. 10.
Occidi quando quis debeat potiùs, quàm occidere. 2. 1. 15.
Occiſio hominis per fugam vitanda. 2. 1. 21. nec ea ignominioſa eſt. 2. 1. 22.
Occiſio ſui ipſius, an licita. 2. 19. 9. quid, ſi quis videat, ſe victurum deinceps in probrum Dei. 2. 19. 10. an ad pudicitiam conſervandam. 2. 19. 11. an ad vitandam hoſtium crudelitatem, tormenta vel mortem ignominioſam. ib.
Occupari quæ poſſint. 2. 3. 6.
Occupatio alia fit per univerſitatem, alia per ſingulos. 2. 2. 19. quæ per univerſitatem fiat. 2. 2. 20.
Occupatio, qualis ſit modus acquirendi. 2. 8. 2. quot modis fiat. 2. 8. 3. quomodo venatione. 2. 8. 4.
Odioſa, quæ ſint. 2. 16. 10. quomodo interpretanda. 2. 16. 13. in dubio ſunt perſonalia. 2. 16. 19.
non Odioſa, vel odio carentia, quomodo interpretanda. 2. 16. 11.
an Onus promiſſioni perfectæ adjici poſſit. 2. 11. 36.
Operæ injunctæ, quando ſint pœnæ. 2. 20. 3. quomodo à ſervo exigendæ. 3. 7. 13.
Opificibus in bello parcendum. 3. 4. 17.
Opiniones novæ. v. Dogmata.
Oppidi traditionem qui promiſit, an præſidium dimittere poſſit. 3. 15. 15.
quis Ordo naturaliter inter ſocios ſervetur. 2. 5. 32.

P.

Pacatorum officium erga bellantes. v. Neutrales.
poſt Pacem factam capta, an reddi debeant. 3. 13. 21.
Pacem rumpere, & novam bello cauſam præbere, quomodo differant. 3. 13. 30.
an per Pacem ſe ſuaque defendere liceat. 3. 13. 36. an ultionem ſumere, aut ablata recuperare. 3. 13. 37. & 38.
Pacem facere, cujus ſit. 3. 13. 4. quando conveniat. 3. 18. 8.
Pacis conditiones quis primus quærere debeat. 2. 13. 14. & 15. quomodo ſint interpretandæ. 3. 13. 11.
Pacis ruptura, quid. 3. 13. 29.
Pacta, cum extraneis à tutoribus legitime inita, an ſub prætextu minorennitatis, à Rege reſcindi poſſint. 2. 14. 6.
Pacta ducum belli, quomodo interpretanda. 3. 15. 12.
Pacta cum hoſtibus inita, quomodo interpretanda. 3. 16. 10.
Pacta, à rege cum populo inita, de dividendo imperio, an ſint ſervanda. 3. 12. 7.
Pacta privatorum cum hoſte an valeant. v. Privati.
Pactio, in mari vel inſula vacua facta, quo jure regatur. 2. 11. 11.
Pactio de reſtituenda re, an eti-

am contineant fructuum reſtitutionem. 3. 13. 23.

Pactio ſe referens ad pactionem præcedentem, quomodo accipienda. 3. 13. 25.

quinam Pactiones bellum finientes, inire poſſint. 3. 13. 4.

Pactiones de reddendis bello captis, quomodo interpretandæ. 3. 13. 22.

Pactionibus publicis quæ res ſubjiciantur. 3. 13. 5.

Pactionum quæ ſint acceſſiones. 3. 15. 56.

an Pactis de ſtatu puro in mixtum tranſiri poſſit. 3. 12. 7.

Pactum & contractus quomodo differant. 2. 12. 2.

Pactum dubium, contra quem interpretandum. 3. 13. 28.

Pactum de faciendo, quomodo inpretandum. 3. 13. 26.

Pactum cum latrone initum, an ſit ſervandum. 3. 12. 4. *an cum hoſte, de non militando factum.* 2. 26. 7.

per Pactum quando imperium, vel ejus pars, à rege alienari poſſit. 3. 13. 6.

Pactum reale. v. Fœdus.

Parentibus debetur reverentia. 2. 5. 2. 6. & 18. *alimenta.* 2. 7. 12. & ſeq. *ſucceſſio in bona liberorum.* 2. 7. 27. *quando iis impunè non obediatur.* 2. 26. 2.

an Parere debeant ſubditi, ubi injuſtum eſt mandatum. 2. 26. 2. *quid, ſi dubium.* 2. 26. 3. & 4.

Pars major univerſitetis an omnes obliget. 2. 5. 28.

an Pars civitatis invita à corpore avelli poſſit. 3. 13. 6.

Paſſionis malum, quid. 2. 20. 3.

Pater, quis. 2. 7. 21. *liberos coërce poteſt.* 2. 5. 7. *an vendere, oppignorare, & aliis in adoptationem dare.* 2. 5. 8. *an occidere.* 2. 5. 9. & 10. v. Poteſtas patria.

an Patriæ proditoribus ſepultura debeatur. 2. 19. 12.

Patris imperium an præferatur imperio matris. 2. 5. 3.

Paupertatis ſummæ vitandæ cauſa quæ fiunt injuſtè, an excuſari debeant. 2 20. 26.

Pax, quid. 3. 18. 3. *quotuplex.* 3. 18. 4. *quando cenſeatur tuta.* 3. 18. 5. *in dubio præferenda bello.* 2. 23. 7. *in bello ſemper ſpectanda.* 3. 18. 2. *qualibuſcunque legibus facta ſervanda.* 3. 18. 9. *quot modis rumpatur.* 3. 13. 30. *quomodo faciendo contra id, quod in pace dictum eſt.* 3. 13. 40. *an violando minora ejus capita. ib. quomodo faciendo, quod ſpecialis pacis natura repudiat.* 3. 13. 44. *an cenſeatur rupta, ſi alter promiſſum implere non poſſit.* 3. 13. 42.

ex quibus actibus Pax, amicitiæ cauſa contracta, rupta cenſeatur. 3. 13. 45.

an Pax, poſt læſam fidem ab altera parte, adhuc ſervari poſſit. 3 13. 43.

Pecunia, an res ſterilis, & quo ſenſu ita dicatur. 2. 12. 33.

Percuſſore immiſſo an hoſtem tollere liceat. 3. 4. 11. *cur deprebenſi percuſſores exquiſitis ſuppliciis afficiantur.* 3. 4. 12.

Perduellium liberi an juſtè hen-

ribus excludantur. 2. 21. 22.
Perigrini, ſedibus ſuis pulſi, an in civitatem recipiendi. 2. 2. 39. *an poſtulantibus iis certa loca concedenda.* 2. 2. 40. *in civitatem ſemel admiſſi an rurſus ejici poſſint.* 2 2. 43. v. Exteri.
an Perfidis fides ſit ſervanda. 3. 12. 10.
Periculum, quomodo æſtimetur in Aſſecuratione. v. Aſſecuratio. *rei venditæ, ad quem pertineat.* v. Emtio.
Perjurus quis fiat. 2. 13. 25. *an is, cui juramentum remiſſum fuit, vel qui ſub alia qualitate juravit.* 2. 23. 27. *cur Deus eos puniat.* 2. 13. 13.
Permiſſa cedunt præceptis. 2. 16. 33.
Permittere ſe hoſtis arbitrio, quid ſignificet. 3. 13. 54.
Perſonæ aptitudo, an in æſtimatione delicti conſiderari debeat. 2. 20. 29.
Pignora pactionum ſunt acceſſiones. 3. 13. 56. *in quibus cum obſidibus conveniant & differant.* 3. 13. 65.
Pignorationes, quomodo à repreſſaliis differant. 3. 2. 14.
Pignoris conſtitutione originariè non acquiritur. 2. 3. 4.
an Pignus, ex alio ſuperveniente dubio, retineri poſſit. 3. 13. 65. *an perpetuò lui.* 3. 13. 66.
Piratæ, an civitatem faciant. 3. 3. 3. *quæ capiunt, an ſua faciant.* 3. 9. 16. *an jus legationis habeant.* 2. 18. 7. *ipſis juratum an ſervari debeat.* 2. 13. 21.
in Piratas omnis homo miles. 2. 20. 18.
Piraticam non inhibentes magiſtratus, an teneantur. 2. 17. 15.
Piſces, ad quem pertineant. 2. 2. 20. *in ſtagno privato verſantes, an occupati cenſeantur.* 2. 8. 8.
Pollicitatio, quid. 2. 11. 4. *an promittentem obliget.* ib.
in Pollicitatione, civitati facta, cur non requiratur acceptatio 2. 12. 29.
Polygamia, an ſit licita. 2. 5. 16.
Pœna, quid. 2. 20. 2. & 3. *in maleficos non tantùm licita, ſed & præcepta.* 2. 20. 5. *an ad aſſignatricem, an ad expletricem juſtitiam pertineat.* 2. 20. 6. *voluptatis tantùm cauſa ſumi non debet.* 2. 20. 10. *ſed utilitatis cauſa, & quæ utilitates in ejus impoſitione conſiderandæ.* 2. 20. 11. *an juſtè tolli poſſit.* 2. 20. 21. *potiùs minuenda, quàm augenda.* 2. 20. 23.
à Pœna aliquem liberandi cauſæ ſunt vel intrinſecæ. 2. 20. 23. *vel extrinſecæ.* 2. 20. 24.
in Pœna an exactè ſit paſſio par delicto. 2. 20. 30.
Pœna univerſitatis & ſingulorum quomodo differat. 2. 21. 14.
Pœna quamdiu, ob univerſitatis delictum, exigi poſſit. 2. 21. 15.
an Pœna, in violatores pacis impoſita neceſſariò ab altero acceptari debeat. 3. 13. 41. *an ſoluta jus bellandi tollat.* 3. 14.

14. 15.

Pœnæ nomine an veniant incommoda ex adverſa valetudine. 2. 20. 4.

Pœnæ finis internus & externus. 2. 20. 11. *externus reſpicit* (1) *utilitatem lædentis.* 2. 10. 12. *à quibus imponatur* 2. 20. 13. (2) *utilitatem læſi.* 2. 20. 14. *quot modis obtineatur.* ib. *à quo.* 2. 20. 15. & 16. (3) *utilitatem quorumlibet.* 2. 20. 17. *à quo exigatur.* 2. 20. 18.

ut Pœna rectè æſtimetur, conſideranda delictum & utilitas ex pœna. 2. 20. 25. *quæ in delicto ſint conſideranda.* 2. 20. 26. *v.* in Delicto. *an vita anterior ſimul in æſtimationem veniat.* 2. 20. 28. *an perſonæ aptitudo.* 2. 20. 29.

Pœnæ magnitudo, quomodo ſpectetur. 2. 20. 31.

ad Pœnam conſequendam, an bellum ſuſcipi poſſit. 2. 20. 34. & *ſeqq.*

Pœnarum communicatio, quid. 2. 21. 1. *quotuplex.* 2. 21. 2.

Pœnitentia vera requirit, ut is qui damnum dedit, id reſarciat. 3. 4. 14.

Populatio, quando juſta 3. 5. 8 & 9.

Populi qui in alterius ditionem conceſſerunt, majeſtatem an habeant. 1. 3. 21.

Populi plures liberi, licet idem caput habeant, an ſinguli majeſtatem retineant. 1. 3. 22. *unde hoc conſtet.* 1. 3. 23.

Populi interdum ob regum peccata puniti. 1. 3. 33.

an Populi integri poſtliminio reſtitui poſſint. 3. 9. 1[illegible]

Populi & populorum partes an laudabiliter à victore reſtituantur. 3. 9. 22. *quid, ſi jus ſit ambiguum.* 3. 9. 24.

Populus, an durante domo regnatrice majeſtatem habeat. 1. 3. 24. *an ſemper ſit ſupra regem.* 1. 3. 29. 30. & 32. *quouſque teneatur contractibus regis,* 2. 14. 16. & *invaſoris.* 2. 14. 21. & 22

an Populus, in alium locum migrans, idem maneat. 2. 9. 8. *an mutata regiminis forma.* 2. 9. 10.

an Populus Romanus hodie idem ſit, qui olim. 2. 9. 14.

Populus, qui ſe ſponte alteri ſubjecit, an per pacem reſtituendus. 3. 13. 15.

in Poſſeſſione, in priorem ſtatum reſtituenda, quale tempus inſpiciendum. 3. 13. 14.

Poſſeſſor bonæ fidei rem poſſeſſam reſtituere tenetur. 2. 10. 2. *etiamſi eam dominus non repepetat.* 2. 10. 3. *non verò, ſi perierit* 2. 10. 10. *niſi ex iis factus fuerit locupletior.* 2. 10. 9 *ſic fructus reſtituet.* 2. 10. 11. *an conſumtos & percipiendos.* 2. 10. 12. *quid, ſi talem rem donaverit.* 2. 10. 13. *an ex tali re donata ſemper cenſeatur locupletior factus.* 2. 10. 14. *quid, ſi vendiderit.* 2. 10. 15. *an eam, bona fide emtam, ſine repetitione pretii reſtituat.* 2. 10. 16. *etiamſi hoc modo damnum incurrat.* 2. 10. 17. *an ad illud vitandum & pretium ſervandum, rem venditori reſtituere poſſit.* 2. 10. 18.

Poſſ-

INDEX.

Poſtliminium, *quid*. 3. 9. 1. *quotuplex*. 3. 9. 3. *an in pace obtineat*. 3. 9. 4. & 5. *an induciarum tempore*. 3. 9. 11. *an extra bellum locum habeat*. 3. 9. 18. *an hodiè obtineat*. 3. 9. 19. *in quo conſiſtat ejus temperamentum*. 3. 9. 20. 21. & 22.

Poſtliminio qui redeant, *qui recipiantur*. 3 9. 3.

Poſtliminio quando redeat liber homo. 3. 9. 6. *an etiam*, *commerciò ad ſuos redux*, *priſtinum ſtatum recuperet*. 3. 9. 7. *quid cum ſtatu recuperet*. 3. 9. 8. *an etiam res à priore domino alienatas*. 3. 9. 9. *an jura in ipſum reſtituantur*. 3. 9. 10.

an Poſtliminio gaudeant dediti. 3. 9. 11. *an integri populi*. 3. 9. 12.

Poſtliminio qui recipiantur. 3. 9. 13. *quid ad id requiratur*. 3. 9. 10.

in Poſtliminio quæ res ſint. 3. 9. 15. *an mobiles*, *an immobiles*. ib. *an res*, *quæ intra præſidia hoſtilia nondum fuerunt perductæ*. 3. 9. 16. *quæ omnia jure civili variè determinantur*. 3. 9. 17.

Poteſtas patria, *quid*. 2. 5. 4. *quomodo differat ab imperio paterno*. 2. 5. 6. & 7. *ſoli patri competit*. ib. *rectè diſtinguitur per certa temporis intervalla*. 2. 5. 6. *an per captivitatem exſtinguatur*. 3. 7. 5.

cum Poteſtate minore contrahens, *an ſemper obligetur*. 3. 15. 6. *an conditiones*, *in ipſius mandato expreſſas*, *ſequi debeat*. 3. 15. 4.

Poteſtates minores in bello, *quæ ſint*. 3. 15. 1. *quot modis earum promiſſa conſiderari poſſint*. 3. 15. 2. *quando ſummam poteſtatem obligent*. 3. 15. 3. *quid*, *ſi fines mandati excedant*. 3. 15. 5. *quomodo eorum pacta ſint interpretanda*. 3. 15. 12. 13. & 14.

Poteſtas minor an inferiores poteſtates obliget. 3. 15. 7. *an pacem facere poſſit*. 3. 15. 8. *an inducias dare*. 3. 15. 9. *an bello quæſita alienare*. 3. 15. 10. *an nondum quæſita condonare*. 3. 15. 11.

Præceptum affirmativum cedit negativo. 2. 16. 33.

Præda, *quot modis tribuatur*. 3. 6. 10. *an ſemper ex mera liberalitate concedatur*. 3. 6. 11. *cur ſociis tribui ſoleat*. 3. 6. 12. *cur ſubditis*. 3. 6. 13.

an Prælia, *definito numero conducta*, *belli finiendi cauſa*, *permiſſa ſint*. 3. 13. 47. *quid in eo requiratur*. 3. 13. 48. *quid*, *ſi victoria certò probari non poſſit*. 3. 13. 50.

Præmia, *ad poſteros cur transferant*. 2. 21. 17.

Præmium cui debeatur, *ſi duo ſimul ad metam venerint*. 2. 16. 17.

Præſcriptio, *quid*. 2. 4. 13. *obtinet in regnis*. 2. 4. 14. *nec regi tantum contra regem*, *ſed & populo adverſus regem*, & *viciſſim*, *jus tribuit*. ib *ex quo jure ſit*. 2. 4. 15. *cur ad reges quoque pertineat*. 2. 4. 16. *an* non-

nondum natis per eam præjudicari poſſit. 2. 4. 17. lex, de ea à principe lata, an ad imperium ſummum extendenda. 2. 4. 18.
Pretium, quid. 2. 12. 17. vulgare & eminens. 2. 12. 18. quot modis determinetur. 2. 12. 19. ejus menſura. 2. 12. 20. an omnibus rebus imponi poſſit. 2. 12. 21. cur mox augeatur, mox minuatur. 2. 12. 22. pretii eminentis materia, qualis eſſe debeat. 2. 12. 23.
Pretium redemtionis. v. Redemtio.
Primus quis dicatur. 2. 16. 17.
Princeps, quomodo rex ſummo cum imperio fieri poſſit. 2. 4. 14.
Princeps, cum ſubdito contrahens, quas leges obſervet. 2. 18. 11. hoſtilia in territorio amico tentans, an occidi poſſit. 2. 18. 13. v. Rex.
quæ *Principalia* ſint bellum finientia. 3. 13. 3.
Privati, in controverſia de regno dubia, poſſeſſionem ſequi debent. 1. 4. 25.
an *Privati* fide hoſti data obligentur. 3. 16. 1. quouſque eorum in paciſcendo cum hoſte poteſtas ſe extendat. 3. 16. 2. & 3. an iis hæc facultas publicè adimi poſſit. 3. 16. 4 & 5. an ea pacta, privatim cum hoſte inita, ſervanda à magiſtratu cogi poſſint. 3. 16. 9.
Privatorum jus ad pœnam, an bello ſuperveniente tollatur. 3. 13. 19.
Promiſſa, quomodo confirmari ſoleant. 2. 13. 1. ſine cauſa à Rege facta, an ſervanda. 2. 14. 9.
Promiſſa, quotuplicia. 2. 16. 10. non odioſa quomodo interpretanda. 2. 16. 11. quomodo favorabilia & odioſa. 2. 16. 12. & 13 an omnia præſumantur conditionalia. 2. 16. 29. an quæ promiſſariis ſunt inutilia, aut promittentibus nimis noxia, ſervari debeant. 2. 16. 32.
Promiſſio perfecta, quæ. 2. 11. 5. requirit uſum rationis in promittente. 2. 11. 6. & 7. & ut res promiſſa ſit in poteſtate promittentis. 2. 11. 18. vel in ea eſſe poſſit. 2. 11. 19.
Promiſſio ex metu, an ſit obligatoria. 2. 11. 15. an ea, quæ in errore eſt fundata. 2. 11. 12. & 13. quid, ſi alterius dolus errori cauſam dederit. 2. 11. 14. quid, ſi cognito errore, promiſſor rem confirmet. 2. 11. 38.
Promiſſio latroni facta, an & quando ſit ſervanda. 2. 11. 16. & 17.
Promiſſio rei illicitæ an valeat. 2. 11. 18. & 22. an facti alieni. 2. 11. 40. an de re impoſſibili facta. 2. 11. 20. quid, ſi poſt promiſſum factum, fiat impoſſibilis. 2. 11. 21. an ob cauſam naturaliter vitioſam facta obliget. 2. 11. 22. an ob cauſam antè debitam 2. 11. 23. an ſine cauſa facta. 2. 11. 24. an ſemper requirat cauſam expreſſam. 2. 11. 39.
Promiſſio requirit ſignum ſufficiens voluntatis declaratæ. 2. 11.

11. 25. *fieri poteſt per miniſtrum.* ib. *an is mandantem, contra voluntatem ſuam obligare poſſit.* 2. 11. 26. *an per miniſtrum facta revocari poſſit.* 2. 11. 33. *quid in dubio ſequendum ſit.* 2. 11. 34.
Promiſſio ut valeat, eſt acceptanda. 2. 11. 28 *an per tertium acceptari poſſit.* 2. 11. 35. *an ante acceptationem obliget promittentem.* 2. 16. 37. *an ea ipſi innoteſcere debeat.* 2. 11. 30. *an revocari poſſit ante acceptationem factam.* 2. 11. 31. *an mortuô ante acceptationem promiſſariô.* ib. *an mortuô internuntiô.* 2. 11. 32. *an tabellariô mortuô.* ib. *quando poſterior præferatur priori.* 3. 16. 33.
Promiſſio captivi de redeundo in carcerem, an valeat. 3. 16. 6. *an de adverſus hoſtem non militando.* ib. *an de non aufugiendo.* 3. 16. 7.
Promiſſioni ptrfectæ aliquando onus adjicitur. 2. 11. 36. *etiam in commodum tertii.* 2. 11. 37.
ex Promiſſis an naturaliter jus oriatur. 2. 11. 1.
Promiſſum in bello ſolenni, an prætextu metus reſcindi poſſit. 3. 12. 8. *an conditionale, deficiente conditione, ſervandum.* 3. 12. 12.
quomodo Promiſſum per compenſationem reſcindatur. 3. 12. 13. & *quid ad eam requiratur.* ib. & 3. 12. 13.
Proprietas v. Dominium.
ad Pudicitiam ſervandam, an quis occidi poſſit. 2. 1. 15.
Pueri, quando ratione uti incipiant. 2. 11. 9.
Puniendæ an ſint cogitationes. 2. 20. 20. *an culpæ minores.* ib. *an peccata, quæ difficulter è civitate tolluntur.* ib. *an illa, quæ ex communi naturæ humanæ corruptione reſultant.* ib.
Puniendi jus cui competat. 2. 20. 7. *an innocenti.* 2. 20. 8. *an ſuperiori æquè nocenti.* 2. 20. 9.
Puniendi potentia, quando in ſuperiore præſumatur. 3. 13. 33.

R.

Raptor, ad quid teneatur. 2. 17. 12.
Rebellibus fides data, an ſervanda. 3. 12. 5.
in Rebus hoſtium capiendis, quale temperamentum obſervari debeat. 3. 11. 5.
an ex Rebus, à privato captis, pars reddi debeat. v. Civitati.
qui Receptum præſtat, an de damno dato teneatur. 2. 17. 8.
Rectores aliorum, in crimen quot modis veniant. 2. 21. 3. *quomodo patientia.* 2. 21. 4. *unde præſumatur eorum ſcientia.* 2. 21. 5. *quomodo ob receptum teneantur.* 2. 21. 6. *an delinquentes dedere teneantur.* 2. 21. 7. v. Delinquentes.
Rectores, an delinquendo ſubditos ſuos obligent. 2. 21. 12. v. Subditi.
Redemtionis pretium, an in alium tranſcribi poſſit. 3. 14. 28. *an pluribus deberi.* 3. 14. 29. *an conventio de eo, ob læſionem, reſcindi.* 3. 14. 30. *an in id imputari pecunia à captivo celata.* 3. 14. 31. *an conven-*

tum, ſed non ſolutum, ab hærede præſtandum ſit. 3. 14. 32.

Rediiſſe ex pacto ad hoſtem, quis dicatur. 3. 16. 10.

Regimen an ſemper conſtituatur ejus cauſa, qui regitur. 1. 3. 33.

Regionis reſtituendæ nòmen, quomodo ſumi debeat. 3. 13. 24.

in Regem, hoſtem patriæ, an juſtè ſuſcipiatur bellum. 1. 4. 14. *an in eum, qui contra fidem datam agit, ubi lex commiſſoria adjecta fuit.* 1. 4. 16.

Reges malè imperantes an populo ſubjiciantur. 1. 3. 34. *regna populi voluntate delata, alienare non poſſunt; ſed populo tenentur ad exercendum per ſe ſummum imperium.* 1. 3. 42. *aliquando ſummum imperium ſoli, aliquando commune cum aliis habent.* 1. 3. 43. *an illud communicaſſe cenſeantur, cum acta ſua ab aliis expendi & probari volunt.* 1. 3. 51. *an contra promiſſa agentes deſinant habere ſummum imperium.* 1. 3. 45. *quid, ſi lex commiſſoria in delatione regni fuerit adjecta.* 1. 3. 36. *an promiſſis, contractibus & juramentis ſuis teneantur.* 2. 14. 1. & 2. *an ſine pretio emere poſſint.* 2. 14. 10. *an beneficia, aliis conceſſa, revocare.* 2. 14. 21. *an ob damnum, à militibus contra mandatum ſuum datum, teneantur.* 2. 17. 16. *quid in res ſubditorum, pacis cauſa, ſtatuere poſſint.* 3. 13. 9. & 10.

Reges impropriè dicti populo ſubjacent. 1. 3. 48.

Regi, in partem non ſuam involanti, an juſtè reſiſtatur. 1. 4. 17. *quid, ſi ſolus belli gerendi poteſtatem conceſſam haberet.* 1. 4. 18.

Regis perſona inviolabilis. 1. 4. 6. *quid, ſi ſubdito injuriam faciat.* 1. 4. 7. *an idem dicendum ſit de miniſtris, quos adhibet.* 1. 4. 8.

Regis pœna eſt ſubditis orbari. 2. 21. 26. *ex Regis promiſſo an teneantur ſucceſſores.* 3. 13 8.

Regium eſt, in pacem potiùs, quàm in bellum inclinare. 2. 24. 5.

Regna, an præſcribi poſſint. 2. 4. 14. *quot modis deferantur per ſucceſſionem.* 2. 7. 36. & ſeqq.

in Regnis feudalibus qualis obtineat ſucceſſio. 2. 7. 51.

Regnum & principatus an differant. 1. 3. 3. *an poſſit eſſe pars hæreditatis.* 2. 7. 50. *an abdicari poſſit.* 2. 7. 59. *an in præjudicium liberorum.* 2. 7. 60.

an Regum contractus ſint leges. 2. 14. 44. *an iis teneantur ſucceſſores.* 2. 14 13. *an & quouſque populus iis obligetur.* 2. 14. 16. *an hoc ex eventu ſit judicandum.* 2. 14. 17. *an reſcindi poſſint, ſi in publicam perniciem vergere incipiant.* 2. 14. 18. *quid, ſi ad alienationem regni, vel ejus partis, pertineant.* 2. 14. 19.

Regulæ, in deliberationibus publicis, quæ adhibendæ. 2. 24. 3. & ſeqq.

Religio. an bello propaganda. 2. 20. 57. *an victis relinquenda.* 3. 8.

3. 8. 7. & ſeq.
Religioſa. v. Res religioſæ.
Remedium extraordinarium non datur, quamdiu competit ordinarium. 3. 2. 8.
Repreſſaliæ, quid. 3. 2. 5. *quæ ad ea concedenda requirantur.* 3. 2. 6. *an dentur, ubi aliud remedium ſupereſt.* 3. 2. 8. *quomodo à pignoratione differant.* 3. 2. 14. *ad quid teneantur, qui iis cauſam dederunt.* 3. 2. 16. *earum effectus.* 3. 2. 15. *perſonæ vel res, eo jure captæ, quo in loco ſint habendæ.* ib. *ita captus contra quem recurſum habeat.* 3. 2. 16. *quo jure quis ita ex facto alieno teneatur.* 3. 2. 9. *innocentibus in iis parcendum.* 3. 6. 19.
Repreſſalias quis concedat. 3. 2. 14.
in Repreſſaliis quæ capi ſoleant 3. 2. 10. *an etiam vita ſubditorum ex tali cauſa obligetur.* 3. 2. 11. *quales ſubditi capi poſſint.* 3. 2. 12. *an etiam legati.* 3. 2. 13.
Repugnantia caſus emergentis cum voluntate, quot modis dijudicari poſſint. 2. 16. 30. & 31.
Rerum fungibilium dominium in alium transferri poſſit, ſine conſenſu domini. 2. 10. 21.
Res originariè acquiruntur jure ſingulari, occupatione & diviſione, 2. 3. 2. & 3.
Res à proprietate vacuæ quotuplices ſint. 2. 2. 3. *quales in totum propriæ fieri poſſint.* 2. 2. 18.
an ad Res conſervandas, raptor juſtè occidatur. 2. 1. 24.
an Res aliena citra furtum invito domino capi poſſit. 2. 2. 24. & 25.
an Res aliena, ad debitum conſequendum, capi poſſit. 2. 7. 3. & ſeqq.
Res aliena domino reſtituenda. 2. 10. 2. *etiamſi dominus eam non repetat.* 2. 10. 3. *cum aliàs furtum committatur.* 2. 10. 4. *non tamen ſuis impenſis eam reſtituit.* 2. 10. 5. *quis in ejus repetitione præferatur, an deponens, an dominus.* 2. 10. 6. *non intereſt, an ex gentium, an civili jure, ejus dominium fuerit acquiſitum.* 2. 10. 7. *an præmium inventionis à domino peti poſſit.* ib. *ſi interierit, b. f. poſſeſſor ad ejus reſtitutionem non tenetur.* 2. 10. 10. *niſi exinde factus fuerit locupletior.* 2. 10. 9.
Res aliena, bona fide emta, an reſtituenda, ſine repetitione pretii erogati. 2. 10. 16.
Res aliena, cujus dominus ignoratur, an pauperibus danda. 2. 10. 19.
Res communes, quæ. 2. 2. 13.
Res, quæ dominum habere deſinunt, an fiant occupantis. 2. 3. 21.
Res derelictæ, quæ. 2. 4. 1. *præſumuntur ex ſignis externis.* 2. 4. 2. *ex verbis.* 2. 4. 3. & *factis.* 2. 4. 4. *ſub quibus comprehenduntur non facta, ut ſilentium aliquando* 2. 4. 5. *quæ requirantur in ſilentio.* 2. 4. 6. *an ea ex tempore præſumi poſſint.* 2. 4. 7. & 10. *quod non*

idem eſt inter abſentes & præſentes. 2. 4. 8.
Res derelictæ an cenſeantur, quæ negligenter tractantur. 1. 4. 11. *an originariè acquirantur.* 2. 3. 22.
an Res hoſtiles capere & vaſtare liceat. 3. 5. 1. *an tantùm vi, an etiam dolo.* 3. 5. 6. *an citra modum.* 3. 5. 7. *an ubique.* 3. 6. 5. *an in loco pacato.* ib. & 3. 10. 9. *an tantùm ad conſecutionem debiti primarii retinendæ, an & ſubnaſcentis.* 3. 6. 18. *an innocentibus reſtituendæ.* 3. 6. 19.
Res apud hoſtes inventæ, licet eorum non ſint, an victoriæ jure acquirantur. 3. 6. 3.
Res, in navi hoſtili inventæ, an cenſeantur eſſe hoſtium. 3. 6. 4.
Res hoſtibus ereptæ, an à prioribus dominis vindicari poſſint. 3. 6. 5.
quæ Res à vaſtatione ſint eximendæ. 3. 5. 9.
Res, quando cenſeantur captæ. 3. 6. 2. *quid, ſi non ſint hoſtium.* 3. 6. 3. *jus eas acquirendi, an tantum in ſolenni, an & in aliis bellis competat.* 3. 6. 16.
an Res religioſæ victori cedant. 3. 5. 5. *an juſtè violentur.* 3. 5. 9.
Res ſacræ, cujus ſint, & an victori cedant. 3. 5. 2. *an ſint in Chriſti patrimonio.* 3. 5. 3. *iis in bello parcendum.* 3. 5. 9.
Res, ex turpi cauſa accepta, reſtituenda. 2. 10. 20. *an ea, quæ à victore emta eſt.* 3. 9. 21.
Reſiſtere ſuperiori an liceat, in ſumma neceſſitate. 1. 4. 5.
Reſp. mixta, quæ. 1. 3. 27. & 49. *qualiſcunque fingatur, ſua ſemper habet incommoda.* 1. 3. 10.
Reſtituendi obligatio, an nullo tempore exſtinguatur. 3. 9 23.
Reſtitutio in integrum, an in rege locum habeat. 2. 14. 3. *à quo fieri debeat.* ib. & 2. 14. 5. *an ſit ex jure civili.* 2. 14. 4.
Reſtitutio damni, injuſto bello illati, à quibus fieri debeat. 3. 4. 15. *an ab iis, qui res captas juſto titulo poſſident.* ib.
in Reſtitutionibus minorum, quæ leges ſint obſervandæ. 2. 11. 10.
an Reſervationes mentales ſint licitæ. 3. 1. 18.
Reverentia debetur parentibus. 2. 5 2. 6. & 18.
Rex unus poteſt eſſe plurium regnorum diſtinctorum. 1. 3. 22. & 23.
Rex à populo conſtitutus, an ei, ut conſtituenti, ſubjiciatur. 1. 3. 32. *an quia regimen ejus, qui regitur, cauſa comparatum eſt.* 1. 3. 33.
Rex temporarius. quis. 1. 3. 38. *an tales ſint curatores, regibus impuberibus dati, & Dictator olim apud Romanos.* ib.
Rex, poſt abdicationem regni. an fiat privatus. 1. 4. 10. *an regno pulſus habeat jus fœderis faciendi.* 2. 15. 6. *an captivus, vel exſul, de regno ſuo paciſci, & imperium exercere poſſit.* 3. 13. 4.
Rex regnum alienare non poteſt, nec

nec illud eo modo amittit. 1. 4. 12. quid, ſi illud alii tradere, aut ſubjicere moliatur. 1. 4. 13. aut fiat hoſtis patriæ. 1. 4. 14. quando talis dicatur. 1. 4. 15. an ſine populi conſenſu, de regno paciſci poſſit. 3. 13. 5. an alii illud in feudum offerre. 2. 6. 13. an oppignorare. 2. 6. 14. an functiones ſummo minores jure hæreditario concedere. 2. 6. 15. an patrimonium populi alienare. 2. 6. 16. & 3. 13. 7. an fructus ex eo perceptos. 2. 6. 17. an eos oppignorare. 2. 6. 18.

Rex, innocentem inſultans, an ipſo facto rex eſſe deſinat. 2. 1. 17. an legibus civilibus teneatur. 2. 4. 18. an, ut civitatis pars & membrum, iis obligetur. 2. 4. 19. an leges, in imperii delatione à populo latas, obſervare debeat. 2. 4. 20. an capitulationibus, in delatione regni ſibi præſcriptis, exceptiones opponere poſſit. 2. 14. 7. an pacta, cum extraneis à tutoribus inita, reſcindere poſſit. 2. 14. 6. an ſubditis ſuis obligari. 2, 14, 11. an iis jus quæſitum auferre. 2. 14. 12.

an Rex ſe ipſum in integrum reſtituere poſſit. 2. 14. 3.

Rex, ob cauſas leves bellum ſuſcipiens, ad quid teneatur ſubditis ſuis. 2. 24. 2. ut bellum periculoſum vitet, quid facere & conſiderare debeat. 2. 24. 3. & ſeq. an teneatur de damnis à militibus, ob non ſoluta ſtipendia, datis. 3. 10. 7.

Ruptura pacis. v. Pacis.

S.

Sacerdotibus in bello parcendum. 3. 4. 17.

Salus propria an præferenda ſaluti publicæ. 1. 4. 7. & 2. 1. 18.

Salvus conductus. v. Jus commeandi.

an Satisfactio ab eo, qui bellum promeritus eſt, offerenda. 2. 1. 33.

Sciens, præſens & tacens. an videatur conſentire. 2. 4. 5.

Scientia ſuperiorum, quomodo probetur. 3. 13 33.

an Scriptura in contractu requiratur. 2. 16. 34.

Sedis mutandæ amor an juſta belli cauſa 2. 22. 3.

Senibus in bello parcendum. 3. 4. 17.

Sententiæ inter ſe diſſentientium in concilio, an numerandæ, an ponderandæ. 2. 5. 28. ſi pares ſint, nihil agitur 2. 5. 29. interdum conjunguntur, licet diverſæ appareant. 2. 5. 30. quomodo ſint conjungendæ. ib. in iis ferendis, an jus abſentium accreſcat præſentibus. 2. 5. 31. quomodo ſint ferendæ inter eos, qui diſpares partes in re habent. 2. 5. 33.

ex Sententiis alternantibus circa bellum & pacem, quæ ſit præferenda. 2. 23. 7.

Sepultura hominum demortuorum, quid. 2 19. 1. honeſta vel ignominioſa. 2. 19. 2. ex quo jure oriatur. 2. 19. 3. omnibus debetur. 2. 19. 4. an hoſtibus. 2. 19. 5. an inſigniter facinoroſis.

roſis. 2. 19. 6. & 7. an proditoribus patriæ. 2. 19. 12. ob eam denegatam, an juſtè ſuſcipiatur bellum. 2. 19. 13.
ad Sepulturam concedere cadavera, an ſit ſignum victoriæ. 3. 13. 49.
Sermo ambiguus an ſit licitus. 3. 1. 16. & 17.
Servi naturâ an dentur. 2. 22. 6.
an Servis aufugere liceat. 2. 5. 48. & 3. 7. 14.
Servitus perfecta, quæ. 2. 5. 44. an ſit contra naturam. 2. 5. 45. quale jus domino in ſervum tribuat. 2. 5. 46. quæ ſit juſta. 3. 7. 71.
Servitus civilis, quid. 3. 8. 1. quomodo conſtituatur. ib. & ſeq. & 2. 21. 14.
Servitutis conceſſione an originariè acquiratur. 2. 3. 4.
Servitutis quæ ſint effecta. 3. 7. 4.
Servorum filii, an & quatenus naturaliter ſint ſervi. 2. 5. 47. & 3. 7. 3.
in Servos quid juris competat, ex temperamento juris naturæ. 3. 7. 12. & 13.
an Servus, domino jus ſuum externum exequenti, reſiſtere poſſit. 3. 7. 9.
Signa, ex conſuetudine ſignificantia, an tacite obligent. 3. 17. 3. an iis, ad decipiendos hoſtes, uti liceat. 3. 1. 9.
ex Silentio quandoque præſumitur derelicto. 2. 4. 5. quæ ad illud requirantur. 2. 4. 6. an conſenſus ex eo probetur. 2. 15. 18.
Simulatio, quid. 3. 1. 8. an in hoſtem licita. 3. 1. 9.
Societas alia æqualis, alia inæqualis. 1. 1. 7.
Societas cum uno tantum populo, etiam per longiſſimum tempus, non impedit, quo minus cum aliis iniri poſſit. 2. 4. 23.
Societas maxime naturalis eſt conjugium. 2. 5. 13. cui in ea imperium competat. 2. 5. 14.
Societas publica, quotuplex. 2. 5. 17. pars minor in ea majorem ſequitur. 2. 5. 28.
Societas publica plurium patrumf. in populum, quale jus conſequatur. 2. 5. 34. an par jus regibus. 2. 5. 35.
Societas contrahi an poſſit, ut alter damni ſit immunis. 2. 22. 37. vel ut alter nullum lucrum percipiat. 2. 12. 38.
Societas navalis. v. Admiralitas.
in Societate quando dicantur partes æquales. 2. 12. 36.
an in Societate univerſorum bonorum exacta æqualitas obſervetur. 2. 12. 39.
Societate ſoluta, ad quem pertineat periculum rerum collatarum. 2. 12. 40.
Societates morte extinguuntur. 2. 16. 20.
Socii abſentis jus an præſentibus accreſcat. 2. 5. 31.
Socii, qui ſint in jure poſtliminii. 3. 9. 2.
pro Sociis an juſtum ſit bellum. 2. 25. 5. an ſemper ſuſcipiendum. 2. 25. 6.
Sociorum nomine an futuri intelligantur. 2. 16. 14. an hi, ſalvo fœdere, contra primum ſocium

cium defendi poſſint. 2. 16. 15.
inter Socios quis ſit ordo maxime naturalis. 2. 5. 32.
an Sollicitare alios ad factum illicitum liceat. 3. 1. 23. & 24.
an Sors in bello licitè adhibeatur. 3. 13. 46. & ſeqq. *quomodo bellum per eam vitetur.* 2 23. 13.
Specificatio modus acquirendi. 2. 8. 17. *an originarius.* 2. 3. 5. 5. *quid ſi quis mala fide ex aliena materia novam ſpeciem feciſſet.* 2. 7. 18.
Sponſio, quid. 2. 15. 15. *quotuplex.* 2. 15. 16. *quid, ſi à ſumma poteſtate improbetur.* 2. 15. 17. *an eam, ex notitia & ſilentio, obliget.* 2. 15. 18.
in Statu innocentiæ an fuiſſet laborandum. 2. 2. 8.
Studium pertinax in partes ſuas an mortem mereatur. 3. 4. 8.
Stupra & adulteria, an in bello ſint licita. 3. 4. 13.
Stuprator virginis, ad quid teneatur. 2. 17. 12.
Suaſores ſceleris, ad quid teneantur. 2. 17. 9.
Subditi an in ſuperiores bellare poſſint. 1. 4. 1. & 2. *quando in eos licitè bellent.* 1. 4. 9. 13. 14. 16. 17. & 24.
Subditi an omnes bello adhiberi poſſint. 1. 5. 5. *an ad bellum juſtum cogi.* 2. 26. 6. *quid, ſi hoſti de non militando fidem dederint.* 2. 26. 7. *an ob crimen ſuperiorum teneantur.* 2. 21. 12. *an omnes.* 2. 21. 13 *an ob crimen regis puniri poſſint.* 2. 21. 25. *an in bello manifeſtè injuſto ſe defendere poſſint.* 2. 26. 8. *ut tamen bellum juſtum non fiat.* 2. 26. 9.
an Subditi alieni contra Imperantes juſtè defendantur. 2. 25. 9.
Subditi, pro aliis militantes, an pacem rumpant. 3. 13. 34.
an Subditis ſemper liceat, ad libertatem proclamare. 2. 4. 22.
pro Subditis juſtiſſimè ſuſcipitur bellum. 2. 25. 2. *an pro ſingulis.* ib. & ſeq.
an Subditis rationes conſiliorum edi debeant. 2. 26. 4. *an ipſis, ſine periculo, cauſæ belli aperiantur.* ib.
Subditis vis illata an pacem rumpat. 3. 13. 35.
an Subditos alienos per pacem recipere liceat. 3. 13. 45.
Subjectio, quomodo à conſociatione differat. 2. 5. 12. *conſenſualis, quotuplex.* 2. 5. 42. *privata quotuplex.* 2. 5. 43. *publica.* 2. 5. 49.
Succedendi in regnum jus an abdicari poſſit. 2. 7. 59. *an pro liberis.* 2. 7. 60.
Succedens in regno patrimoniali individuo, quid aliis hæredibus debeat. 2. 7. 40.
Succeſſio non eſt titulus imperii, ſed modus ad id perveniendi. 1. 3. 36.
Succeſſio defertur ex præſumta voluntate. 2. 7. 7. *primò liberis.* 2. 7. 8. & 15. *an omnibus æqualiter debeatur.* 2. 7. 22. *debetur parentibus.* 2. 7. 27. *fratribus.* 2. 7. 28. *conſanguineis & uterinis.* 2. 7. 20. *cognatis.* 2. 7. 30. *an cariſſimis.* 2. 7. 31.

Su-

I N D E X.

Succeſſio, naturali conjectura determinata, an neceſſariò obſervanda. 2. 7. 32. *quid, ſi à defuncto expreſſè non fuerit determinata.* 2. 7. 33.
Succeſſio in regnis patrimonialibus quomodo deferatur. 2. 7. 37. *quales in iis heredes inſtitui poſſint.* 2. 7. 38. *an in ea ratio habeatur ætatis & ſexus.* 2. 7. 39. & 40.
quæ ſit Succeſſio in regnis, populi conſenſu delatis. 2. 7. 41. *plerumque eſt individua.* 2. 7. 42. *ſtat in eadem familia.* 2. 7. 43. *an admittantur naturales.* ib. *an adoptivi.* 2. 7. 45. *an mares præferantur fœminis.* 2. 7. 46. *an ratio habeatur ætatis.* 2. 7. 47. *cur.* 2. 7. 48. *quid ſi major natu eſſet incapax.* 2. 7. 49. *talis ſucceſſio eſt quaſi hæreditariaria.* 2. 7. 50. *cur à populo electa.* ib.
Succeſſio tantum defert, quantum prima electio. 2. 7. 48.
Succeſſio feudalis ſequenda in regno, quod primitus fuit feudale. 2. 7. 51.
Succeſſio linealis, quid. 2. 7. 52. *cognatica.* ib. *agnatica.* 2. 7. 55. *an aliunde, quàm ex lege fundamentali deſumi poſſit.* 2. 7. 53.
à Succeſſione regni patrimonialis an filius, per exheredationem paternam, removeri poſſit. 2. 7. 57. *an à ſucceſſione regni non patrimonialis.* 2. 7. 58.
de Succeſſione regni controverſa quis judicare debeat, an rex, an populus. 2. 7. 61.
in Succeſſione regni an præferatur filius, ante adoptionem regni natus, ei qui in regia fortuna natus eſt. 2. 7. 62. *an nepos ex filio priori, filio poſteriori.* 2. 7. 63.
Succeſſiones regum, an eodem modo deferantur, quo privatorum. 2. 7. 35. *quot modis deferantur.* 2. 7. 36.
Succeſſionum plures modi introduci poſſunt. 2. 7. 56.
an Succeſſores ex promiſſo regis anteceſſoris obligentur. 3. 13. 8. *an ejus debitis teneantur.* 8. 14. 15.
Superiores, quale jus in juramenta inferiorum habeant. 2. 13. 29. & 31. *an eos à juramento abſolvere poſſint.* 2. 13. 30.
an Supplices jure talionis interfici poſſint. 3. 4. 7.

T.

Talio, an ſemper locum habere poſſit. 2. 20. 30.
an Templa hoſtium juſtè vaſtentur & dejiciantur. 3. 5. 9.
Temporis lapſus quandoque ſignum derelictionis. 2. 4. 7. & 10. *major inter abſentes obſervatur, quàm inter præſentes.* 2. 4. 8.
Tempus memoriam excedens quid. 2. 4. 9.
Territorii pars à quo alienari poſſit. 2. 6. 12.
Teſtamentum eſt modus alienandi. 2. 6. 19.
Theſaurus, an ſit inventoris. 2. 8. 9.
an Tranſeuntes in territorio aliquantiſper morari poſſint. 2. 2. 38.
Tranſitus populo, juſto bello ſuum re-

repetenti, neceſſariò non eſt concedendus. 2. 2. 32. quare. 2. 2. 33. an, & quibus cautionibus tutus poſſit reddi. 2. 2. 34. an ſemper debeatur mercibus & commercia exercentibus. 2. 2. 25.

Tributa ſolvere, an amiſſum imperium denotet. 1. 3. 54.

Traditio modus acquirendi. 2. 8. 19. an abſolutè ad transferendum dominium requiratur ib.

Turpe, quid. 1. 1. 29. cur determinetur ex natura ſocietatis humanæ. 1. 1. 30.

Tutores à quo conſtituantur in regnis patrimonialibus & non patrimonialibus. 1. 3. 44.

Tyrannus, quis. 2. 4. 22. & 23. an rectè deponatur. 1. 4. 24.

V.

Vaſallus an ſummum imperium habeat. 1. 3. 55. an invitus à domino objes dari poſſit. 3. 13. 58.

an Vaticiniorum explicatio juſta ſit bellandi cauſa. 2. 22. 10.

Vectigalia, an tranſeuntibus mercibus imponi poſſint. 2. 2. 36. quis modus in iis exigendis obſervari debeat. 2. 2. 37.

Venatio, quid. 2. 8. 4.

Vendendi libertas in territorio noſtro an aliis abſolutè debeatur. 2. 2. 44. an per territorium noſtrum exercenda concedi debeat. 2. 2. 45.

quæ Venditio ex pluribus ſimul factis valeat. 2. 12. 28.

Venena ſtruentès an occidi poſſint. 2. 1. 13.

an Veneno hoſtem tollere liceat, 3. 4. 9. an ſpicula, fontes & aquas eo inficere. 3. 4. 16.

Venire cui permiſſum eſt, an alium mittere poſſit. 3. 14. 22.

Verba, quomodo ſint intelligenda. 2. 16. 6. & 7. quomodo in interpretatione non odioſorum, favorabilium, & odioſorum. 2. 16. 11. 12. & 13. dubia, contra quem intrepretanda. 2. 16. 36. an natura ſua aliquid ſignificent. 3. 1. 10. quomodo iis ſignificatio fuerit impoſita. 3. 1. 11. & 12.

Veritas, in quo conſiſtat. 3. 1. 13.

Veſtium nomine an arma intelligantur. 3. 16 10.

Victi clementer habendi. 3. 8. 9. quænam iis ſint relinquenda. 3. 8. 5. & 6. an imperium. ib. an religio avita. 3. 8. 7. & 8.

an Victor jure victoriæ imperium acquirat in univerſos. 3. 8. 1. quot modis. 3. 8. 2. quomodo jure ſuo uti debeat. 3. 13. 55.

Victoria quomodo probetur. 3. 13. 49.

Victus quis propriè dicatur. 3. 13. 49.

Vim parantem an prævenire liceat. 2. 1. 13.

Vim bellicam inferre, eſt contra naturam pacis. 3. 13. 31. à quibus illata pacem rumpat. 3. 13. 32. an à ſociis illata, vel à ſubditis. ib. quibus illata pacem rumpat. 3. 13. 35. an ſociis illata. 3. 13. 39.

Vindicta privatis interdicta. 2. 20. 16. an per parem licita. 3. 13. 37. an ſimulata cenſeatur remiſſa 3. 17. 4.

Violenta executio, quid. 3. 2. 2.

quotuplex. 3. 2. 3.
an Virgo, ad pudicitiam conſervandam, ſe ipſam occidere poſſit. 2. 19. 11. *an ſe violantem interficere.* 2. 1. 15.
Vita homini ſua eſt, ſed non ad eam perdendam. 2. 17. 3. *an ad eam ſervandam, aggreſſorem occidere liceat.* 2. 1. 8. *quid, ſi aggreſſor peccato careat.* 2. 1. 9. *an innocentem obterre liceat.* 2. 10. 10.
an Vita anterior, in delicti æſtimatione, conſiderari debeat. 2. 20. 28.
an Vita ſubditorum ex repreſſaliis obligari poſſit. 3. 2. 11.
ſub Vitæ pacto an libertas comprehendatur. 3. 16. 10.
Vitia rei in contractibus indicanda. 2. 12. 11. *an omnia.* 2. 12. 13.
an Univerſitas obliget ſingulos. 2. 5. 28.
de Univerſitate quædam dicuntur primò, quædam non niſi derivatione à ſingulis. 2. 21. 15.
Univerſitatis pœna, & pœna ſingulorum, quomodo differant. 2. 21. 14.
Voces. v. verba.
Voluntas, unde colligatur. 2. 16. 30.
Voluntatis noſtræ quid ſit ſufficiens ſignum. 2. 11. 25.
Voluntatis internuntius, quomodo à tabellario differat. 2. 11. 32.
Uſucapio, quid. 2. 4. 13. *v.* Præſcriptio.
Uſuræ, an licitæ. 2. 12. 32. & 33.
Utilitas innoxia jus concedit in res, ab aliis jam occupatas. 2. 2. 29.
Utilitas ſola, an juſta ſit belli cauſa. 2. 22. 3.

JO-

JOHANNIS FRANCISCI

BUDDEI

S. S. Theol. Lic. & Philoſophiæ Moralis ac Civilis in Academia Fridericiana Profeſſ. Publ. Ordinar.

HISTORIA JURIS NATURALIS.

Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

Qui eam philoſophiæ partem, quæ mores hominum fingit formatque, quam plerique recentiorum Jus Naturæ appellitant, cum ipſis hominibus natam eſſe, aſſerunt, ita ut par eſt, utque doctrinæ hujus & majeſtas & antiquitas exigit, ſentiunt. Quod enim nonnulli, interque eos C. Cornelius Tacitus (*a*) rerum ſuarum longe conſultiſſimus Scriptor, tradidere, ut vetuſtiſſimos mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſine ſcelere, eoque ſine pœna & coërcitionibus egiſſe, & ſponte ſua, ſine lege, fidem rectumque coluiſſe, id ejuſmodi eſt, ut aut à fide abhorreat penitus, aut Principum juſſis, tabuliſque legum, ſcriptiſque eos ſaltem caruiſſe monumentis, evincat condoceatque. Parentes vero ſuos erudiviſſe liberos, rectique & honeſti non minus imbuiſſe elementis, quam vero de Numine ſenſu, id ſi quis in dubium vocaverit, næ! is ſimplicium proborumque & ſanctiorum, quibus præditi erant cordatiſſimi mortalium, morum, haud ſine æquus eſt exiſtimator. Aſt, cum aut alienæ potentiæ metus, aut alia quævis ra-

a) Annal. lib. III. add. Ovid. lib. I. Metamorph. & Lucretius lib. V.

tio jungeret homines, & in majores cœtus, quos civitates deinceps appellarunt, coire juberet, priſtinis moribus eouſque vixerunt, ut à parentibus, quid jus faſque & nefas eſſet, acciperent liberi, Rectores autem civitatum rerumque Domini, ſaltem quæ è re civitatis eſſent, ſancirent ſtatuerentque. Erumpere inde in ævum omne nefas, hominum pravitas magis magiſque ſe prodere, fraudibus, dolis, ſe invicem circumvenire, ſceleribus, injuriiſque nec modum nec finem ſtatuere. Qui itaque rerum ſummam tenebant, ruere præcipiti caſu & collabaſcere civitates, intelligebant, ni vitia hominum ſuis circumſcriberentur limitibus, pœnisque coërcerentur. Nimirum & ſpernere rationis imperium, & domeſticam diſciplinam negligere, ut rebus deperditis ac profligatis non aliud quid remedio eſſet, quam publica auctoritate ſanctionibusque ſeveriſſimis, ad obſervanda ea, quæ honeſta ſunt, turpia fugienda, homines rationis rectæ contemptores compellere. Sed vero & tunc, ut credo, patuit, quòd nunquam fere non experientia eſt comprobatum, clariſſimum illud fulgentiſſimumque lumen, infuſum à Sapientiſſimo Numine inſitumque mortalium pectoribus, velut nubibus quibusdam obductis abſcondi, nec cuivis quid pulchrum honeſtumque ſit, quid turpe fœdumve, ſemper perſpici. Quæ ergo, præeunte ac prælucente ratione, quilibet facere debebat, ad ea civilibus ſanctionibus adigi cœpere. Cumprimis, quæ ut homo hominibus exhiberet, fas erat,

erat, ſedulo erant inculcanda, cum & proclives valde pronique ſint mortales, ad ſe invicem lædendos, unde lites, contentionesque, & infinita, quibuscum civitatibus confliċtandum eſt, mala enaſcuntur. Sic itaque arbitror, quod gentium aut omnium aut plerarumque leges, quæ civiles vocantur, præſtantiora ſimul Juris Naturalis capita, compleċtantur, id non aliunde magis eſſe arceſſendum. Faciet pretium operæ, qui gentium tum veterum, tum recentiorum, & inter illas earum quam maxime, quæ noſtram incoluere Germaniam, leges, quæ ceu ſervatæ ex naufragio tabulæ, magnorum Virorum ope ad nos pervenere, excuſſerit, & hujus, quod ratio omnes docet, juris veſtigia luculentiſſima, ſubinde deprehendet. Romanas enim leges lubens prætereo, quippe in quibus naturales illæ tanto manifeſtius quandoque ſe conſpiciendas præbent, quanto cæterarum gentium inſtitutis & ſanċtionibus, eruditiſſimorum Virorum confeſſione atque judicio, præſtant, Attici quoque juris, quod ſecundum à Romano, ſuo merito occupat locum, non minor eſt præſtantia, nec obſcuriora hujus ſententiæ noſtræ ſuppeditat documenta, id quod ne quenquam fugeret, Johannis Meurſii, atque Samuelis Petiti, e tenebris illud ſtrenue eruentium, opera, æternis laudibus digna, effecit. Hunc proinde in modum naturæ leges, poſitivarum, ut vocari ſolent, inuolucris veſtitæ & circumſeptæ, quandoque & per Legumlatorum inſcientiam obſcuratæ aut e-

verſæ, longe quidem lateque, per civitatum omnium jura diſperſæ ſunt atque diffuſæ; ſimul tamen civiles & naturales inter ſe confuſæ ita atque commixtæ, ut has ab illis ſecernere, res ſummi & deſperati fere laboris, doctiſſimis quoque Viris viſa fuerit. (*b*) Intellexit hoc probe, ſi quis alius, Johannes Seldenus, Brittanniæ illud immortale decus. Namque perplexa rite extricare, confuſa invicem diſtinguere, veri ac falſi confinia horumque ſinuoſos anfractus, ſatis habere exploratos; & demum ex eis, quæ ſuperſtruuntur, de fundamentis ſeu principiis recte conjicere, qui illis utique ſubeundus eſt labor, qui naturales civileſque leges inter ſe permixtas ſecernere rite ac ſejungere volunt, rem perquam arduam, pæne inacceſſam, & mortalium pauciſſimorum eſſe, diſerte profitetur. (*c*) Jam ergo mirari deſino, tot effluxiſſe ſecula, feracia quidem doctiſſimorum Virorum, legumque civilium, Interpretum ſapientiſſimorum, quibus ingenium æque ac induſtria adeo non defuit, ut commentationum, quas ſeduli aſſiduique homines in lucem protulere, mole jam pridem orbis eruditus laboret; ſed recentiori demum ætate extitiſſe, qui præclarum iſtud pulcherrimumque opus, ex involucris ſuis tegumentiſque evolvendi naturæ effata, ingenti animo, labore incredibili, ſed ſucceſſu feliciſſimo, aggrederentur. Ceterum ut civilibus legibus, id quod commonſtratum hactenus, comprobatumque eſt, ita & ſanctiori iſti reconditæque diſciplinæ, quam Theo-

b) *vid. Samuel Rachelius in Proleg. ad Off. Cicer. §. XXIV.*

c) *de I. N. & G. ſecundum diſciplin. Hebr. lib. I. c. III.*

Theologiam nuncupant, non minus interſperſa fuerunt & intermixta rationis dictata, tanto majori inde induſtria eruenda & colligenda, quanto acrius ſacri Antiſtites, in campo, in quo illis nec meti nec ſeri videbatur, ingenii exercuerent vires. Utique ita eſt, ut non ultimam in hac arte ſedem occupent officia, quibus ſanctiſſimum & immortale Numen, ex luminis naturalis præſcripto colunt mortales. Dum igitur nondum in civitates coaluiſſent hominis, unumquemque patrem-familias ſacra rite faciendo, & exemplum præiviſſe ſuis, & quid de Numine ſentire, quo pacto iſtud venerari, fas eſſet, eos edocuiſſe arbitror. Conditis autem reb. publicis, ut Viris morum integritate, & puritate, & ſanctitate præditis, illud munus demandaretur publica auctoritate, bonorum omnium, Principum maxime, & ipſarum civitatum intereat. Si enim forte, quoſdam parentes negligentius ſuo munere fungi contingeret, contingere autem facile poterat, feroces homines, legümque contemptores, inde prodire neceſſe erat, qui exemplo alios, ut ad quævis ſcelera, ita ad impietatem invitant, civitateſque non raro in maxima ſalutis diſcrimina adducunt. Venenum iſtuc, ſi ſemel quorundam mentes afflavit, longe lateque ſerpit, vireſque eundo ſumit, & incrementa inopinata. Sanctioris itaque diſciplinæ Antiſtites, præter ea, quæ de ratione Deum ſacrificiis placandi; aut crimina expiandi, & quæ de Numine quemque ſentire oporteret, exponebant ſolerter,

& cum probe ſcirent, mente pura ſcelerumque experti Deum coli quam rectiſſime, ſubinde & de morum ſanctitate pariter ac juſtitia, multa præcepere. Laudo hoc proboque, idque eo magis, quod juris naturalis ſcientiam, quam ita ſibi vendicaverunt ſacrorum Præfecti, iſtorum cura & vigilantia immunis ab omni labe ac errore, ad poſteros & ultima ſecula transferri & propagari potuiſſet, niſi infernalis genii fraude abrepti, non tam rationis rectæ dictamina, aut doctrinam à Majoribus acceptam, quam inepta ingenii ſui commenta, hominibus propinare maluiſſent. Ex quo enim cœleſtem divinamque veritatem erroribus polluere & commaculare cœperunt Gentiles, in ipſo quoque Naturæ Jure nihil ſanum, nihil integrum fuit, cuncta corrupta, depravata, tenebriſque plus quam Cimmeriis involuta. Hoc nomine vero doctas iſtas eruditaſque veterum Theologorum ac Poetarum fabulas, non redarguo. Fuerunt quippe & tum, qui rectius ſaperent, quibus, ne non deſipere fraudi eſſet, aut involucris quibuſdam imaginibuſque occultarunt veritatem, aut certe in ipſis figmentis veſtigia ejus quæſiverunt. Nec vero naturalis ſaltem ſcientiæ myſteria, ſed moralis civiliſque Philoſophiæ cumprimis, Juriſque adeo Naturalis capita longe præſtantiſſima, hiſce ſub tegumentis latitabant, quod cum ab aliis doctiſſimis in hoc literarum genere Viris, Gerhardo Johann. Voſſio, (*d*) Fabio Plancia de Fulgentio, (*e*) Johanne Bocatio, (*f*) Natali Comite, (*g*) Picto-

d) *de Idololat. Gentil.*
e) *in libris III. Mytb.*
f) *in libris XV. de Genealog. Deorum.*
g) *libro X. cumprimis Mytb.*

Pictorio Vill, (*b*) tum maxime à Franciſco Bacone de Verulamio, (*i*) quam lucu-lentiſſime evictum eſt & commonſtratum. Diſpulſa autem quæ orbi univerſo incumbebat, caligine, ortaque denuo poſt natum Chriſtum Servatorem cœleſti veritate, redditus eſt & naturali juri priſtinus ſplendor, reſtituta puritas, ſuperſtitio denique, æque ac impietas, ſubinde proſcripta & profligata. Sublimiora, fateor, longeque ſanctiora ſunt, quæ à Viris divino afflatu perculſis proficiſcebantur, quæ tamen & recta quoque ratio honeſta eſſe dictitabat, tantum abeſt, ut ab illis rejecta ſint, ut potius egregie ſtabilita & confirmata, Servatore ipſo ſubinde ad rationis dictamen provocante. Ea utique Chriſtianæ doctrinæ eſt indoles, ut præter fidem, vitam quoque ad omnem honeſtatem compoſitam ab hominibus exigat, modo quidem & ratione longe excellentiori, quam ut ad mores Chriſtianos formandos ſola ſufficiat ratio, interim tali profecto, ut quæ ex rationis præſcripto honeſta ſunt, neutiquam habeat pro turpibus, quin ut ceteras virtutes proprias Chriſtianis, ita & illas, quæ omnibus communes ſunt, commendet. Sæpius igitur, antiquiſſimis etiam Eccleſiæ Doctoribus, de Juris Naturalis capitibus, haud perfunctorie ſermo inſtituitur. Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, ipſumque Chryſoſtomum, non tantum Græcæ, ſed univerſæ, quacunque patet, Eccleſiæ ſummum decus evolvat, legat, ſcrutetur, cui dubium forte ambiguum-

b) in Theologia Mythologica.
i) de Sapientia Veterum. add. noſtra Diſſert. de Uſu fabularum in Philoſoph.

guumque id, quod à me aſſeritur, videtur. Hos, ingenio acri, judicio ſingulari juris hujus quæſtiones, quoties eas attingerent, (attigerunt autem ſæpius) expediviſſe conſtat, ut ipſe Hugo Grotius, Reſtaurator philoſophiæ hujus feliciſſimus, tum demum & pondus, & robur, & lucem inſignem, ſe aſſertis ſuis conciliare poſſe, ſi Præſulum horum auctoritate, ſententiam ſuam muniret, fuerit opinatus. Ambroſius, qui plane ad Tullii exemplum, tres de officiis libros compoſuit, quanta ſolertia, in hac doctrinæ parte fuerit verſatus, nemo, ut puto, ignorat, aut, ſi quis ignorat, Johannem Henricum Boeclerum adeat velim, qui in Præfatione ad hoſce Ambroſii libros, quanti Sanctiſſimi Viri labor ſit faciendus, omnes edocuit. Hi ipſi autem Eccleſiæ Doctores, officia hominis & Chriſtiani, id quod non eſt diſſimulandum, multo minus principia diverſa utique & admodum inter ſe differentia, non ita ut par eſt, ſecernendo, quæ tamen ſecernenda eſſe, ipſi ſine dubio quidem perſpectum habuere & exploratum, aliis ut in eundem errorem inciderent, &, quod & hodie non adeo infrequens eſt, (*k*) Theologiam Moralem cum Jure Naturæ confunderent, ſuppeditavere occaſionem. Quod ut excuſemus quam lubentiſſimè, admiremur autem, ſi imitari non licet, quæ recte ſapienterque ab optimis Viris dicta factaque ſunt, noſtrarum quidem erit partium. Et utinam non duriora fata, & Theologiam & Jus inſimul Naturæ, excepiſſent. Ecquis igno-

k) v. Lambertus Danæus, Crellius, aliique.

ignorat, fuiſſe tempus, cum fœda & triſtis ignorantia orbi univerſo incumberet, fuiſſe tempus, cum ſuperſtitionis regnum magnis undique viribus ſtabiliretnr. Deplorent alii cladem puriori doctrinæ cœleſti illatam. Id ego nunc non ago. Philoſophiam moralem quoque, cum cæteris artibus incultam, ſqualore & rubigine obſitam jacuiſſe, ut proſcriptam velut profugamque avolaſſe, & mortalium deſeruiſſe ſedes, cenſere ejus ætatis homines potuiſſent, neminem fugit. Non quidem defuerunt, cum Scholaſticorum, ut vocant, barbaris vocibus literarum ſedes & ſapientiæ ſacraris perſonarent, ex ipſis etiam Theologis, qui hanc doctrinæ partem ſub incudem revocarent, aſt adeo infeliciter, ut nullus dubitem, multos in eam ituros ſententiam, ſatius hoſce homines & ſibi, & optimæ arti conſulturos fuiſſe, ſi hæc ſacra non contrectaſſent. Qui vero in horum ſucceſſerunt locum, ejuſdem diſciplinæ alumni aliquanto recentiores, induſtriam profecto & ingenium, & ad ſcientiam hanc excolendam, quod non diffiteor, attulere, & ſubtili ac ſpinoſo dicendi genere, quæ fere propria illorum hominum laus eſt, multa juris naturalis excuſſerunt capita, ſine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo aut lubrico fundamento, quæ docent ſuperſtruunt, divina humanaque jura miſcent, rationum momenta aut plane non, aut jejuna, quandoque & ridicula afferunt, ſæpiſſime contrà ad Patrum auctoritatem, ad Conciliorum canones, ad Romanorum Præſulum decreta, intempeſti-

ve provocant. Sunt tamen, quæ indefeſſo horum hominum ſtudio, id quod æquus rerum exiſtimator non abnuet, atque labori incredibili debentur. Nec tamen ab erroribus variis, iiſque graviſſimis, fuerunt immunes, quos Eccleſiæ Tgeologi, qui horum, ceu Majorum ſuorum ſe premere veſtigia, gloriantur, emendaverint corrrexerintque, ut auxerint etiam, hæreditatem novis commentis locupletatam, ad poſteros tranſmiſſuri. Certe veteres illos minus deſipuiſſe, contendere auſim, adeo aut ignorantia, aut quod credere malim, malitia eos in tranſverſum agit. Fidem faciunt illepida iſta de probabilis opinionis uſu; unde judice Ludovico Montaltio, vel potius Blaſio Paſchali, hunc enim Montaltii nomine tegi accepimus, ceu ex vitiato fonte, cetera doctrinæ flagitia fluxerunt, ut & de peccato, ut vocant, philoſophico, commenta. Hujuſmodi figmentorum, ut jam in antiquoribus illis, Thoma, Bonaventura, Vaſquezio, Sanchezio, Carena, Navarro, Corduba, Azorio, Ramirezio, Baſtannegio, Eſcobaria, Ledeſma, Valentio, Caſtro Palao, Medina Sanctio, Arragonio, Lopezio, Martinezio, Zarando, Villaboloſio, aliiſque, cumprimis vero Diana, veſtigia quædam deprehendantur: recentiores tamen Honoratum Fabri, (*l*) Antonium Terillum, (*m*) Amadeum Guimenium, (*n*) & plures, audacia & impudentia eouſque provexit, ut non tantum afferrent, ſed & ſcriptis publicis contenderent, fas eſſe eligere ſententiam, vel unius Viri, do-

l) in Apol Doctrinæ Moral. Jeſuit.

m) in Reg. Morum contra Elicaldum.

n) in Sing. Theolog. Moral. &c.

doctrina inclyti, auctoritate munitam, utut ceteroquin legi plane repugnantem. Cui quidem furori an addi aliquid poſſit, vehementer dubito: idque intellexerunt cordatiores ſanioresque ex ipſis Eccleſiæ Romanenſis propugnatoribus, Vincentius Baronius, (*o*) Gonetus (*p*) Eſclapezius, (*q*) Antonius Merenda, (*r*) Stephanus Gradius, (*s*) Johannes Sinnichius, (*t*) Antonius (*u*) Calladeus, aliique. Quin Jeſuitici Ordinis Viri ægerrime jam ferre incipiunt, tam lepidi fœtus parentes inter ſuos quæri. Certe Thyrſus Gonzalez in Salmanticenſi quondam Academia Theologiæ Profeſſor, deinde Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, commenti hujus primum excogitati gloriam adeo non ſuo ordini vendicat, ut ceu crimen ab illo amoliri, quin hanc ipſam ſententiam à Societati huic addictis, Ferdinando Rebello videlicet & Paulo Comitolo, primum impugnatam fuiſſe, contendere non ita pridem auſus fuerit. (*x*) Ipſe vero, etſi probabilium opinionum non plane rejiciat uſum, ita tamen eundem temperat, ut longe honeſtiorem ſententia iſta induiſſe faciem videatur. Quæ tamen affert, ſintne veritati conſentanea, ab aliis diſcuſſum iri, nullus fere dubito. Mea quidem parum refert, ſintne Jeſuitæ, an alii figmenti hujus auctores: nunquam tamen à me quiſquam impetrabit, ut non cladem, quam aliis erroribus ſuis & Theologiæ & Philoſophiæ Morali hi ipſi Societatis Jeſu Sacerdotes intulerunt, tantam eſſe cenſeam, ut nullis, quantumvis præclaris

o) in Theolog. Mor. adv. Probabil.
p) in Diſſ. de Probabiliſmo.
q) Contra Probabil.
r) in Diſp. de Conſil.
s) de Opin. Probab.
t) in Tract. de Probabil.
u) cont. Probabil. Jeſuit.
x) in Fundam. Theol. Moral. h. c. tract. Theol. de recto uſu opin. Probabil.

ris iſtorum in literas bonaſque artes meritis, poſſit penſari. Sed acceperint hunc errorem ab aliis: fortiſſimos tamen pertinaciſſimoſque ejus defenſores hæc ipſa Societas ſubminiſtravit. Ab ea vero periculoſiſſimas opiniones, ſubinde in moralem doctrinam invectas fuiſſe, evictum, ut alios taceam, jam pridem eſt à Caſſiano, à S. Elia (*y*) Theologis Nemauſenſibus: (*z*) atque Arnaldo. (*a*) Et, nonne profanum iſtud de peccato philoſophico commentum, annitentibus Societatis hujus Doctoribus in ſcenam prodiit? Aut, ſi antiquus error eſt, quod non plane abnuò, a Stephano Baunio (*b*) tamen, eundem maxime ab orco revocarem, exceptum ab Eſtrixio, defenſum (*c*) & propugnatum ab Antonio Burgundo, (*d*) Jacobo Platello, (*e*) Terillo, (*f*) præſertim Divionienſibus Jeſuitis fuiſſe, palam eſt: ſi quis vero inficiari auſit, eum rectiora doctiſſimus Vir Antonius Arnaldus (*g*) docebit. Ita moralis doctrina, optima nobiliſſimaque philoſophiæ pars, profuga velut & extorris, modo per Jureconſultorum, modo Theologorum caſtra oberrans, mitius profecto ab illis, quam his habita eſt, quippe quibus parum fuit, non ita ut decebat, illi litare, ſed corrumpere inſuper & depravare, pulchrum viſum fuit. Nec alia eam temere excipere fata potuerunt, ex quo à Philoſophis neglecta, quin ejecta in exilium, & penitus proſcripta fuit. Rem omnem à primis, quod ajunt, arceſſere fontibus juvat. Fuerunt, res nota eſt, olim homines, qui rerum omnium ſcrutabantur &

inve-

y) in Theol. Mor. à corruptelis Jeſuit. expurgata.
z) Kemnitius, Boquinus, Gotuiſius in doctrinæ Jeſuit. capitibus retextis.
a) in Morali Practica Jeſuitarum. ad Auctor. libri, Religion des Jeſuites.
b) in Sum. Pecc.
c) in Theſ. A. 1688. d. 23. Juli prop.
d) in Theſ. A. 1670. edit.
e) in Synopſ. Theol.
f) in Regula Morum.
g) in Nova Hæreſ. Epiſc. Princip. denunciata. add. ej. Arnaldi Denunciatio 2. & 3.

Digitized by Google

ſtigabant cauſas. Hos Sapientes initio, deinceps poſt Pythagoram, Philoſophos appellabant. Cum vero in naturalium maxime rerum contemplatione ætatem agerent, Socrates tandem, eam veram ſapientiam eſſe intellexit, quæ homines non tantum doctiores, ſed & meliores redderet, adeoque de formandis ad omnem honeſtatem hominum moribus, fuit ſollicitus Permulti ejus fuerunt diſcipuli, qui varias iterum condiderunt ſectas, quarum illæ demum quam proxime ad ſapientiſſimi Viri diſciplinam accedere videbantur, quæ in moribus emendandis, in vitæ integritate & puritate tuenda, plurimum ſtudii atque operæ collocabant. Platonicorum cumprimis & Ariſtotelicorum celebre olim fuit nomen. Et Plato quidem (*) ipſe de morali philoſophia, ſive Jure Naturæ ſubinde præcepit, præſertim vero in Apologia Socratis, in Critone, Philebo, Menone, Alcibiade primo & ſecundo, Charmide; hi enim ſunt Dialogorum tituli, ſed fundamento certo neutiquam inniti ea quæ diſſerit, peritiſſimis harum rerum viris eſt obſervatum. Multa etiam diſſimulaſſe creditur, unde multæ ejus de graviſſimis quæſtionibus ſententiæ, nemini ſunt perſpectæ. Platonici vero, quorum ad nos pervenere ſcripta, Xenocrates Chalcedonius, Plotinus, Philo Judæus, Apulejus, Maximus Tyrius, Chalcidius, Jamblichus, Muſonius, Proclus, Alcinous, ut plurimum de moribus pauca tradunt, quæ vero tradunt tanti non ſunt, ut non aliunde meliora poſſint hauriri. Ari-

*) *v. Fleury Diſſert. de Platone, tract. ejus Gallico de Selectu & methodo ſtudiorum annexa.*

ſtoteles quidem majori longe ſolertia in hac quoque philoſophiæ parte, quam Plato, verſatus eſt: nec contemnenda Peripateticorum, Theophraſti Ereſii, Andronici Rhodii, Alexandri Aphrodiſæi, ceterorumque opera: ego tamen ita arbitror, Stoicos, genuinos Socraticæ diſciplinæ alumnos, in hoc literarum genere ita excelluiſſe, ut Peripateticis æque ac Platonicis Epicureisque dubiam reddiderint palmam. Extat Epiſtola Gregorii Nazianzeni ad Eudoxium Rhetorem, (*h*) in qua cum ceteris Pgiloſophis ita contendit Stoicos, ut his principem tribuat inter omnes locum; cujus judicio plane ſubſcribo. Non ſpernenda, fateor, ſunt Pythagoræorum effata, quæ præter Schallerum, vel potius Marcum Mappum (*i*) aliosque e tenebris produxit Vir Doctiſſimus Magnus Daniel Omeiſius, (*k*) cum Stoicis tamen vix illa quisquam, ut puto, contendere audebit. Utinam vero multæ præſtantiſſimorum Virorum, qui ſtrenue in porticu militarunt, pulcherrimumque de officiis hominum, quæ periêre, commentationes, ad nos perveniſſent! Sane tum demum poſſet intelligi, quantum Jus Naturæ deberet Stoicis. Præclara quidem ſunt, quæ Seneca, Stoicis utique, non Epicureis, ut Scaliger cenſet, aut Cynicis annumerandus, (*l*) Epictetus, & qui, judice Dacerio (*m*) utrumque ſuperat, M. Aurelius Antoninus Imperator & Philoſophus, præcepere, iis tamen, quæ æternis tenebris obruta ſunt. Stoicorum operibus, hæc cedere, puto. Non leviter autem Stoi-

cos

h) *ap. Baſilium M. n. CXVIII.*

i) *in Diſſ. de Ethica Pythagor.*

k) *in Ethica Pythagor.*

l) *v. Jonſius de Script. Hiſt. Philoſ. lib. III. c. XX.*

m) *in Præf. ad M. Aur. Anton. de ſe ipſo ad ſe ipſum.*

cos Jus Naturæ attigiſſe, nec intra paræneſes ſubſtitiſſe, ſed exhauſiſſe penitus, vel Ciceronis de officiis libri teſtantur. Utut enim Academicorum ſubinde illi probentur placita, in morali tamen philoſophia ex Stoicorum fontibus, ſua ut plurimum irrigavit arva. (*n*) Hæc vero quoties mecum reputo, mirari ſubiit, qui factum, ut non Chriſtiani veteres manibus pedibuſque in Stoicorum philoſophiam iverint. Errores enim illorum, haud difficulter potuiſſent reſecari. Hieronymus quidem à Chriſtianorum de moribus placitis quam proxime abeſſe Stoicos profitetur diſerte. (*o*) Nihilo ſecius plerique veterum, Platonicorum abrepti ſunt myſteriis, ſæpius etiam in graviſſimos errores præcipitati. Si conjiciendo hic proficeretur ad rei ſummam, quæ tamen certeroquin lubrica admodum via eſt, haud adeo diſpliceret mihi illorum ſententia, qui multitudine ſua Chriſtianis quam maxime nocuiſſe Stoicos, præſertim cum moribus integris vitaque honeſtiſſime acta, magnam ſibi paraſſent auctoritatem, indeque adeo odio illis fuiſſe, opinantur. Sane Stoicos, ceu ætate omnes ceterarum hæreſium Philoſophos numero ſuperaſſe, Sextus Empiricus (*p*) locuples mihi teſtis eſt. Quicquid hujus ſit, neglexerunt Stoicam Philoſophiam, & Platonicam initio, deinceps vero Ariſtotelicam, inito quaſi certamine amplexi ſunt, eo quidem eventu, ut parum abfuerit, quin moralis doctrinæ penitus jacturam fecerint. Enimvero ut illorum, qui ſe Peripa-

n) *v. Henr. Ju. Scheurlius in Bibliograph. Morali. §. CXXIX.*

o) *in cap. VIII. Eſa.*

p) *Lib. I. de Philoſoph.*

ripateticos aut Ariſtotelicos eſſe gloriantur, de undecim virtutibus commentationes, quandoque ſatis jejunas, dignas eſſe, quæ hoc titulo ſuperbiant, credam, vix à me impetrare queo. Non is ſum, qui de gloria & exiſtimatione ſummi Philoſophi, aliquid detractum cupiam: ſcio multos vaniſſimæ ambitionis œſtro percitos, eouſque dementiæ proceſſiſſe, ut tum demum elegantiſſime ſapientiæ ſe litare crederent, ſi in Stagiritam calumniarum plauſtra exonerarent, inter quos Franciſcus ille Patritius (q) primum obtinet locum; ſed nec illud me fugit, hominem fuiſſe Ariſtotelem, & præſertim quæ in philoſophia morali ſcripſit, ſaltem quæ hodie extant, multis modis & augeri & emendari poſſe. (r) Et nihilo ſecius per aliquot ſecula, ex quo Scholas occupavit Stagirita, intra hoſce terminos morum doctrina ſubſtitit. (s) Quin majus adhuc malum, græci ſermonis imperitia accedebat, unde hi ipſi, qui Peripateticæ diſciplinæ præclari audiebant interpretes, ne mentem quidem Stagiritæ ſatis aſſequebantur, ludicraque adeo commenta ſuis propinavere diſcipulis. Sed huic quidem malo præter alios Petrus Victorius, eruditiſſimus Vir, obviam ivit. Atque de Ariſtotele quidem multi præclare meriti ſunt, moralis tamen doctrina non alia inde incrementa ſumpſit, quam ut nunc demum, quid Ariſtoteles ſenſerit, neminem facile latere poſſet. Fata tandem dedere Hugonem Grotium, illum Juris Naturalis Reſtauratorem feliciſſimum, qui

q) *in Diſc. Percipatet. add. Gaſſendus in Exercitat. Paradox. cont. Ariſtotelicos.*

r) *vid. præter alios Omeiſii Theatr. Virtut. ab Ariſtot. omiſſ.*

s) *vid. Verulam. lib. I. de Augment. Scient.* p. 31. & 34.

qui reſtitutæ ſuo nitori philoſophiæ moralis, gloriam, apud literarum, quacunque patet, orbem, jampridem retulit. Reprehenduntur, fateor, in ejus de Belli & Pacis Jure libris, ſingulares quædam ſententiæ, quas tamen facile declinabit peritus Lector, neque propter aliquem nævum, totius corporis pulchritudinem deſpiciet. Hic ſignum aliquod ad bene de philoſophia morali ſperandum ſuſtulit, viamque primum ingreſſus eſt, quam clariſſimi deinceps ſolertiſſimique Viri ſuis ſignarunt veſtigiis. Alterum à Grotio locum ſibi vendicat Johannes Seldenus, cujus cura atque induſtria factum, ut quæ Hebræorum de graviſſimis Juris Naturalis capitibus ſententia ſit, neminem fugere poſſit. Extitiſſe in hac gente, qui & ingenio & doctrina cum quibuſvis certare queunt, vel Moſis Maimonidis doctiſſimi utique Viri & Juris peritiſſimi, exemplo conſtat. Accedit, quod quæ à Majoribus ſuis acceperunt, diligentia, qua poſſunt maxima, referant Hebræi Doctores, atque vel hoc nomine de morali doctrina non male meriti videri poſſint. Nec omnino nihil Thomæ Hobbeſio debemus. Quin ſi tantam attuliſſet probitatem ad literarum ſtudia, quantum attulit ingenium, ingens ab eo emolumentum cum omnes literæ, tum maxime doctrina moralis capere potuiſſet. Jam vero profanis ridiculiſque commentis, ea, quæ bene excogitata ſcriptaque ſunt, polluendo, & ſe & alios induſtriæ atque laboris ſui fructibus privavit: audaciæ autem ſuæ

& inſaniæ pœnas, Cumberlandio, Cockio, Scharrockio, aliiſque doctiſſimis Viris dedit. Nimirum certatim inde Juri Naturali ſuas conſecrarunt operas præſtantiſſimi Viri, interque alios laude ſua non privandi ſunt, qui aureum illud Hugonis Grotii de Belli & Pacis Jure, opus, aut ſuis illuſtrarunt commentationibus, cum Theologi, tum Jureconſulti celeberrimi, Oſiander, Zieglerus, Feldenus, Boeclerus, ceterique, aut ſummam ejus brevi quadam facilique methodo exhibuerunt, quos inter Vir illuſtris, Philippus Reinhardus Vitriarius, & Dethlevus Marcus Friſius, vel potius Schefferus, hunc enim Grotii Enucleati autorem eſſe, ipſe fatetur Friſius, principem Jure ſuo ſibi vendicant locum. Et Vitriarius quidem quæ accurate & erudite à Grotio ſcripta ſunt, unico complexus eſt faſce, ſummaque facilitate expoſuit, in iis vero, quæ perperam ab eo ſunt prolata, aliter ſentire, aliorum quoque non neglectis placitis, neutiquam ſibi religioni duxit. Sunt præterea & alii doctiſſimi Viri, quorum pars in hiſce caſtris ſtrenue militarunt, pars adhuc fortiſſime militant, quorumque per omnia ora circumvolitat fama: horum vero hic decantare laudes, plane ſupervacaneum foret, cum nihil de iis tam præclare dici poſſit, quod non multis ſuperent modis. Ego vero, quoties hæc moralis doctrinæ incrementa mecum expendi, expendi autem ſæpius, toties inſigni perfuſus ſum voluptate, felicitatemque noſtri ſeculi ſatis mirari

non

non potui. Jamque certa me ſpes tenet, fore, ut., quæ deeſſe doctrinæ hujus perfectioni videntur, addantur propediem, ſed & ut illi rectius ſapere diſcant, qui Jus Naturæ, à doctrina morali, quam Ethicam vulgo dicunt, ſecernentes, hodie demum aut nudius tertius illud enatum eſſe, doceri-que cœpiſſe, adeoque è recentiorum ſaltem ſcriptis peti ac hauriri poſſe, perperam opinantur. Tradiderunt quippe jam antiquiſſimi Philoſophi, Ariſtoteles & Plato, ceterique Jus Naturæ, adeoque recentiores ita ſectandi ſunt, ne tamen penitus negligantur veteres. Grotium omnes imitari velim, iiſque magiſtris, quibus ille profecit, proficere omnes. Philoſophos ille conſuluit omnium ſectarum, conſuluit & Hiſtoricos, Oratores, atque Poëtas, qui haud raro cum Philoſophis paria faciunt. Certe ex hujuſmodi Scriptoribus, quantum roboris, aut præſidii, aut ſubſidii auxiliique, aut cultus & ornamenti accedat morali doctrinæ, ex uno incomparabili Grotii de Jure Belli & Pacis opere intelligi poſſe, Johannes Andreas Boſius vere non minus ac prudenter judicat. (*t*) Boeclerus (*u*) vero neminem Grotium, aut amare aut æſtimare poſſe dicit, niſi qui inde profectus ſui rationes expedivit, unde & ipſe Grotius, niſi qui eaſdem artes, eoſdem artium fontes, quibus Grotius aſſuevit, imbibit.

t) de Com. par. Prud. Civil. §. CVI.

u) in Præfat. Comment. ad Grot.

TANTUM!

JOHANNIS FRANCISCI

BUDDEI

S. S. Theol. Lic. & Philoſophiæ Moralis ac Civilis in Academia Fridericiana Profeſſ. Publ. Ordinar.

SYNOPSIS
JURIS NATURÆ
ET GENTIUM.

Juxta Diſciplinam

Ebræorum.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

EBræorum de morali doctrina ſententiam, accurate quidem & erudite expoſuit Johannes Seldenus, omniaque, quæ huc faciebant, ſummo ſtudio conquiſivit atque congeſſit: ſed digreſſionibus ſubinde eruditiſſimis, ad hiſtoriam aliaſque artes ſpectantibus opus ſuum multo pulcherrimum ornavit, aliaque attulit, quæ legentibus, linguarum potiſſimum orientalium notitia non imbutis, tædium creare poſſunt. Quare operæ pretium me facturum arbitratus ſum, ſi quæ prolixius à Viro ſummo ſcripta ſunt, in compendium mitterem, & citra ambages, ſine cultu, ſine ornatu, moralem Hebræorum doctrinam eruditorum oculis ſubjicerem, & ipſius ut plurimum Seldeni verbis, exponerem. Aliorum etiam Scriptorum, præſertim accuratius jus Naturæ interpretantium, ſubinde indicavi loca, usui

uſui futura illis, qui revocare ad examen Ebraicæ gentis placita cupiunt.

JUris Naturalis ſeu Noachidici, quod non ex brutorum actibus, (*a*) nec Gentium, ſive omnium ſive plurium opinionibus, moribus, vel conſtitutionibus, (*b*) nec ex rationis humanæ uſu, (*c*) ſed Numinis ſanctiſſimi imperio ſive indicatione, derivant, quodque intellectus agentis ope, hominibus innoteſcit, capita alia illluſtriora ſunt, alia minus illuſtria. Illuſtriora ſeptem ſunt, de Cultu videlicet extraneo, de Maledictione Numinis Sanctiſſimi, de Effuſione Sanguinis, de Revelatione Turpitudinum, de Furto ac Rapina, de Judiciis, de Membro animalis viventis. (*d*) Minus illuſtria ſubinde attingentur. (*e*)

CAPUT I.

Cultus extranei (*f*) nomine Noachidis interdicitur non modo ſaxorum, ſtipitum, ſtatuarum, imaginum, ſed etiam qualiſcunque Angelorum, corporum cœleſtium, elementorum, aliuſve cujuſcunque creaturæ cultus, ſive quo pro Numine ſupremo ipſo habeatur, ſive quo velut intermedia, ad

Seldenus lib. I. per integ.

a) v. Puf. de J. N. & G. lib. II. c. 3. §. 2.

b) v. Grot. lib. I. de J. B. & P. c. I. §. 12. & Comm. ad h. l.

c) v. Schilter in Manud. Phil. Mor. ad Juriſp. cap. 3. §. 6. p. 81.

d) v. Marshamus in Can. Chronico Sec. 9. p. m. 160.

e) vid. Seldenus lib. VII. cap. 2.

f) Lucem affundent Auctores, qui de Idololatria Ebræorum ex inſtituto ſcripſerunt, vid. Dion. Voſſius Not. ad Maim. Tr. de Idololat. Gentil. Athanaſius Kircherus in Pantheo Ebr. Oedip. T. I. Synt. IV. Hottinger. Primit. Heid. p. 382. Leuſden Philol. Ebræorum mixt. Diſſ. 42. Abarbanel ad II. Dig. XVII. aliique.

ad ſupremum colenti placandum invocetur. Si igitur Noachides interdictum hoc violaret, ille tum quidem in ditione Iſraëlitica ſupplicio afficiebatur capitali, ſi eodem & Iſraëlita afficiendus fuiſſet. Iſraëlitæ autem tum demum capitale erat alienum colere Numen, ſi palam & diſertis verbis Deum ſibi novum invocaret; (*g*) ſive adoratione, ſive immolatione, ſive ſuffimento, ſive libamine, ſive cultu, qui peculiaris erat Numini commentitio, ſive Numini vero proprio.

g) v. infra caput de Judiciis.

Præceptum iſtud de Idololatria fugienda ceterorum præceptorum omnium erat fundamentum, idque late adeo patebat, ut Magos quoque idolatris annumerarent.

Ex jure gentium imperativo diruenda quoque ab Iſraëlitis fuere gentium delubra, atque id genus cetera, cum univerſis horum appendicibus. Id quod de terra promiſſa tantum ex ipſa legis indicatione eſt capiendum, ne idololatriæ contagione facilius forte contaminaretur Iſraëlis progenies.

Seld. lib. II. cap. II.

Hanc igitur legis ſacræ rationem ipſi imitati, jus ſuperinduxerunt interveniens, de omnimodis templis, aris, lucis, ceteriſque idolorum cultui ſacratis rebus, diruendis abolendiſque, etiam in territorio quocunque alio, bello ſibi ſubacto.

Bina autem Noachidarum fuerunt genera, (*h*) quibus ſedes conceſſæ in imperio Iſraëlitico: alterum eorum, qui in ritus Ebræorum prorſus tranſierant; alterum eorum, quibus ſedes ibi, citra aliquam Judaiſmi profeſſionem,

h) add. hic Pauli Slevogtii Diſſ. de Proſelytis, Part. II. Diſput. Acadm.

nem, permiſſæ. Prioris Generis alii conditionis ſeu ſtatus erant liberi, quos Proſelytos juſtitiæ nuncupant, alii ſervi, alii denique libertini.

Diſp. XIV. Job. Leusden. in Phil. Ebræo-mixt. diſp. XXI. de Proſelytis. Lightfoot in Hor. Hebr. Talm. p. 41. ſeqq. Chriſtianus Cartwrightius Elect. ad Exod. p. 131. Seld. lib. II. c. III.

Omnes autem utriuſque generis Proſelyti certis ritibus intiabantur, per circumciſionem, ablutionem, & oblationem: fœminæ oblatione & baptiſmo: mares poſt templi excidium, circumciſione & baptiſmo tantum, idque ſemper præſentibus Triumviris.

Servi, qui Proſelyti juſtitiæ fiebant, eadem ratione qua ingenui initiabantnr, Domino Patris vicem ſuſtinente. Et niſi quis libertate in ipſo actu baptiſmi donandus eſſet, diſertis verbis baptizabatur, *nomine ſervitutis retento*. Libertini erant, qui ſive in ipſo baptiſmi actu, ſive poſtmodum, libertate à Dominis donabantur.

De infante è gentibus capto aut reperto ſtatuere ex arbitrio Dominus poterat, velletne ſervituti per baptiſmum illum addici, an libertati reſtitui.

Major autem ſervus, qui ſpreta admonitione ſæpius iterata, abnuebat ſacris Ebræorum imbui, retro erat vendendus gentilibus: quod ſi ea lege emptus eſſet, ut ea ratione, qua Proſelyti domicilii conſecrabantur, initiaretur, permiſſum illi erat ita apud Iſraëlitas ſervire. Sin omnem initationem reſpueret, morte dignus erat.

Et Proſelyti domicilii quidem, cum ſuas ſibi res adhuc haberent Ebræi, ad præceptorum, quæ Noachidis data ſunt, obſervatio-

nem

nem poterant cogi. Quin hoſpitio excipere, vel tranſitum concedere illis, quibus Noachidarum præcepta non erant ſancta, nefas erat atque piaculum.

Cum vero Ebræi non amplius ſui juris eſſent, invitare quidem Proſelytos domicilii, & hortari ad præceptorum Noachidis datorum obſervationem, at minime cogere licebat.

Effectus initationis duplicis ſunt generis. Alii in Jure, juxta quod initiatis ac admiſſis vivendum erat, cernuntur: alii in ipſa perſonis, tum ipſorum, tum poſterorum, inhærente qualitate, ſecundum quam cenſebantur. *Seld. lib. II. c. IV.*

In priori genere illud cumprimis hic non eſt prætermittendum, priſtinæ vitæ conditionem, ſive ſtatum idololatricum, tum Proſelyti ipſius, tum Parentum ejus, neutiquam probro illi fuiſſe objiciendum. Idque ad Proſelytum juſtitiæ æque ac domicilii ſpectabat.

Quoad Secundum genus autem quinque potiſſimum erant initationis effectus. Regenerabantur quippe Proſelyti juſtitiæ, juris Judaici participes fiebant, Judæorum etiam veniebant nomine, originis tamen & peregrinitatis velut perpetuum quendam characterem retinebant, ſingulariſque poſterorum erat conditio.

Et per regenerationem quidem novos quaſi ſortiebantur natales, ita ut nulla eis dein reſtaret cognatio ſive ſanguinis relatio, nec fratrem, ſororem, patrem, matrem, liberos antè genitos omnino in ſuis haberent,

rent. Quin novam cœlitus illis infundi animam nonnulli credidere.

Juris autem Ebræi participatio ad ea ſaltem ſeſe extendebat officia, quæ juxta præſcripta Moſaica tum erga Deum, tum erga alios erant præſtanda, neutiquam vero ad Magiſtratus & Præfecturas capeſſendas gerendaſque, & connubia quædam ineunda. Et hæc etiam peregrinitatis erat nota, quod licet Judæi vocarentur, non tamen ad omnes promiſcue honores illis pateret aditus. Proles maſcula autem ejuſmodi Proſelyti circumcidebatur, aliiſque fruebatur juribus, de quibus alibi.

Seld. lib. II. c. V. Libertinus in Judaismum cooptatus, undiquaque ejuſdem erat conditionis & qualitatis cum Proſelyto juſtitiæ, qui tempore cooptationis erat ingenuus ſeu liber. Qui primo manumiſſus, poſtmodum circumciſus & baptizatus erat, Proſelytus juſtitiæ, non libertinus dicebatur. A quibus tamen differunt Judæi Libertini generis, Tacito aliiſque memorati.

Servi licet ſolenni ritu initiati, libertate tamen carebant, nec ſui omnino erant juris. Cognationis autem ſervilis ratio illis erat nulla. Poſteri eorum Parentum ſequebantur conditionem.

Proſelytos dimicilii, quos, ut dictum, recentiori ætate cogere non poterant, quique præcepta Noachidarum obſervare abnuebant, pro impuris & inquinatis habebant, ad commercia cum gentilibus evitanda, idque ex jure ſupervenien:e.

Seld lib. II. c. VI. Ebræis itaque ac Proſelytis utriuſque ge-

ne-

neris, nefas erat ſtatuam erigere, lucum plantare, imagines aliaque id genus facere: & Noachidis quidem ex jure ſuperveniente, ceteris ex jure imperativo.

Nimirum ſtatuæ (*i*) nomine venit opus qualecunque, etiam altare, ideo conſtitutum erectumque, ut conventus publicus, ad ſacra illic peragenda, etiam vero Deo fieret. Eodem modo ſeſe habebat facultas ſaxa figurandi, lucumque plantandi.

Quemadmodum enim Iſraelitæ, ita & Noachidi, neutiquam permiſſum erat, ſive juxta tabernaculum, ſive templum Hieroſolymitanum, ſive in locis, ubi adoraret ipſe qualiſcunque ornatum, lucum plantare (*) ſeu arborum ordines conſerre.

Denique quod ad imagines (*k*) attinet, nefas quidem erat Noachidi imagines facere in territorio Iſraëlitico, ne ornatus quidem cauſa, aut in majorum memoriam, ſed & eos, quos & Iſraëlitis ex jure imperativo formare piaculum erat, idque ex jure ſuperveniente.

Iſraëlitis autem neutiquam permiſſum erat formare imagines in ſolido, ſeu proturberantes, humanas, (*l*) nec (ſive protuberantes, ſive in plano) cœleſtes, ornatus gratia, ſed tantum docendi diſcendique cauſa.

Non tamen dubitandum, quin pro vario eorum, qui rebus ac diſciplinæ præerant, opinione, ſeculorumque diſcrimine, aliter atque aliter permiſſio ſeu interdictum ſe habuerit.

Ebræus & Proſelytus juſtitiæ, qui hæc ju-

i) *vid. Henric. Kippingius in Antiquit. Rom. lib. I c. 7.*

*) *vid. Job. Spencerus de Legib. Hebræor. Ritual. lib. II. cap. 16. p. 364. ſeqq.*

k) *Rationes, quare Deus per imagines non ſit adorandus, vid. apud Petrum Chauvinum de Relig. Natur. P. II. c. 10. p. 312. ſeqq.*

l) *de Cherubinis qui hic excipiuntur. vid. Job. Spencerus de Legib. Hebræor. Ritualibus, lib. III. Diſſertat. V. ſ. de Origine Arcæ Cherubinorum. Seld. lib. II. c. VII.*

ris capita violaverat, verberibus ex ſententia forenſi puniebatur: Noachides diverſimode, pro rerum temporumque conditione.

Sed & actibus per ſe licitis ideo abſtinendum erat, quia cultus extranei erant & imitamenta & invitamenta, idque ex jure ſuperveniente. Ejuſmodi actus erant habitu ſexum ementiri, (*m*) veſtimentum ex diverſis generibus geſtare, (*n*) diverſi generis animalia ad coitum, ſive ad aratrum ſimul admittere, (*o*) fructus ante annum quartum comedere, in rotundum attondere comam, aut barbam radere, (*p*) cutem incidere. (*q*) Ideo enim hoſce actus Iſraëlitis eſſe prohibitos ajunt, quia ſolenniores antea erant Idololatris, tum aliis, tum præcipue Zabiis (*r*) à Maimonide aliisque memoratis.

Quin ad uſum & poſſeſſionem imaginum hoc interdictum extendebatur. Tria vero hic erant imaginum genera. Aut enim factæ erant cultus gratia, necdum cultæ, aut etiam cultæ aut factæ tantummodo in ornatum, ſive ruſticum, ſive urbanum, ſive ejuſmodi alium uſum, citra omnimodam cultus extranei rationem.

Si facta eſſet imago cultus gratia à gentili, necdum culta, nefas erat ea uti: ſin ab Iſraëlita, modo non culta fuiſſet, ab omni uſu non erat arcenda. Aſt quæ nec cultus gratia, ſive à gentili, ſive ab Iſraëlita factæ, nec cultæ erant, plane licitæ habebantur, ut pars ſupellectilis.

Inſtrumentorum vero, Vaſorum, rerumque

m) add. Spencerus lib. II· cap. 17. p. 273. ſeqq.

n) Spencerus l. c. lib. II. c. 21.

o) add. Spencerus l. c. lib. II. c. 19. p. 385. & cap. 20. p. 391. ſeqq.

p) Spencerus l. c. lib. II. cap. 12. p. 308. ſeqq.

q) v. Spencerus l. c. lib. II. c. 13. p. 322. ſeqq.

r) de quibus præter Spencerum l. c. cap. 1. lib. II. conf. Salmaſius de annis Climacter. in præfat. Pocockius in Not. in Specim. Hiſt. Arab. p. 138. Sam. Bochartus in Geograph. S. lib. II. c. 16. & Huetius in D. E. Prop. IV. c. 4. §. 2. & alii.

que omnium, quæ cultui idololatrico inſerviebant, uſus, tum Iſraëlitis, tum Proſelytis erat interdictus.

Aſt vaſa & inſtrumenta, ut & idolum ipſum, poterant reſecrari, ſive religione ſolvi, & quidem tantum à Gentili, qui ipſe hactenus eſſet idololatra, ſive dominus rei, ſive non eſſet. Id quod tamen rurſus ſine variis reſtrictionibus non admittunt.

Quemadmodum vero ceterarum rerum, ita & luci, ſive arboris, ſive eo nomine, ut coleretur ipſa, ſive ut idolum obumbraret, idolumve ornaret, plantatæ, uſus illicitus erat. Quod eousque extendebant, ut ne tranſire quidem, ſi alia pateret via, per ejusmodi lucum fas eſſet, & quæ erant reliqua. Erat tamen, ubi ejusmodi arbores non plane deſtituerentur uſu, quemadmodum & res mere naturales, extra rerum prohibitarum numerum fuêre.

CAPUT II.

Sequitur alterum juris Noachidici interdictum, de Maledictione Nominis Sanctiſſimi. Maledictionis autem vox in latiori ſignificatus ſui ambitu, prout ei opponitur ſanctificatio, duo ſub ſe complectitur, profanationem Nominis Divini, & ejuſdem execrationem. *Seld. lib. II. c. X.*

Profanari autem tripliciter Nomen Divinum ajunt. Primo modo, ubi Ebræus, ut mortem imminentem evitaret, quid adverſus ſacræ legis præſcripta patrabat, quoties ſcilicet ex Majorum inſtituto ſeu diſciplina,

mors præ tanto peccato, ut minus malum fuiſſet eligenda. (s) Neque enim ſemper volunt mortem anteferendam: nec levioris periculi ratio habebatur heic ulla.

s) Conſulantur hic quæ de jure & favore neceſſitatis ſubinde diſputantur vid. præ ceteris Pufendorfius, lib. II. de J. N. & G. cap. 6. per integr.

Mors autem alicui imminebat, aut ex morbo, aut ex alicujus hominis minis. Si illud, fas erat ægroto tum vetita comedere, tum alia in lege ſacra prohibita qualiacunque facere, quæ ſaluti, ut medicina, conducerent, ſaltem idolalatria, homicidium, & revelatio turpitudinum, excipiebantur.

Quoties autem mortis minis Ebræus ad violationem leges impellebatur, idque extra ſtatum publicæ vexationis, permiſſus illi erat qualiscunque, in quem ſic impellebatur, actus, modo trium interdictorum ante memoratorum, violaretur nullum. Et quidem, ſi actus in emolumentum impellentis cedebat, ſatius erat obtemperare, quam mortem ſubire, ſin vero directe in legis violationem tenderet, tum ſi Ebræi decem pluresve adeſſent, mors præponenda, ſin pauciores, vita obedientiâ redimenda erat. Aſt tempore publicæ vexationis, nefas erat, vel leviſſima legis violatione vitam redemiſſe.

Secundus profanandi modus eſt, ubi quis in præceptum quodcunque, cum contemtu aut ardore animi, etiam ad tentandum, ſeu irritandum Numen, procacius ſeu moroſius quid patrat.

Tertius denique modus nomen divinum profanandi erat, ſi v. g. vir in magna auctoritate conſtitutus, moribus ſe parum decentibus, alios offenderet, quemadmodum

con-

contrà morum ſanctorium, ſive juſtæ tum gravitatis, tum comitatis, ſimiliumque virtutum, diligentior in ejusmodi viro obſervatio, ſanctificatio nominis Divini diceba-tur.

Si igitur nomine maledictionis intelligatur profanatio illa, hactenus explicata, utique ſolos Judæos, non autem Proſelytos domicilii hac lege teneri, arbitrantur. *Seld. lib. II. cap. XI.*

Quod vero ad alteram maledictionis ſpeciem, ſeu execrationem nominis Divini, attinet, illam Noachidis interdictam eſſe, extra dubium poſitum eſt.

Vocare eam & blaſphemiam ſolent, committurque, quando Sanctitas, Poteſtas, Veritas, Unitas Numinis, aut (1.) convitio ultro ac diſerte proſcinditur, ut ex profeſſione actuve aliquo palam ac procaciter negari, conſequenter deprehenditur. Velut, ubi quis citra idololatriæ actum aliquem, eam amplectendam ſive aliis ſuadet, ſeu ipſe profitetur, idque ex protervia, non ex ignorantia, ſeu diſciplinæ errore, aut ubi (2.) Iſraëlita Jus Moſaicum, aut Noachides Jus Naturale, ſimili modo violat.

Quocunque igitur modo capiatur execratio, ad Judæos æque ac ad utriuſque generis Proſelytos, lex iſtam prohibens ſpectat; an autem pœna excidii, legi Num. XV. 30. addita, æque ad omnes pertineat, non liquet. *Seld. lib. II. c. XII.*

Quod autem ad pœnam hujus criminis forenſem attinet, tum Judæus, tum utriuſque generis Proſelytus, morte plectendus erat. Et Judæus quidem, ſi expreſſum no-

men tetragrammaton blaſphemaſſet, neutiquam vero, ſi cognomini Divino maledixiſſet. Proſelyto domicilii autem etiam cognomini Divino maledixiſſe, capitale erat, idque ex jure ſuperveniente. Non tamen defuerunt, ex ipſis Doctoribus Talmudicis, qui cenſerent, Iſraëlitæ æque ac Noachidi capitale fuiſſe, cognomini Divino maledixiſſe, illi ex civili, huic ex imperativo Jure. Et hinc intelligitur, quo Jure Chriſtum blaſphemiæ reum peregerit Caiaphas.

Seld. lib. II. c. XIII.

Quod vero Fl. Joſephus & Philo tradunt, etiam Diis gentilium maledicere, in gente Hebræa nefas eſſe, id ſecus ſe habet: rectiuſque de Magiſtratibus Lex Divina capitur.

Sed & quando mentionem Deorum facere prohibentur, id non tam de ſimplici nominandi Deos actu, quam de votis (*s*) ac juramentis eorum nomine concipiendis, & præſtandis, (*t*) & de ſocietate cum Idololatris ineunda, eſt capiendum.

Enimvero, ex Magiſtrorum ſententia, non tantum peccabat, qui juramentum per Deum alienum concipiebat, ſed & ille qui cauſa erat, ut alter per idolum juraret. (*u*) Pœna tamen forenſis non infligebatur ex hac lege, niſi ei, à quo aut votum conceptum, aut juramentum præſtitum fuerat idoli nomine.

Officia hominis erga Deum duo iſta Juris Noachidici capita equidem nobis ſiſtunt, ut videtur, negative: dubium tamen non eſt,

s) Vid. Schilterus in Manuduct Philoſ. Mor. ad Juriſprud. cap. II. §. 9.

t) vid. Grotius lib. II. de J. B. ad P. c. 12. §. 10. & Ziegler. ad h. l. add. Pufendorf. l. IV. de J. N & G. cap. 2. §. 3. & 4.

u) videatur Grotius l. c. §. 12. Oſiander ad h. l. add. Dn. Vitriarius in Inſtitut. J. N. & G. lib. II. c. 13. qu. 21. Seld. LIII. c. l.

eſt, quin ſimul hoc innuant Hebræi, Deum cultu tali, quali vult coli, eſſe colendum. Neque enim ſufficit, non adorare idola, non maledicere nomini Divino, ſed inſuper, ut ipſum Deum colamus, amando ipſum, venerando &c. (*x*) requiritur.

Ut vero eo rectius intelligatur, qualis Numinis cultus lege naturali juxta Hebræos exigatur, cultum divinum, tum ante, tum poſt Moſaica tempora, ſigillatim conſiderare juvat; & tandem, qualis cultus Proſelytis domicilii gentibuſque aliis, tum ex imperativo, tum interveniente jure, aut interdictus aut permiſſus, aut quare interdictus permiſſuſque ſit, addere.

Quod itaque ad cultum divinum, ante conſtitutam à Moſe Hebræorum Rempublicam, attinet, conſtat, vetuſtiſſimos mortalium Deo exhibuiſſe oblationes. Preces item, benedictiones, adorationes, vota in uſu erant, (*y*) Animalia quoque omnis generis, offerebantur, præter ea, quæ Noachidis immunda (*z*) fuiſſe accepimus. Quin & varii generis ſacrificia, (*a*) propitiatoria, expiatoria, euchariſtica, & id genus alia, tum apud ceteras gentes, tum ipſos quoque Græcos atque Romanos, frequentata fuiſſe, compertum habemus.

Aſt cultus divini Ebræis præſcripti, poſt conſtitutam à Moſe Rempubl. varia fuerunt genera. Partim enim precibus, adorationibus, benedictionibus & gratiarum actionibus: partim victimis, ſacrificiis, oblationibus, præſtationibuſque in corpore Moſaico me-

x) *vid. Puſendorfius de Officio H. & C. lib. I. cap. 4 cumprimis §. 6. add. Chauvinus de Relig. Nat. part. 2. c. 1. & 2. Seld. lib. III. c. II.*

y) *Conſulatur hic Heideggeri Hiſtoria Patr.*

z) *vid. Spencerus l. 1. c. 5.*

a) *add. Spencerus lib. III. Diſſert. II. de ratione & Origine Sacrificiorum.*

memoratis, præter ſolennem ceſſationem à laboribus & obedientiam inſuper, qua & præceptorum corpus reliquum obſervandum erat, abſolvebatur.

Sed omnes hi actus duplici poſſunt conſiderari ratione: aut qua ex humani generis uſu ſolenniores erant, ſpontaneæ, ac ſimpliciores, aut qua ſingulares, ritus, juſſa, atque ceremonias Ebræis peculiares, ſecum conjunctas habuere. Prioris generis erant holocauſta plane ſpontanea, tum quæ ſacris uſibus reliqua, ſive ex voto, ſive ex donatione, ultrò ac ſimpliciter addicta ſunt. Poſterioris generis exempla habentur in libaminibus, pacificis, expiatoriis, quorum & ritus varii Ebræis præſcripti ſunt, & finis præter ſimplicem cultum, diverſimode peculiaris fuit, quemadmodum inſuper in annuis dimidiorum ſiclorum penſitationibus, decimationibus, agni Paſchalis comeſtionibus, primogenitorum conſecrationibus, & id genus ceteris.

Quod ad tempora (b) autem ſpectat, hujuſmodi cultus, dies feſti, præter jejunia, fuere ipſis non pauci, veluti Sabbathum, Paſchales dies, Neomeniæ, Scenopegia, alii nemini ignoti. Sacrificia itidem matutina & veſpertina, preces pariter cum gratiarum actionibus effundendæ, hora precum, ut apud *Chriſtianos Canonicæ*, ipſis peculiares: ſed precibus, non quidem ex lege ſacra, verum ex Majorum ſanctis, certum tempus erat conſtitutum.

b) *vid. Spencerus l. c. lib. I. c. 6. Sect. 3.*

Victimarum & libationum locus taber-

nacu-

naculum & templum Ebræis erat. (*c*) Qua de re variæ extant leges. Preces ubique fundere licebat. (*d*)

Quod ad gentiles itaque attinet, legis ſuæ capita illis, ſiquidem ſibi ſubditi non eſſent, nunquam ita invaſerunt Judæi, ut ejuſdem, velut exemplaris optimi, (*e*) uſum, eis pro lubitu, non uſquequaque licitum eſſe arbitrarentur.

Id quod tamen de Proſelytis domicilii multo aliter ſeſe habuit. Præterquam enim quod ex jure imperativo, quædam in ſpecie ad eos, æque ad Judæos, pertinebant, etiam ex jure interveniente, multa Proſelytis domicilii vetita ſunt, quæ Ebræis utcunque ſunt imperata, & viciſſim alia, illis æque ac hiſce permiſſa.

Nimirum actus ſacri aut ſimplices ſunt, omnibus hominibus præſtandi, aut cum ritibus, Ebræis tantum injunctis, commixti. Hi nec Proſelytis domicilii, nec aliis gentilibus, ſacris Hieroſolymitanis miſceri cupientibus permiſſi, ut ſacrificia expiatoria, pacifica, quatenus ab holocauſtis differunt, item primitiæ, decimæ &c. Simplices contrà omnes erant permiſſi, ut preces, adorationes, gratiarum actiones, holocauſta, & omnes ſpontaneæ oblationes.

Tempora item hiſce præſtandis promiſcue permiſſa, ita tamen ut nec feſtum aliquod Ebraicum Proſelytis domicilii celebrare fas eſſet, nec ſibi feſtum aliquod ſtatuere, aut alibi ſtatutum, in ditione Iſraelitica obſervare.

c) vid. Spencerus Part. III. Diſſert. I. cap. III. de Origine Tabernaculi & Diſſert. VI. de Origine & Ratione templi.

d) vid. Lichtfooti Hor. Ebr. Talm. in IV. Ev. p. m. 292. ſeqq.

e) vid. Grotius lib. I. c. 1. §. 17. & Comment. ad h. l.

Seld. L. III. c. 4. & 5

f) vid. Dn. D. Pfeiffe-rus in Dubiis Vexatis. p. 425. & ſeqq. & cæteri Scriptores de templo Hieroſolymitano ibi citati.

Locorum vero ita habebatur ratio, ut non tantum quæ de lucis non plantandis, de ſtatuis ſive altaribus non erigendis, ſupra dicta ſunt, à Proſelyto domicilii, ex jure ſuperveniente, obſervarentur: ſed permiſſum illis quoque erat, preces effundere, hoſtiaſque offerre, in templo Hieroſolymitano, laxius accepto vocabulo, prout montem templi, ſeu montem Moriah (*f*) denotat, qui hoc nomine itidem non raro inſigniebatur.

Seld. L. III. c. VI.

Arcebantur quippe, non ſolum à Sacerdotum atrio, uti & alii Iſraelitæ Laici, eoque, quod Iſraelitis Laicis, & qui ipſorum jure pariter ferme in ceteris fruebantur, Proſelytis juſtitiæ, tertioque quod mulieribus proprium erat, verum etiam ab ipſo antemurali. Sed poſt templi excidium gentilibus, ubicunque locorum voluerint, holocauſta offerre fas eſt.

Seld. L. III. c. VII.

Unde & ſimul in magno errore illos verſari patet, qui non res ipſas, ſed pretia rerum tantum, Hieroſolymis à Gentilibus oblata fuiſſe, contendunt.

Seld. L. III. c. VIII.

Hæc omnia eo pertinent, inde ut evincatur, Noachidas, omneſque adeo homines, ad cultum tum internum, tum externum, ex mente Hebræorum, fuiſſe obligatos. Cultum externum vero, tum aliis quibuſdam præſtationibus, tum præcipue oblationibus ſpontaneis abſolvi.

Spontaneæ autem vocantur hæ oblationes, non ac ſi nulla ratione aliquis ad eas obligetur, ſed quia genus, tempus, æſtimatio,

tio, offerentis arbitratui ita relicta erant, ut legibus ad Ebræos tantum ſpectantibus, non teneretur.

Nec illud prætermittendum, holocauſta Gentilium, juxta leges generales fuiſſe offerenda, & præterea vices tam ilaſtici atque expiatorii, quam euchariſtici Sacrificii, ſimplices ac ſpontaneas illas oblationes ſuppleſſe, dummodo, quantum ad ilaſtica, confeſſio & pœnitentia accederet.

Seld. lib. III. C. IX. ſeqq.

Non minima quoque cultus Judaici pars erat, ſanctificatio & celebratio Sabbathi. De cujus origine & inſtitutione (g) antiquiores Hebræi ita ſentiunt, ut à Moſe demum in Mara illud, juſſu Numinis inſtitutum, ut tum creationem, tum redemptionem ex Ægyptiaca ſervitute, in memoriam ſibi revocaret Iſraëlis progenies, magno conſenſu tradant.

Sic & Judæos ordinarios tantum, & Proſelytos juſtitiæ, Libertinos itidem, aliosque baptiſmo & circumciſione, in Eccleſiam Ebraicam rite cooptatos; neutiquam vero Proſelytos domicilii, (h) ſeu eos, qui Judaiſmo nondum nomen dederant, in quacunque vitæ commercium intra ditionem Iſraëliticam admiſſi, hac lege obligari cenſebant. Quin pœnis graviſſimis obnoxii erant Proſelyti domicilii, ſi hoc mandatum obſervarent.

g) vid. Spencer. de Legibus Hebræorum Ritualibus lib. I c. IV. Sect. 7. uſque ad 13. addantur, Quæſtedius, D. Schmidius & Friſchmuthius, in Diſſertationibus peculiaribus.

h) Præluſerunt ergo illis, qui hoc præceptum morale eſſe negant, ut Alphonſus Teſtatus in Geneſ. c. II. q. 4. Pererius lib. in Geneſ. Azerius Inſtitut. Moral. T. II. lib. I. cap. I.

CA-

CAPUT III.

Officia hominis erga Deum excipiunt officia hominis erga alios. Hic primum locum tenet illud de homicidio interdictum.

Nimirum nefas eſt hominem interficere, (*i*) niſi per modum pœnæ legitimæ, (*k*) aut quaſi pœnæ hoc fiat. Idque ad omnes æque homines ſpectat.

Diverſimode tamen homicidium punitur, utcunque ex animo & data opera patratum, idque ſive genera cædis, ſive perſonas, quæ intermerunt, ſive interemptos ſpectes.

Quod ad genera attinet, cædes ex animo tum ab Iſraelita, tum à Gentili, patrata ſive gladio, ſive fuſte, ſive ſaxo, aliterve, per ipſum reum, cæſim, punctim, jactu, &c. ultimo ſupplicio, i. e. gladio ex ſententia forenſi erat punienda.

Aſt vero, ſi Iſraelita per alium (*l*) cædem perpetraſſet, is quidem ordinarie ſupplicio capitali non afficiebatur, niſi pacis & tranquillitatis publicæ gratia, præter morem hoc fieret. Id quod tamen in gentilium pœnis ſecus ſeſe habebat.

Perſonarum quoque interemptarum nullum erat diſcrimen. Cujuſcunque ſexus aut ætatis hominem quis intereniſſet, perinde erat. Itemque ſive Ebræum, liberum vel ſervum, ſive Proſelytum juſtitiæ, ſive denique ſervum à Gentilibus alienum.

Quod ſi quis ſuum è Gentilibus ſervum ita percuſſerat, ut intra 24. horas ſtare nequiret, ſed ex vulnere ſtatim decumberet & more-

re-

i) v. Pufendorf. lib. III de J. N. & G. c. 1. §. 6.

k) v. Grot. lib. 1. de J. B. & P. c. 2. §. 5.

l) vid. Grot. lib. II. c. 17. de J. B & P. §. 5. ſeqq. addantur quæ de actionum imputatione apud Pufendorf. aliosque diſputantur.

retur, mortis reùs erat: ſecus vero ſe res habebat, ſi ex vulnere non ſtatim decumberet, licet intra 24. horas moreretur.

Quæ de muliere gravida percuſſa in lege dicuntur, ita intelligunt, ut ſi ex abortione mortua non eſſet fœmina, nec ſequeretur pœna ibi præſtituta, compenſationem autem damni marito hinc illati æſtimabant ex detrimento, quod uxoris corpori inde eveniret, ſeu juxta id, quod uxoris pretio, ſi ancilla eſſet, inde decederet.

Unde quidem patet, ex mente quorundam veterum Hæbræorum, homicidii reum non fuiſſe, (*m*) nec capitale ſubiiſſe ſupplicium, qui mortem intuliſſet fœtui in utero matris exiſtenti, id quod tamen jure meritoque diſplicuit ſanioribus, qui hoſce non minus homicidii reos pronuntiant, ac nos, qui in lucem infantes emiſſos interficiunt, quorum tamen ob cædem, intra triginta dies, quoties novimeſtres non eſſent, ultimum ſupplicium à foro non irrogabatur, licet plane impune non committeretur.

Sed & exponere infantes ex mente Ebræorum nefas erat. (*n*)

Eſt vero nec illud prætermittendum, capitale fuiſſe homicidii crimen, ſi ab Iſraelita, Proſelyto juſtitiæ, vel ab alio rite ſacris Judæorum initato, aliquis horum interficeretur: aſt vero ob Proſelyti domicilii, vel gentilis cædem, pœna capitalis non irrogabatur. Unde conſtat, eos cenſuiſſe, pœnam homicidii non neceſſario eſſe capitalem. (*o*).

m) à qua ſententia non videntur procul abeſſe Henriquez, Sanctius, & alii. Sed vid Leſſius lib. II. de J. & J. c. 9. Dub. X. n. 61. Covaruv. Clement. ſi Furioſus, part. II. §. 1.

n) vid. Pufendorf. de J. N. & G. Lib. II. c. 2. §. 6. add. Lipſius Cent. I. ad Belgas Epiſt. LXXXV. Thomas Bartholinus de puerperio p. 46. ſeqq. Deſiderius Heraldus lib. I. in Tertull. Apologet. Digreſſ. 8.

o) vid. hic omnino Pufendorf. lib. VIII.

Si

Si plures concurriſſent (*p*) congenerumque plagis ſeu jactibus peremiſſent, ut eorum nullus ſeorſim hoc feciſſet, quod mortem inferre potuiſſet, cuncti liberi erant à capitali ſupplicio. Nec etiam homicidium, ceteroquin capitale, ſi unus tantum adeſſet teſtis (*q*) ultimo ſupplicio plectebatur. Id quod tamen in Proſelyto domicilii, ſecus ſeſe habebat. Qui & in eo deterioris erat conditionis, quod ſemper, ſi alium ex proœreſi intermiſſet, capitale debebat ſubire ſupplicium, idque ex jure interveniente, à quo tamen aliquando immunes erant ceteri.

De Vindice ſanguinis (*r*) autem ita ſtatuunt, ut ei fas fuiſſe aſſerant, homicidam ejuſmodi ſine fori ſententia, obvium præoccupando, morte plectere, quin & eos plectere, qui ex forenſi ſententia morte non erant afficiendi, v. g. ſi Iſraelita, unico ſaltem teſte convictus, homicidii reus eſſet. Atque hoc jus ex more gentium Orientalium ad eum ſpectabat, qui occiſo ſanguine ita erat conjunctus, ut proximus eſſet hæres.

Hactenus de homicidio voluntario dictum. Involuntarii tres ex mente Ebræorum ſunt ſpecies. Prima eſt, quando quis ex errore & ignorantia ſimplici atque infortunio, nec tamen ſine culpa levi, contracta, hominem occiderat. (*s*) Huic ſpeciei accedebat homicidium, per ſe quidem aliàs voluntarium, aſt ex ignorantia ſeu errore cujuſdam facti, vel ut ex jure commiſſum.

Secunda, quando etiam ex errore quis hominem occiderat, ſeu caſu, ſed qui injuriam

vel

de J. N. & G. c. 3 §. 26. add. Grot. lib. I. c. 2. §. 5.

p) v. Pufendorf. lib. III. c. 1. de J. N. & G. & Grotius lib. II. c. 17.

q) vid. infra cap. de Judiciis.

r) vid. Grotius lib. II. de J. B & P. c. 20. §. 8. ſed add. noſtra Diſſert. de Jure Zelotar.

s) vid. Pufendorfius lib. III. cap. I. de J. N. & G. add. quæ ad actionibus per ignorantiam commiſſis, ut & de triplici culpa, paſſim traduntur.

vel violentiam imitaretur, interim caſus eſſet, qui nequaquam in rebus humanis ut plurimum eveniret. Unde nec culpa, ne levis quidem, homicidæ tribuenda.

Tertia homicidii involuntarii ſpecies eſt, ubi quis alium occidit ex errore quidem aut ignorantia, quæ tamen prope accedit ad id, quod ſpontaneum eſt ſeu voluntarium, adeoque intervenit culpa latiſſima.

Ex hiſce homicidii involuntarii ſpeciebus nulla eſt, quæ morte, ex ſententia forenſi ordinaria, ſive in Ebræo aliove circumciſo, ſive in Proſelytô domicili, aut gentili alio, puniretur.

Urbes aſyli autem (t) nec ad ſecundam nec ad tertiam, ſed ad primam duntaxat pertinebant ſpeciem, & tum quidem, quoties percuſſus ſtatim mortuus eſſet, non autem ex vulnere langueret. In talem enim Vindici ſanguinis nulla erat poteſtas, quemadmodum & plane non in Magiſtrum & Patrem, diſcipulum filiumque ita verberibus corrigentes, inde ut morerentur.

t) add. Johannes Adamus Oſiander de Aſylis, Rittersbuſius de Jure Aſylorum, Mœbii Aſylologia Sacra, Coccejus ad Sanhedrin. p. 110. ſeqq.

Secundæ ſpeciei homicida opus habebat aſylo: aſt tertio urbes aſyli non erant præſidio.

Urbes aſyli duplicis erant generis, tum ſex illæ in divinis literis memoratæ, tum omnes etiam urbes Leviticæ. Aſt hoc intercedebat diſcrimen, quod priores homicidæ memorato ſemper, poſteriores tum demum præſidio eſſent, ſi incolæ vellent.

Si quis limites aſyli ſponte eſſet egreſſus, impune occidebatur, tum à Vindice ſanguinis,

nis, tum ab alio quocunque; ſin ex errore, occiſori fas erat in urbem aſyli confugere. Quod ſi intra limites aſyli homicida interficeretur, & Vindici ſanguinis, & ceteris hoc capitale erat.

Sunt & qui putant, altare fuiſſe locum confugii, id quod tamen tum demum admitti poteſt, ſi quæ de partibus altaris, de perſonarum & facinorum qualitate, etiam de mora, addunt, rite attendantur.

Ceterum ſi Proſelytum domicilii, ſive liberum ſive ſervum, caſu occiderat Ebræus, migrandûm ei erat in urbem refugii. Ad Gentilem autem, qui nondum Proſelytus domicilii factus, ſive Ebræum ſive gentilem ex errore ſeu caſu qualicunque occiderat, urbium refugii privilegia non attinuêre. Nec tamen ex ſententia forenſi morte plectendus is erat, ſed Vindicis ſanguinis arbitrio ita ſuberat, ut ab eo impune poſſet occidi. Proſelyto domicilii autem, ſi Ebræum vel circumciſum occiderat, urbs refugii non proderat, ſecus autem ſe res habebat, ſi Proſelytum ſui generis, ſive liberum, ſive ſervum, occidiſſet. Capitale quippe illi erat Ebræum interfeciſſe.

Patet itaque, non poſſe hominem interfici, niſi per modum pœnæ, vel quaſi pœnæ, quorſum etiam bellica cædes (*u*) pertinet. Pœna autem capitalis, tum à perſonis publica auctoritate pollentibus, tum à privatis, ut Vindice ſanguinis, poteſt irrogari.

u) vid. Grotius lib I. de J. B & P. c. 2. Seld. L. IV. c. III. & IV.

Erant vero & alia pœnarum genera privatis

vatis conceſſa. Defenſio videlicet, & jus Zelotarum.

Nimirum poterat quis non tantum ſe ipſum (*x*) ſed & proximum ſuum, (*y*) hoc eſt congenerum (*z*) cum cæde & repulſione violenta invaſoris defendere. Sed & adulterii aut inceſtus omnimodi cauſa, ut & pæderaſtiæ, illatam vim, (*a*) vi propulſare, fas erat. Sed & illius (Iſraelitæ) qui concivem ſuum, vel bona ejus in poteſtatem gentilium tradere volebat, cædem licitam eſſe pronuntiabant. Quemadmodum & ejus, qui palam atque ad irritandum Numen, ejuſve contemptu, præceptum aliquod divinum violaſſet. Gentilem tamen hac de cauſa, aut aperta vi occidere, aut circumvenire, nefas erat: licet eos præſenti periculo eripere itidem nefas eſſet. Exiſtimabant quippe, ſe non tantum non obligatos eſſe officia humanitatis gentilibus præſtare, ſed hoc inſuper nefas eſſe (*b*) autumabant.

Huc etiam pertinebat, ex eorundem mente, infantis cædes (*c*) ſine illa ſi mater ſervari non poſſet, id quod tamen tum demum admittebatur, ſi fœtus caput nondum in lucem emiſiſſet.

Supplicium capitale homini ἐπαυτοφώρῳ deprehenſo, à Zelotis (*d*) id eſt, privatis zelo ductis, infligi permittebant, quoties

 ſan-

x) add. Grotius lib. I. de J. B. & P. c. I. Pufendorf. lib. II. cap. 5. Textor. Synopſ. Jur. Gent. c. 5. Obrechtus, aliique, qui ex inſtituto de ſui defenſione ſcripſerunt, laudati Kulpiſio in Colleg. Grot. ad cit. Grotii loc.

y) add. Grotius lib. II. c. 25.

z) vid. Zieglerus in Grot. lib. I. c. 2. p. 91.

a) add. Balduinus in Caſib. Conſc. lib. IV. c. 1. Voetius de Duellis c. 24. Kulpiſius l. c. §. 4.

b) Perperam. vid. Zieglerus ad Grot. l. c. p. 91. & Pufendorf. lib. III. c. 3. Seld. L. IV. c. V. *c) vid. Antonius Matthæus de Crim. ad l. 47. D. L. V. §. 5. Meiſnerus in Philoſ. Sobr. Sect. I. c. 6. p. m. 230.*
d) conf. Zieglerus ad Grot. lib. II. c. 20. §. 9. p. 40. add. noſtra de jure Zelotarum Diſſertatio.

ſanctitatem ſive Numinis, ſive Templi, ſive gentis, Ebræus aut circumciſus alius, ſeu in Judaiſmum cooptatus ita violaret, ut palam ac in publico eam ſive denegare, ſive ſpernere, ſpeciebus aliquot facti atrocioribus videretur.

Nimirum præſentibus coram decem minimum Iſraclitis quempiam facinorum aliquod jam dictorum commiſſurum, ipſo eodem momento, fas erat incurrendo ſeu aggrediendo eum aut verbere, aut vulnere præpedire ac cohibere, aut etiam cæde perſeverantem è medio tollere.

Seld. L. IV. c. VI. VII. ſeqq.

Sunt & qui putant, Anathemate percuſſos licite à privatis in gente Ebræa interfici potuiſſe. Id quod tamen ſimpliciter admitti nequit.

e) add. Aloyſius Novarinus in Schediaſm. Sacroprof. lib. VII. cap. 10. Vorſtius ad Pirke Elieſ. p. 226. Dilherus Elector. lib. II. c. 19. aliique.

Nimirum Anathematis quatuor ſunt ſpecies. (*e*) Aut enim vox illa denotat ſacrum donarium, quod Numini ſeu in ſacros uſus devovebatur; aut id quod expreſſim jure belli ac militari, ſeu ob inimicitias capitales devovebatur perditioni, internecioni, aut odio inteſtino; aut quod in commiſſum cadit; aut demum, quod diris, jure tantum pacis onuſtum.

Atque ſic ex ſecundi Anathematis, non vero ceterorum lege, fas fuiſſe interficere hominem, palam eſt.

CAPUT IV.

Quartum Juris Noachidici caput, ex illuſtrioribus illis, de Revelatione Turpitudinum præcipit. Id quod Ebræornm

Ma-

Magiſtri ita capiunt, ut ante legem Moſaicam, illicitum fuiſſe concubitum pronuntient, cum matre, noverca, uxore aliena, ſorore uterina, maſculo, beſtia. *Seld. L. V. c. I. & II.*

Poſt Legis Moſaicæ promulgationem autem nefas erat concumbere cum matre, noverca, nuru, maſculo, beſtia, idque ad maſculos æque ac ad fœminas ſpectabat, ſocru, ſocrus matre, ſoceri matre, filia, nepte ex filia, nepte ex filio, privigna, nepte uxoris ex filia, nepte uxoris ex filio, uxore aliena, ſorore ſua uterina, ſorore germana, amita, matertera, ſorore uxoris ſuæ, uxore fratris ſui, uxore patrui, fœmina menſibus laborante; ex parte fœminarum, cum patre, & patruo.

Ceterum obligatos eſſe maſculos omnes, ad matrimonium ineundum (*f*) exiſtimabant, ita quidem, ut quicunque expleto vigeſimo ætatis anno, uxorem non duxerit, hoc præceptum violaſſe cenſeatur, niſi aut aſſiduo Legis ſtudio incumbat, acriori libidinis ſtimulo immunis, aut partium, quibus viri ſumus, defectu, generationi impar ſit. Idque præceptum ad omnes æque homines ſpectare. *Seld. L. V. c. III.* *f) vid. Pufendorf. lib. VI. cap. 1. §. 3.*

Nec vero præcepto huic quis ſatisfecerat, ſi uxori ſuperſtes, prolem utriuſque ſexus, ejuſque integri, non haberet. Cujus autem filius & filia mortui, relinquerent liberos utriuſque ſexus, ita ut nec eorum alterutri proles deeſſet, præcepto liber erat. Supplebant videlicet filiorum filiarumque locum, nepotes & neptes.

Proſelytus, qui etiam hoc jure tenebatur, tum demum huic præcepto fecerat ſatis, ſi poſtquam Judaiſmum amplexus erat, utriuſque ſexus liberos ſuſcepit. Id quod tamen non obtinebat, ubi ſervus poſt ſuſceptam ejuſmodi prolem, manumiſſus erat.

Seld. L. P. c. VI.

Ad matrimonium vero non ſufficiebat conſenſus, ſive ipſius conjugis, ſive parentis vel propinqui, nomine ejus promittentis, ſed concubitus etiam requirebatur, (g) idque ex Jure Noachidarum. Namque ex jure ſacro ſeu civili conſenſus ſolus apud Ebræos citra omnem controverſiam ſufficiebat.

Sed & innuptarum concubitum Jure Naturali licitum eſſe putabant, (h) qui tamen lege Moſaica Ebræis deinceps fuit interdictus.

Plures uxores ſimul habere omnibus hominibus, (i) tum ante, tum poſt legis Moſaicæ promulgationem, fas eſt, modo præter alimenta & veſtimenta, ἐυνοίαν γαμικὴν omnibus exhibere maritus poſſit.

Seld. L. V. c. VI.

Dimittere etiam conjugem tum maritis, tum uxoribus, ex jure naturali fas erat, idque pro lubitu. (k) Nimirum pactum matrimoniale, illis nihil aliud erat, quam ſociorum contractus, qui eousque ſtabilis manet, cum in eodem conſenſu utrinque perſeveratur,

g) vid. Pufendorf. lib. VI. c. 1. §. 4.

h) vid. Lambertus Velthuſius in Tract. Morali de Naturali Pudore & Dignitate hominis, part. I. operum.

i) vid. tum propugnatores Polygamiæ Ochinus, Lyſerus, perſonati illi Sincerus Warenbergius & Daphnæus Arcuarius: itemque Athanaſius Vincentius, tum oppugnatores Beza, Muſæus, Brunsmannus, Diecmannus, Menzerus, Geſenius, aliique.

k) vid. Buxtorfius in Diſſert. peculiari. add. Velthuſius l. c. & Pufendorf. lib. VI. c. 1. §. 20. ubi & Miltonum refellit.

tur, & renuntiante ſocietati alterutro, ſolvitur.

Ex Jure Civili autem deinceps ſolis maritis dimittere conjugem, licebat, idque ratione tum in lege Moſaica præſcripta, tum per mores Majorum introducta. (*l*) Noachidæ autem ſive gentiles, ad hunc dimittendi modum non erant obſtricti. Hinc & apud gentiles uxoribus fas fuiſſe dimittere maritos deprehendimus.

Quæ de uxoribus dicta ſunt, etiam de concubinis, h. e. minoris dignitatis uxoribus, (*m*) ſunt intelligenda, quippe quæ eadem ratione poterant dimitti.

Quod ad cognationem Perſonarum, quarum heic habenda eſt ratio, attinet, ante legis Moſaicæ promulgationem Parentum & liberorum, (*n*) nec non fratrum atque ſororum, (*o*) matrimonia illicita fuiſſe pronuntiant, ita tamen ut in ipſis rerum initiis, cum præter primos parentes, eorumque liberos, nondum quis alias exſtaret, diſpenſante ita Numine, ſorores quidem, tum uterinas tum germanas, aſt non, ſi uno cum fratre partu in lucem editæ fuiſſent, ducere fas fuiſſe perhibeant. Patri quoque filiam tum ducere licebat, aſt non filio matrem.

Poſtquam vero genus humanum ſatis multiplicatum eſt, cognationumque varietas evenit, cum uterina quidem, aſt non germana, inire matrimonium nefas eſſe cœpit; Patri quoque interdictum eſt, ducere filiam.

Et ita ſe res habuit ante promulgatam Moſaicam Legem. Ceteros conſanguinitatis

 gra-

l) add. Buxtorfius l. c. Seld. L. V. c. VIII.

m) de concubinatu legatur Grotius lib. I. c. 5. & Zieglerus ac Boeclerus ad h. l. add. Paganinus Gaudentius de moribus Sec. Juſtin. lib. XXI.

n) vid. Pufend. lib. VI. c. 1. §. 28. & in Spec. Controverſ. c. 4. §. 21. Veltbuſius l. cit. add. Kulpiſius in Colleg. Grot. ad lib. II. c. 5. §. 7.

o) conf. B. Joh. Muſæi Diſſert. de Conjugio. §. 101.

Seld. L. V. c. IX.

gradus in vitio poſitos fuiſſe, non liquet; ſane exempla docent, neutiquam nefas fuiſſe ea ætate, matrimoniali vinculo eas inter ſe jungi perſonas, quas jungi lex Moſaica diſerte vetat.

Seld. L. V. c. X.

Aſt poſt legem à Moſe latam, omnes perſonas ſupra memoratas, non ſine crimine matrimonia inter ſe contrahere, docebant.

Adultero autem aut ſtupratori ullam ſtupratæ aut adulteræ ſuperſtitis conſanguineam, dictis cognationis gradibus conjunctam, in uxorem ducere, non quidem ex lege, ſed ex Majorum decretis, nefas erat, ita quidem ut verberum pœnam ſubiret, qui contra faceret, non ut inde matrimonium ceu irritum dirimeretur.

Rationes quoque interdictorum de conjunctionibus inceſtis, afferunt, (p) alteram, ne, ſi libera forent erga fœminas interdictas, uti erga ceteras, vota conjugalia, ex futuri matrimonii ſpe, facilius explendæ libidinis anſa prehenderetur, cum perſonæ interdictæ cum viro cui interdicuntur, ſive ob conſanguinitatem, ſive ob affinitatem, in eiſdem ſimul ædibus, plerumque ſoleant commorari, quorſum & accedit, ne frequenti tam propinquarum, ut fieri amat, æmulatione Lares inquietarentur: alteram à radice & ramo deductam: Nefas enim eſſe ajunt, ut radix ramum ducat, aut ramus radicem.

p) quarum aliquos repetit Grotius L. II de J. B. & P. c. 5. §. 13. n. 3. ſed addatur Veltbuſius l. c.

Seld. L. V. c. XI.

An autem leges iſtæ Moſaicæ omnes de gradibus conſanguinitatis latæ, ad Gentiles æque

æque ac Iſraëlitas ſpectent, non plane inter ſe conveniunt. Plerique tamen autumant, Gentilibus, ex lege Moſaica, eos ſaltem (q) prohiberi concubitus, quos & ante legem iſtam latam, omnibus hominibus illicitos fuiſſe diximus. Idque de Gentilibus ditionis Iſraëliticæ, h. e. Proſelytis domicilii, praecipue aſſerebant.

Quod ad ſervos ancillaſque attinet, Judæis cum illis inire matrimonia, nefas erat.

Sed duplex erat ſervorum ancillarumque conditio. Alii enim ſervitutis nomine, ſeu ſervitute retenta, in Judaiſmum adſciti erant, & horum quidem matrimonia Judæis erant interdicta, ſi Mamzerum, Ancillam partiariam, & ſervum Ebræum, excipias. Hiſce enim licitum erat, cum hujuſmodi generis ſervis matrimonia contrahere.

Aſt cum illis Gentilibus, qui in Judaiſmum non erant recepti, ſive liberæ ſive ſervilis eſſent conditionis, cunctis Ebræis nefas erat (r) inire matrimonia.

Sunt & qui putant ſtatim à tempore circumciſionis inſtitutæ, id in gente Ebræa obtinuiſſe, quod à Moſe denuo ſibi injunctum credunt. Et Moſis quidem leges, matrimonia cum ſeptem populis Ebræis ſaltem interdicere, nonnulli autumant, quas tamen ad omnes omnino gentes extendunt alii.

Ita vero à matrimoniis Gentilium abſtinebant, ut etiam contractus ſponſalitii cum eis initi, plane irriti eſſent. Coitum autem meretricium cum Gentili, non tam ex lege ſacra, quam more Majorum illicitum

q) *Male vid. præter innumeros alios Martinus Chemnitius in Loc. de Conjugio p. m. 223. add. Zieglerus ad Grot. lib. II. c. V. §. 13. p. 277. Seld. L. V. c. XII.*

r) *add. Buxtorfius de Sponſa. lib. & Divortiis §. 31. ſeqq.*

pronuntiabant: certe ejuſmodi facinus publice perpetrantem Zelotes impune poterat interficere, clam vero patratum verberibus luebatur. Sunt tamen qui ſecus hic ſentiunt. Sunt etiam qui aſſerunt, fœminam gentilem ſupplicium ſubiiſſe capitale, Ebræum cum ea concumbentem, vapulaſſe. Prolem vero ex Ethnica ſuſceptam, in liberorum numero non habebant.

Seld. L. V. c. XIII. Plane vero ſingulare eſt, quod plerique tradunt, captivæ gentilis unicæ, quam Ebræus quis in ſua præda fortè, bello ultroneo, feliciter geſto, acceptam ſtatim deperiret, domumque duceret, concubitum unicum fuiſſe permiſſum, (*s*) ita tamen, ut ſine nuptiis eundem non omnino iteraret, neque aliter poſteà ac in lege præſcriptum eſt, eam, tametſi jure belli ancilla fuiſſet, haberet: idque tum de nuptis, tum de innuptis, capiebant.

s) conſulatur & hic Buxtorfius de Sponſal. & Divortiis §. 32.

Aſt jus hoc uxoris alienæ ita in bello capiendæ, volunt Iſraelitis ſingulare fuiſſe, nec omnino Gentilibus, ſive inter ſe, ſive adverſus Ebræos belligerantibus permitti, ſed eis furti nomine hoc, velut alieni contrectationem, interdici; cum tamen, ipſis fatentibus, captiva ejuſmodi gentilis, pro victoris cujuscunque arbitrio, aliena eſſe uxor deſinat.

Non autem licebat Ebræo ejuſmodi captivam ducere, niſi Proſelyta juſtitiæ fieret: ſin vero & Proſelyta domicilii fieri detrectaret, morte inſuper erat afficienda, Si Proſelyta domicilii fieret, ex unicô hoc con-

cubitu

cubitu illud nanciſcebatur, ut non amplius captivæ aut ancillæ inſtar haberetur. Proles autem ex primo ejuſmodi captivæ concubitu nata, antequam mater baptiſmo initiaretur, ex ſententia forenſi baptiſmo & circumciſione initianda erat.

De Proſelytis juſtitiæ ita ſtatuebant, ut cum nonnullarum gentium, ut ſeptem populorum, Proſelytis utriuſque ſexus, vetita eſſe perpetuo Originariis conjugia, cum nonnullarum, ut Ammonitarum & Moabitarum, ſexus maſculi tantum, cum aliarum, ut Ægyptiorum, uſque ad generationes aliquot; aſt reliquarum gentium Proſelytis, permiſſa cum Originariis, non tamen ſine temperamentis aliquot, contenderent aſſererentque. Id quod tamen poſt Aſſyriacæ & Babylonicæ captivitatis tempora, in deſuetudinem abiit. *Seld. L. V. c. XIV.*

De liberis illud adhuc obſervandum, eos, qui ab Ebræo ex Pagana erant ſuſcepti, plane fuiſſe Paganos, quemadmodum contra Iſraëlitidis proles, ſive à Pagano, ſive à ſervo ſuſcepta, generis erat Iſraëlitici. *Seld. L. V. c. XV.*

Mamzeris, ut vocant, utriuſque ſexus conjugia Iſraëlitica vetita erant. Proſelytorum juſtitiæ tamen, & Libertinorum nuptiis non arcebantur. Atque iſtud quidem de Mamzero manifeſto, ex decreto legis, de dubio, etiam ex inſtituto Majorum, erat intelligendum. Manifeſti autem inter ſe invicem rite contrahebant, ſed non cum dubiis, nec hi inter ſe invicem. Dubiis quippe non aliunde, quam è Proſelytis aut Libertinis conjuges *Seld. L. V. c. XVI.*

petere fas fuit.

Ex Eunuchis, illis demum nefas erat ducere Iſraelitidem, qui ab hominibus erant caſtrati, qui per naturam tales erant, non item. Proſelytas juſtitiæ autem, & Libertinas, & Nethinæas, & Mamzeras dubias, non autem manifeſtas, utriuſque generis Eunuchi, (*t*) rite ducebant.

t) *Adeoque ejuſmodi conjugia admiſerunt: ſed perperam. vid. B. Scherzerus in Syſtem. Theol. Loc. XXVII. §. aliisque.*

Labes *Mamzero* adſperſa, tum demum elavabatur, ſi prolem ex ancilla ſuſciperent, quæ ritu ſolenni deinceps in Judaiſmum vel Libertinitatem, cooptabatur.

Seld. L. V. c. XVIII.

Servorum atque ancillarum cum nulla eſſent cognationis jura, hinc omnia illorum matrimonia, quæ inter ſe contrahebant, & commixtiones licitæ erant, præter concubitum cum maſculo, beſtia, & adulterium.

Seld. lib. V. c. XVIII.

Proſelyti cujuſcunque generis & Libertini, cujuſcunque etiam gentis eſſent, rite intra ſe conjugia contraxère. Iiſdem tamen interdicta erant conjugia cum exteris, non Proſelytis, ut & ſervis atque ancillis, æque ac Originariis ipſis. Sed & ratione Mamzerorum, Proſelytorum in ſervitutem addictorum, & Ancillarum partiariarum, eodem cum Originariis fruebantur jure.

Cognatio autem Proſelytorum priſtina, antequam Proſelyti fierent, per regenerationem plane evaneſcebat, unde nec matris, nec ſororis uterinæ matrimonium Proſelyto ejuſque ſeu Libertino recens facto, lege ſacra interdictum eſſe, exiſtimabant.

Nimirum pater & filius, & frater & ſoror, licet unico temporis momento in Judaiſ-

daiſmum cooptati, cenſebantur tamen ut alieni: quin inter fratres & ſorores, quorum antequam mater Proſelyta facta eſſet, alii, alii poſtea, nati eſſent, vel ſi ſaltem concepti eſſent, antequam facta eſſet Proſelyta, nulla tamen ſanguinis erat relatio. Ceterum iſtud diſcrimen ex tempore Sanctitatis, ut vocant, ita petitum, locum tantum habuit in liberis, qua ſe in vicem reſpiciebant, non qua reſpiciebant parentes,

Quemadmodum itaque ex legis dictamine nulla cogitationis ratione inter ejuſmodi homines exiſtente, non quoque conſanguineorum prohibita erant matrimonia: ita contra ex conſtitutionibus Majorum, non ſane omnes pro lubitu commiſtiones illis licitæ erant; ita tamen ut alia eſſet ratio interdictorum inceſti, quibus ex Noachidarum jure omnes homines obſtringuntur, alia eorum, quæ in lege Moſaica acceſſerunt, alia item concubitus ex matrimonio, alia ſine matrimonio, alia matrimonii ante regenerationem, alia ejus quod poſt inibatur, atque alia demum cognationis paternæ, maternæ alia.

CAPUT V.

Quintum Juris Naturalis caput eſt de furto ac rapina. Quo nomine hic deſignatur contrectatio, ſurreptio, & detentio rei alienæ, uti & damni qualiſcunque citra cædem, alteri facta illatio, contra quam jura, pro varietate ſeculorum locorumque introducta præſtituunt, ſinuntve. *Seld. L. VI. c. I.*

Palam

Palam itaque eſt, præſupponi hic jura dominii, tum rerum, tum perſonarum, quæ aut ab ipſo Numine præſtituta ſunt inſtaurataque, aut ab hominibus inventa & conſtituta.

Et Deus (*u*) quidem initio Adamo, (*x*) deinceps & Noacho rerum omnium dominium univerſale indulſit: (*y*) ſimul tamen hominibus permiſſum eſt, ſingulares inſuper acquiſitionum & tranſlationum dominii inter ſe formulas, & ejuſmodi alia, inſuper introducere, id quod cum citra conſenſum & fidem interpoſitam fieri non potuerit, quodnam heic ex hominum diſpoſitioni præcepti hujus fundamentum ſit, palam eſt. Conſenſus videlicet prærequitur, idque tum in pacis rebus, ut contractibus, omnibuſque ſanctionibus civilibus, tum quæ bellum comitantur, ut jure victoriæ, ſervitutis, captivitatis, ceteriſque, ut & Legationum jure.

Aſt vero ut conſenſus fundamentum tranſlationum dominii & obligationum eſſe poſſit, id ex Numinis illo præcepto, de fide ſervanda, pendet. (z) Id quod de omnibus modis ac temperamentis, quæ hiſce obligationibus ſubinde adjici ſolent, pariter eſt intelligendum.

Interim ſupremum rerum omnium Dominium manet penes Deum, (*a*) ita ut etiam do-

u) vid. Strauchius de Imp. Mar. cap. I. §. 12. Obrechtus in Diſſert. cui titulus: Sacra termini §. 27.

x) add. Zieglerus, Oſiander, Boeclerus in Grot. lib. II. c. 2. de J. B. & P.

y) Præter Theologos & Jureconſultos, qui ſubinde de Origine Dominii diſputant, vid. Pufendorf. de J. N. & G. lib. IV. c. 4. ſed addatur Strauchius. l. c. & Kulpiſ. in colleg. Grotiano Exercitat. III. ſ. ad Grot. lib. II. c. 2. §. 1.

z) Quod contra Connanum Jureconſultum vindicat H. Grotius de I. B. & P. lib. II. c. 11. §. 1.

a) add. Dn. Vitriarius in Inſt. J. N. & G. lib. 1. c. 1. qu. 19.

dominium humano conſenſu qualicunque rite acquiſitum, invitis Dominis interdum alio, juſſu ſuo transferat: quin Ebræis, ut hujus gentis Doctores tradunt, permiſerit, alienas ſubinde invadere regiones. Huc & Decimarum (*b*) aliarumque rerum Sacerdotibus Levitis, Pauperibus aſſignatio divina, aliaque legis Moſaicæ capita, ſpectant:

De furto itaque tria initio ſunt obſervanda. Primum, quænam in furtivam cauſam cadant; ſecundum, quam late furti nomen in naturali hoc interdicto ſe extendat; & tertium, quodnam & unde inter Ebræos & Gentiles ſeu Noachidas diſcrimen.

Cadunt in cauſam furtivam tum perſonæ, tum res: & ad illas quod attinet, tum liberi homines; tum ſervi.

Furti nomen & quod clam & quod palam, nec inſcio domino fit, denotat. Damnum cuique illatum, ſive ab hominibus ſive à brutis, licet alia voce apud Ebræos denotetur, huc tamen etiam refertur. Nimirum damnum quacunque ratione à perſona illatum hoc interdicto comprehenditur, jureque adeo naturali vetatur. De damno autem à beſtiis illato, ſecus opinantur (*c*) & quod à Numine ea de re ſancitum eſt, ad leges civiles referunt. Unde porro ſi Iſraëlitæ brutum Gentili intulerit damnum, neutiquam ad ejus compenſationem teneri Iſraëlitam: Gentilem vero teneri, ſi ab ejus bruto acceperit damnum Iſraelita, idque ex jure ſuperinducto.

b) add. Nicolaus le Maiſtre de bonis Eccleſiaſticis, part. II. lib. I. c. 2. Henr. Caniſius de Decimis. c. III. Rivetus in Geneſ. Exercit. LXXX. Job. Buſæus ad Petri Bleſenſis Epiſt. 82. Seld. L. VI. cap. 11.

c) Conſul. Interpretes Juris Romani, ad tit. ſi quadrupes paup. add. Puſendorf. lib. III. de J. N. & G. c. 1. § 6.

Diſcri-

Diſcrimen vero quod hic inter Ebræos & Gentiles intercedit, ex eo oritur, quod Juri Naturali varia addiderunt ratione dominii, temperamenta. Unde quidem aliquando id fieri permittebatur, quod ex Jure ſimpliciter Naturali ſeu Noachidarum furtum eſſet; furtum quoque Ebræis non erat, quod itidem ex jure ſimpliciter Naturali tale fuiſſet. Huc ſpectat quod aſſerunt, operarium extra operæ tempus, uvas comedentem committere furtum: Ebræum contra ſurripientem id quod minoris eſt minimo nummo, quem Protah vocant, à furti crimine eſſe alienum. Huc quoque decem iſta Joſuæ & Synedrii ejus decreta ſpectant.

Seld. L. VI. c. III. Non licebat bona alterius hoc nomine aut invadere, aut ſurripere, aut quocunque modo ad ſe trahere, quod à Religione Judaica (*d*) eſſet alienus. Quin & ſi quis ob apoſtaſiam capitali afficiebatur ſupplicio, bona tamen ejus ad hæredes ſpectabant, niſi univerſitas urbis apoſtaſiæ rea facta fuiſſet.

d) vid. Vaſquius Controv. illuſtr. cap. XXIV. add. H. Grotius in Mari Libero. c. 4.

Furtum itaque & Ebræus committebat, ſi Gentilis bona contrectaret, vel dolo malo ad ſe traheret, ſive injuſto pondere & menſura, ſive alia ratione hoc fieret. Adeoque in alterius ſive Ebræi ſive Gentilis damnum mentiri, illis nefas habebatur: unde & omnis fraus in contractibus, procul faceſſere debebat. Ceteroquin tamen fallere Gentiles, & mendaciis erga eos uti, non pro crimine reputabant.

Hoc vero de Pacis jure eſt capiendum, namque in bello publica auctoritate indicto, in

in bona Gentilium quævis ſibi permiſſa, ſtatuebant; (*e*) ſed & alienas quaſcunque terras invadere, adeoque res & perſonas alieni juris in ſuum redigere, Ebræis fas fuiſſe perhibent.

Furti nomine etiam contineri volunt, ſi quis vicini agri terminum ſeu metas intra confinii lineam aut angulum ſummoveret. Legem ſacram tamen, quæ hac de re extat, ad terram ſanctam ſignanter in lege memoratam, attinere ajunt. Unde ſi quis ſecus in terra ſancta feciſſet, eum & interdictum generale de furto, & legem hanc ſpecialem de terminis, violaſſe.

e) vid. quæ infra de Jure Belli traduntur cap. XII. & ſeqq.

Inter modos acquirendi rerum dominia, referebant occupationem. (*f*) Occupari autem res omnes poſſunt, quæ ſunt nullius: quod ſi res ejuſmodi cuſtodia ſerventur, unde intelligi poſſit, eas eſſe alterius domini, non poterant occupatione acquiri, ſicuti nec res deperditæ aut derelictæ, quæ in cuſtodiæ aliquem locum ſtabilem ac occluſum devenerant. Illæ quippe ejus, cujus erat locus, factæ cenſebantur. Fundus (*g*) tum demum occupatus credebatur, ſi dominus occupans eum opere quodam coluiſſet.

Rerum deperditarum ſeu caſu amiſſarum (*b*) eadem erat conditio, quæ nondum occupatarum, quin ſi Ebræus rem gentilem repererat, dominuſque prior illi innoteſceret, eam reſtituere non tenebatur, deſiiſſe enim per amiſſionem dominium prioris, credebant: aſt ſi res deperdita fuiſſet Ebræi, eam ex lege civili, reſtituere, Ebræi obligati

Seld. L. VI. c. IV.

f) de modis acquirendi in genere, & in ſpecie de occupatione, Vid. Grotius lib. II. de I. B. & P. c. 3. add. Pufendorf. lib. IV. c 6. per integ.

g) add. Pufendorf. l. c. §. 8. & 9.

b) vid. Grot. l. c. §. 19. Pufendorf. l. c. §. 12.

gati

gati erant, niſi dominus rem deperditam palam pro derelicta haberet. Excipiunt itidem Prævaricatores ſeu Minim. namque hiſce ut res reſtituerent, non fuiſſe obligatos Ebræos.

Sed occupari quoque poterant bona Proſelyti juſtitiæ, ſine hæredibus obeuntis, itemque ager à Gentili emptus, priusquam Syngrapha contractus firmaretur. Reliquiæ vero frugum in agris, egenorum occupationi expoſitæ erant. Omnem vero occupationem niti conſenſu primorum diviſorum, (*i*) de admittendo occupante, quoties res aut nondum fuerint poſſeſſæ, aut nullius in bonis eſſe cœperint, exiſtimabant.

Ad contractuum & alienationum (*k*) formulas ſingulares hoc pertinet, quod olim nullus contractus, niſi calceo tradito, ratus eſſet. Seculis autem ſequentibus, *Prædia* emtoris ita demum fiebant, ſi aut nummis datis, aut ſyngraphæ teſtimonio, aut corporali poſſeſſione, ea adquiſiviſſet.

Res mobiles alienabantur fere aut venditione, aut permutatione, aut donatione. Conſtituto, etiam ſoluto pretio, in emptoris dominium res non tranſibat, niſi *prebenſione*, *tractu* aut *ductu* & *traditione*. Sed & à permutatione, nec non donatione, priusquam poſſeſſio corporalis accederet, æque ac à priori contractu, poterat recedi: idque ex Majorum conſtitutionibus.

Si qui Judæus Judæo bona mobilia utrique bona fide vendiderat, pretio, vero rei valore ſexta parte, majori ſeu tanto minori

i) conf. Pufend. lib. IV. de J. N. & G. c. 4. §. 4. Seld. L. VI. c. V.

k) vid. quæ hic Grotius lib. II. c. 12. & Pufend. lib. V. de J. N. & G. c. 2. & ſeqq. aliique de Contractibus præcipiunt.

nori (*l*) pars illa ſexta, ei, cui inde damnum ſit illatum, erat refundenda; ſed & contractum reſcindere emtori, nondum finita negotiatione, venditori ſemper, fas erat: quæ omnia ſecus ſe habebant, ſi ſexta parte minus diſcrimen eſſet. Et ita quoque in permutatione rerum fungibilium, exceptis inſtrumentis, vaſis, pecoribus, ſeſe res habebat.

Proſelytorum, ut fere nunquam non, ita & hic deterior erat conditio; nec enim Ebræus damnum illi hac ratione illatum, reſtituere debebat. Sed nec moribundus Proſelytus juſtitiæ poterat per teſtamentum bona ſua diſtribuere aut dare proli, natæ aut conceptæ, antequam Proſelytus fieret: idque ex moribus ſuperinductis.

Non prætermittendum, Egenorum in gente Ebræa jus fuiſſe ſingulare. Hujus ſeptem erant capita, Angulus, Spicilegium, Racematio, Acini decidui, quod per oblivionem relinquitur, Decima pauperis, Eleëmoſyna.

Et ad Eleëmoſynas, (*m*) quod attinet, non tantum ſimpliciter neceſſaria, ſed & ea inſuper, quæ ad priſtinæ, unde deciderant, vitæ fortiſque ſplendorem ſpectarent, (*n*) & id genus alia, erant ſubminiſtranda.

Publica auctoritate, quæ colligebantur eleemoſynæ, eæ ſententia forenſi etiam exigi pote-

l) *Grot. l. c. § 8. ſeqq. Pufend. l. c cap. 3. per int.*

Seld. L. VI. c. VI.

m) *Haſce eſſe Juris Naturalis, agnoſcunt Villalobos I P. Tract. XXII. Dif. 1. 2. Sanchez. Conſi. P. I. L. I. c. V. Dub. V. Trullench. Expoſit. Decal. lib. I. c. 5. Dub. 8.*

n) *à qua ſententia nimium quantum, diſcedunt recentiores, ut vocantur Moraliſtæ, Durandus, Paludanus, Cajetanus, Vaſquius. vid Ludovicus Montaltius in Litteris Provincialibus Epiſt. 12. cumprimis p. 347.*

poterant: (*o*) pauperum nomine autem qui venerint, accurate definiunt :. ſane inter alia hoc addiderunt, ut pauperis jure is demum frueretur, qui artificio honeſto ſedulo incumbendo, non tamen quæ vitæ ſuſtentandæ neceſſaria erat, ſibi comparare poterat.

Ceterum quinque priorum capitum ea erat conditio, ut quæ ſic pauperibus erant præſtanda, etiam invitis Dominis potuerint auferri. Id quod tamen non fas erat, ſi partem ſaltem *donorum* ejuſmodi auferrent, vel ſi ea negligerent plane, aut juſto non peterent tempore.

Eodem cum Ebræis hic fruebantur jure Proſelyti juſtitiæ. Proſelyti domicilii eleëmoſynarum ſaltem fiebant participes : non tamen arcebantur, uti nec ceteri Gentiles, ſi pauperum qui ei Judæis turbæ ſe commiſcerent, idque ex jure ſuperinducto. Ebræum tamen à Gentili petere eleëmoſynam, nefas erat: aut oblatam palam, niſi urgente extrema neceſſitate, accipere. Eouſque tamen jus & favorem neceſſitatis, ut invito Domino aliquid ſurripi poſſet, (*p*) ſe extendere, abnuebant.

Nunc quemadmodum perſonarum dominium, Jure Ebræorum acquiratur, eſt diſpiciendum. Triplici ratione oriebatur ſervitus: aut, ſi quis ſe alteri in ſervitutem mancipabat, aut ex fori, aut denique ex Patris addictione.

Seipſum poterat quis vendere urgente extrema neceſſitate. (*q*) Ex fori ſententia, ſi

o) conf. Zieglerus ad Grot. de J. B. & P. lib. II. c. 20. §. 20. p. 450.

p) add. Laymannus lib. III. tract. 3. p. 1. cap. 1. Leſſius lib. II. c. 12. n. 12. Antonius Eſcobar. tr. III. Ex. IX. n. 20. Grot. lib. II. c. 2. §. 6. & Zieglerus ad h. l. itemque Kulpiſius. in Colleg. Grot. Ex. 3. §. 5. aliique.

q) conf. Zieglerus ad Grot. lib. II, cap. 5. §. 27. pag. 290.

ſi quis, furti reus, ſolvendo non erat, actori in ſervitutem addicebatur, non fœmina, quæ, ne ſe ipſam in ſervitutem venderet, aut ſervos emeret, in monitis erat. Addicebatur præterea Ebræo, non Proſelyto cujuſcunque generis, multo minus Gentili. Si quis ſeipſum Gentili vendidiſſet, quod tamen nefas habebatur, Gentilis quidem acquirebat dominium, erat tamen bis redimendus: liberi autem ejus & poſteri non fiebant ſervi.

Servus ex fori ſententia Ebræo addictus, mitius ceteris habebatur, uxorique ejus, & liberis ex ea ſuſceptis, victum, veſtitum, & domicilium, præſtabat Dominus, cui tamen neque hi, neque illa, ſerviebant. Servitus talis ſexennio perimebatur, ceteroquin Jubilæum vel ultroneæ manumiſſionis ſyngrapha finiebat ſervitutem. (r) Quod ad mortem Domini attinet, ſi is Gentilis eſſet, etiam plane ſervitutem tollebat, ſi Ebræus, tum demum, niſi filium, qui ſuccederet, relinqueret.

r) add. Pufendorf. lib. VI. de J. N. & G. c. 3. §. 11.

Addicto ex ſententia fori, poterat Dominus ancillam thoro conjungere, ut ita ſervos ex ea ſuſciperet: ſed tum demum, ſi præcepto de multiplicando humano genere, feciſſet ſatis: non tamen poterat Dominus à tali ſervo uxorem legitimam ſejungere, aut binis ſervis unam jungere ancillam. Hæc vero de ſervo, qui ſeipſum vendiderat, non intelligunt, ad quem nec legem de aure perforanda pertinere volunt: ut cetera horum ſervorum diſcrimina taceam.

Ex Patris addictione in ſervitutem temporariam tradebatur filia, ſeu ea, quæ adhuc minor, ex conſuetudine gentis, erat. Idque urgente extrema paupertate, (s) ſed ne tum quidem, niſi ſpes eſſet, aut emtorem aut filium ejus, eam ducturum in matrimonium, licebat. Si ſponſalia detrectaret emtor, minor ejuſmodi pro ancilla per ſexennium habebatur, niſi vel ex redemtione, vel alia de cauſa, ſervitus exſpiraret. Cum libertate & munera illi, ex lege ſacra, danda erant: prorogari autem ſervitus in ancillis, aure perforata, non poterat.

s) conf. Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 5. §. 5. & Zieglerus ad h. l. p. 170.

Servorum Cananæorum, aliorumve Gentilium dominium in pace acquirebatur, venditione, permutatione, ſyngrapha, eodem fere modo ac prædiorum. (*) Ut vero alienatio iſta rata eſſet, debebat ſervus opus ſervile præſtare, nimirum ſolvere, aut induere debebat Domino calceamenta. Et ex hiſce, non Ebræis, opera mere ſervilia erant exigenda.

Seld. L. VI. c. VIII.

**) conf. Ziegler. ad Grot. lib. II. c. 17. §. 13. p. 405.*

Hi ſervi duplicis erant generis: alii circumciſi & baptiſati, alii tantùm Proſelyti domicilii. Priores manumittebantur, pretio Domino dato, aut Syngrapha ultro ei data à Domino, aut ſi membrum aliquod præcipuum eid. à Domino eſſet mutilatum. Poſterioris generis ex prioribus duabus aliiſque quibuſdam, neutiquam ex tertia cauſa, manumittebantur.

Servus gentilis, ab Ebræo Gentili venditus, debebat redimi: nec fas erat ulla ratione ſervum in terras alienas transferre, hinc

ne

ne quidem licuit domino, ſervum invitum in alienas terras comitem ſibi adhibere.

Ancilla libidini ſe palam proſtituens, niſi caſtigaret eam ſatis Dominus, erat manumittenda.

Proles & poſteri hujuſmodi ſervorum & ancillarum etiam ſervi erant. Et licet ancillæ proles matris ſequeretur conditionem (*t*) ſervi, nihilominus libera erat, niſi ex àncilla ſuſcepta fuiſſet. Ex Iſraelitide ſuſceptus filius, æque ac ex Gentili libera, filius liber erat.

Quod vero nonnulli dicunt, apud Gentiles prolem ſequi conditionem maris, id de iis Gentilibus, qui matrimonio rite conjungi poſſunt, non de ſervis, peritiores intelligunt.

Etſi fœminarum monitum erat, ne emerent ſervos, ſi tamen hoc facerent, dominium ſibi acquirebant. Nec ſervos facile manumittendos, præterquam in caſibus alibi memoratis, docebant. Nonnulli tamen pro lubitu Dominum hoc facere potuiſſe, contendunt. Sed & ſævire in ejuſmodi ſervos quacunque ratione fas erat. Servi autem minorum natu, ut cetera bona, erant in fori tutela. Regulariter etiam ſervus nihil poſſidebat, ſed quæ habebat, erant Domini, niſi ex Domini permiſſione. (*u*)

De uſuris (*x*) ita ſentiunt, ut non tantum

t) vid. Grotius lib. II. cap. 5. §. 29. it. Zieglerus atque Boeclerus ad h. l. add. Pufendorf. lib. VI. c. 3. §. 9.

u) Sed toti huic argumento lucem affundent qui de Servis ex inſtituto ſcripſerunt, quorum aliquot Tabor edidit, quibus addi poteſt Laurentius Pignorius. Seld. L. VI. c. IX.

x) vid. hic præ ceteris Pufendòrf. lib. V. c. 7. §. 8. add. Grotius lib. II. c. 12. §. 20. & Oſiander ad h. l. item Balduinus Caſ. Conſcient. lib. IV. c. 3. Meiſnerus in Philoſ. Sobria Sect. I. cap. 6. q. 1. Dominicus à Soto lib. VI. de J. & J. qu. 1. Leſſius de Virt. Card. c XX. d. 4. aliique.

tum mutuum fœnori dare, Ebræus Ebræo, ſine crimine non potuerit, ſed ne accipere quidem: ſed & qui ulla ratione ad ejusmodi actum adhibebantur, ut ſcribæ, teſtes, legem violaverant.

Bina autem fœnoris genera faciunt. Alterum eſt *uſura determinata*, alterum, quod vocatur, *pulvis uſuræ*, i. e. *fænus ſimulatum* ſeu *quaſi fœnus*. Et prius quidem genus diſerte lege ſacra prohibitum cenſent: quam ſi quis violaverat, ad *reſtitutionem* tenebatur, ex ſententia forenſi: niſi uſura nullius plane pretii, vel fœnerator jam mortuus eſſet. Hæredes quippe, vaſa, veſtes, & alia, quæ reſtabant, non autem pecuniam aut res fungibiles, debebant reſtituere.

Fœnoris nomine etiam veniebant munuſcula mutuo danti oblata, niſi quod munuſcula, quæ *Sapientes* ſibi invicem mittebant, hinc eximerentur. Non enim præſumitur eos interdictum violare.

Quaſi fœnus autem ex ſcitis Scribarum vetitum erat, ſive eſſet uſura antecedens, vel antevertens, ſive ſubſequens. Hoc nomine videlicet, commodum nullum aut beneficium, ne quidem humanitatis officia, ceteroquin uſurpari ſolita, licebat creditori exhibere. Huc referebant omnes illos actus, (y) qui in fraudem legis à fœneratoribus ſolent committi.

Pulvis uſuræ, ut vocant, non debebat reſtitui, adeoque nec repeti poterat à debitore: contractus interea erat illicitus, ex decretis Majorum, & reus criminis, plagis

y) *Talis etiam eſt contractus Mohatra & Baratra Moraliſtarum, Eſcobarii, San-*

gis aliterve puniebatur.

Excipiebantur tamen bona Orphanorum, uti & quæ pauperum ſuſtentationi, aut Synagogarum uſui, aut diſciplinæ legis addiſcendæ, ſeponebantur. Hæc enim mutuo dari, uſuraſque pro iis accipere, fas erat.

Ut vero Ebræos & Proſelytos juſtitiæ, uſuris vexare nefas, ita contra à Gentilibus uſuram exigere non tantum permiſſum, ſed & præceptum eſſe lege ſacra, nonnulli ſtatuunt, (z) à quibus tamen diſſentiunt alii.

Ex jure tamen ſuperinducto, non licebat Judæo mutuum quid dare Gentili, fœnori proprie dicto, niſi id fieret, ut ſaluti ſuæ, inter Gentiles degens, conſuleret. Idque ad evitandam nimiam cum Gentilibus familiaritatem. Excipiunt tamen *uſuram pulveris*. Mutuum tamen accipere quidem à Gentibus licitum erat: Sapienti etiam ſive Juriſconſulto, dare. Judæi Apoſtatæ eandem nonnulli volunt eſſe rationem, id quod tamen negant alii.

Si accepiſſet à Gentili pecunias fœnori Judæus, & novatione contractus, tam fœnus quam ſortem in corpus mutuum unicum conjeciſſet, id quod fieri debebat, & poſtea Gentilis fieret Proſelytus juſtitiæ, actio illi competebat tam pro fœnore, quam pro ſorte, ſic conjunctis. Si contractus illa novatio poſt Judaiſmi ſuſceptionem facta fuiſſet, actione pro ſorte, non pro fœnore, uti poterat.

Qui aleâ, talis, & id genus aliis, lucri quid ſibi feciſſet, furti reus erat,

ctii, Leſſi, Suarii, Hurtadi, aliorumque. vid. Ludovicus Montaltius in Litteris Provincialibus Ep. VIII. p. 207. 208. Seld. L. VI. c. X.

z) add. Mullerus in Judaiſmo part. II. cap. 6. Hoornbekius de Converſ. Jud. lib. 7. c. 7.

Seld. L. VI. c. XI.

(z) ex jure à Majoribus ſuperinducto.

Ebræis ergo tantum, non item Gentilibus ludicra ejuſmodi certamina erant interdicta (a). Si Judæus cum Gentili certans pignus lucrifaceret, non quidem furti reus erat, violaverat tamen interdictum de *non incumbendo rebus inanibus*.

Qui columbas, vel alias beſtias volucres, ſic inſtituunt, ut comitatiores domum redeant, furti rei, ex decreto Majorum, fiunt: ſine enim hoc decreto, non fuiſſet crimen, ſed titulo occupationis columbas alias potuiſſent ſibi vendicare. Huc ſpectat, quod retia laqueosve, aliis columbis capiendis tendere, vetant, & cetera, quæ de columbis & columbariis præcipiunt.

Acquirebatur autem dominium rerum & perſonarum etiam jure belli. Bellum duplex erat, aliud, quod vocabatur *Terræ Iſraëlis*, ex præcepto Numinis certis gentibus: aliud bellum ultroneum, ex decreto Synedrii cuilibet genti inferendum. Utriuſque generis bella aut ad ulciſcendum injurias illatas, aut ad firmandum augendumque imperium, ſuſcipiebantur.

De illius belli, quod certis populis ex præcepto Numinis inferebatur, juſtitia, non eſt quod dubitemus. Ad belli ultronei autem juſtitiam ſufficere arbitrabantur, (b) ſi per illud fines imperii dilatarentur, in quo alias Orientis gentes ſecum conſentientes habuerunt.

Interim bellum hoſtibus, i. e. quibus arma inferre decreverant, (c) indicere fas erat. In-

z) add. Pufend. lib. V. c. 9. §. 5.

a) add. Traitè des jeux & des Divertiſſemens par M. Jean Baptiſte Thiers

Seld. L. VI. c. XII.

b) Male. vid. Grotius de J. B. & P. lib II. c. 1. & 22. add. Pufendorf. lib. VIII. de J. N. & G. cap. 6. §. 5. it. Franc. Victoria Relect. V. & Kulpiſius in Colleg. Grotiano Exercitat. X. §. 2. Seld. L. VI. c. XIII. Seld. L. VI. c. IV. vid.

Indicebant autem, cum deditionem ac fœdus ſolum ab hoſtibus depoſcebant. Moabitis autem & Ammonitis, ex lege ſacra, ut putant, non erat offerenda pax, petentibus tamen non deneganda.

Grotius de J. B. & P. lib. III. cap. 3. Zouchæus Jur. Fecial. p. II. §. 10. n. 1. Alberic. Gentilis de J. B. & P. lib. II. cap. 1. Textor. in Synopſi I. Gent. c. XVII. aliique.

An autem bellum, quod ex praecepto Numinis certis populis inferebatur, denunciandum fuerit, nondum inter ſe conveniunt. Sunt qui ajunt, ſunt qui abnuunt.

Fœderis autem, ad quod invitabantur hoſtes, tria erant capita (I.) ut ſeptem præceptorum, quibus obſtricti ſunt Noachidæ, profeſſione ſe obligarent (II.) ut ad tributum præſtandum ſe obſtringerent (III.) ut ſervilem in ſe ſuſciperent erga Imperium Iſraëliticum cultum.

Servilis cultus eo præcipue abſolvebatur, ut ſe plane dederent, & ſub Populi Iſraëlitici ditione ſe degere agnoſcerent. Tributi autem nomine non ſolum pecuniarum ſummæ quotannis pendendæ, ſed & obligatio tum ad pecunias, tum ad operas, in publicum commodum, Principis juſſu, præſtandas continebatur. Ceteroquin nec Iſraëlitas ab omni tributo plane immunes fuiſſe, conſtat.

Si fœdus & deditionem renueret hoſtis, & ſpes victoriæ affulgeret, inferebatur bellum. In cujus diſciplina cumprimis obſervandum, quod arbores fructiferas ſuccidere aliterve diſperdere nefas fuerit, (*d*) itemque quod in urbium obſidione hoſtibus locus fugæ fuerit concedendus.

Seld. L. VI. c. XV.

d) add. Grotius lib. III. de J. B & P. c. 12. §. 2. Textor. in Synopſi

Arborem contra, quæ omnino erat ſterilis, aut fructum nocivum vel inutilem ferebat,

rebat, aut culturæ non penſabat labores, vel arboribus vicinis agrove erat detrimento, vel cujus materies pretio eximio venundari poterat, in quoscunque uſus bellicos poterat exſcindi, vel radicitus evelli.

Parta victoria, populi iſti ſeptem, quibus ex præcepto Numinis bellum inferebatur, penitus fuère delendi. Fueritne hoc permiſſum ſaltem, an præceptum, non conſentiunt. Amalekitis, ex peculiari lege, nulla quoque ratione erat parcendum.

Quod ad ceteras gentes attinet, mulieribus & parvulis erat parcendum. (e) Majoribus natu voluerintne parcere, nec ne, penes illos ſtabat. Perſonæ, quibus parcitum, in ſervitutem redigebantur, (f) eranteque pars prædæ.

Præda ita dividebatur (g) ut theſauri Regum devictorum Regi cederent: reliqua præda bipartito rurſus dividebatur, alteram partem Rege itidem ſibi eligente, alterâ æquali partitione inter ſingulos milites diſtribuenda, ne illis quidem excluſis, qui impedimenta & ſarcinas curaverant.

Agri, urbes, & regiones ita dividebantur, ut decimam tertiam partem Rex ſibi vindicaret. Si tamen bellum ultroneum à Rege tantum, ſine decreto Synedrii M. ſuſceptum, urbes provinciæque omnes Regi cedebant. In bello vero ultroneo, ex de-

Juris Gent. c. XVIII. Zouchæus Jur. Fec. p. II. Sect. 10. Kulpiſ. in Colleg. Grot. Exercit. 12. §. 3. Seld. L. VI. c. XVI.

e) *vid. Grotius lib. III. c. 4. §. 9. 10. add. Alber. Gentilis lib. II. c. 12. Textor. l. c. cap. 18. Kulpiſius Exercit. XI. §. 6.*

f) *add. Grotius lib. III. c. 7. it. §. 1. Kulpiſius ad h. l. Exercit. ſcil. XIII.*

g) *vid. Grotius lib. III. c. 6. Hugo de Roy de eo quod juſtum eſt, lib. I tit. 6. Textor. in Synopſi Juris Gent. c. XVIII. Kulpiſ. ad Grot. loc. cit. Exercit. 12. Seld. L. VI c. XVII. ſeq. Seld. L. VI c. XIX.*

decreto Syn. M. ſuſcepto, ſed à Rege geſto, terras eodem omnino titulo, eademque ratione poſſideri Maimonides ait, quam ipſa terra promiſſa, quam ſubjugavit, atque Iſraëlitis diſtribuit Joſua.

De aliarum Gentium jure bellico ita ſentiebant, ut illarum commilitio ſe non ſubtraherent: ad tributorum etiam ex jure victoriæ, deditionis, fœderis, præſtationem, ſe obligatos eſſe, profeſſi ſunt: licet nunquam defuerint, qui ſecus ſentirent.

De ſervitute perſonali autem, quam ex jure belli capti quandoque ſubire tenentur, ita ſentiebant, apud Gentes non fuiſſe talem ſervitutem, quæ perſonæ inhæreret, ſed tantum apud Judæos. Si itaque Gentilis acquirebat ſervum, ſive Gentilem ſive Ebræum, non in perſonam ſervi, ſed in operam & miniſteria ejus, jus ſibi acquirebat: adeoque & ſine libello manumiſſionis, actu quodam, vel alia ratione, libertatem rite adipiſcebatur. Apud Ebræos contra ſervitus tum in bello captis, tum ſervis à Gentilibus emptis, mere erat perſonalis, h. e. perſonæ ipſi, ut character libertatis omnimodæ amiſſæ, naturalis, inhærens. Paucis: apud Gentiles extrinſecam, apud Ebræos vero ex prærogativa Gentis, intrinſecam ſervitutem fuiſſe, autumabant. Adeoque & totam Gentem Ebræam, aliam, quam extrinſecam ſervitutem, unquam ſubiiſſe, aut ſubire potuiſſe, negant.

De captivis ita ſtatuebant, eos pretio majori quam valerent (*b*) non eſſe redimendos, ne

b) de Æſtimatione hujus pretii vid. Grotius lib. III. c. 7. §. 9. Alber. Gentilis lib. II. c. 15. Textor. c. 18. Stammius de Servitute lib. I. c. 3. aliique.

ne hoſtes frequentius capturæ aſſueſcerent, nec in fugam pelliciendos, ne alicujus fuga irritati cuſtodes, in ceteros nimium ſævirent. Ceteroquin redemptio captivorum inter officia charitatis & munificentiæ, primum tenebat locum. Ordinem tamen certum in redimendis captivis obſervabant. Si omnes redimi nequeant, fœminam potius, quam Virum, Magiſtrum potius, quam Patrem, Matrem potius, quam utrumque, & ſic in ceteris, eſſe redimendos docent.

CAPUT VI.

Sextum caput Juris Noachidici illuſtrius de membro animalis viventis, eſuque ſanguinis, præcipit. (*i*) Et quidem ad ſanguinis eſum quod attinet, pecorum, ferarum, & volucrum, mundorum æque ac immundorum ſanguinem edere, Ebræis non licebat. Si quis ſanguinem ejusmodi comederet aut deglutiret, dum effundebatur aut fuſius exiliebat, eum exciſionis pœna manebat. Piſcium vero mundorum locuſtarum, & id genus aliorum ſanguinem, Sapientes, jure ſuperinducto prohibuerunt. Carnis morticinæ, cum carne, unde ſanguis nondum erat emiſſus, eadem erat ratio.

Seld. L. VII. c. I. i) add. Job. Spencerus in Diſſert. peculiari ad Actor. XV. 20. quæ annexa eſt lib. II. de Legibus Hebræor. Rit. p. 435. ſeqq.

De Gentilibus autem diſſentiebant. Nonnulli interdicto Moſaico vetitum tantummodo illis fuiſſe membrum ſive carnem ab animali vivente diſcerptam exſectamve, contendebant. Alii vero & ſanguinis, qualis videlicet Iſraëlitis ex lege ſacra illicitus erat,

eſum

eſum cunctis hominibus interdictum, aſſerebant. Prior ſententia tamen meliori fundamento niti videtur. Originem vero hujus interdicti ab Adamo repetunt, ſicuti & ante diluvium omnium carnium eſum illicitum fuiſſe putant. Addunt & caſus, in quibus Ebræos ab hoc interdicto exemptos putant.

Multa quoque ſunt variaque Juris Noachidici capita ſecundaria, prius paucis attingenda, quam ultimum ex illuſtrioribus, de judiciis, ſubjungatur; Inter ea præcipuum eſt de honorandis Parentibus. (*k*) Ebræis illud non tantum ex communi jure, ſed civili etiam lege præcipue obſervandum fuiſſe, docent. Debebant autem liberi parentibus exhibere non tantum honorem, ſed & timorem ſeu reverentiam. Ad honorem inter alia & hoc ſpectabat, quod filii eſſet, Parentes inopes alere, poterantque ad hoc cogi.

Seld. L. VII. c. II.

k) vid. Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 5. §. 1. ſeqq. it. Pufendorf. lib. VI. c. 2.

Nihilo ſecius vim hujus legis mirum in modum imminuerunt, partim quod Magiſtrum ſeu Præceptorem, à quo legem ejusque δευτέρωσιν quis didiciſſet, præferre parentibus ex illorum ſententia, debebat, partim quod docebant, votis quibusdam omnes liberorum opes ad uſus ſacros ita transferri poſſe, ut in parentes, quantumvis pauperes, nullum inde redundaret emolumentum, (*l*) id quod jure ipſe Servator redarguit.

l) add. B. Stolbergii Diſſertatio peculiaris de Korbam. Seld. L. VII. c. III.

Obſcurioribus Noachidarum legibus, & aliæ ſunt annumerandæ, ut illa de Heterogeneorum uſu. (*m*) Ebræis quadruplex Heterogeneorum commixtio erat vetita; lanæ, &

m) conf. Spencerus de Legibus Hebræorum Ritual. l. II. c. 17, 18. & ſeqq.

& lini in veſtibus, ſeminum diverſi generis in eadem agri parte, animalium generis diverſi ad coitum, & demum arborum generis diverſi inſitio. Priores binis Noachidis licitas eſſe, poſteriores interdictas, nonnulli aſſerebant. Videtur tamen alicubi innuere Maimonides ad Proſelytos domicilii, non item ad ceteros Gentiles hoc interdictum ſpectare.

Sunt & qui legem de uxore fratris ſine prole defuncti (*n*) ducenda huc trahunt: quemadmodum & illud, de hominibus æqve ac animalibus cujuscunque generis non caſtrandis. De Magia vero, quam alii addunt, utpote ad idololatriam pertinente, ſupra dictum. Tandem quæ Ula in Gemara Babylonica ad Tit. Cholin, memorat, plane ad Noachidarum præcepta non pertinent.

n) add. Buxtorf. de Sponſ. & Divort. §. 21.

CAPUT VII.

Sequitur ultimum Juris Noachidici caput de Judiciis: humanis ſcilicet, quæ & inſtitui vi legis hujus in rebus publicis ad juſtitiæ cuſtodiam debebant, quorum etiam decretis & ſanctionibus ſtare debebant ſubjecti.

Quemadmodum vero Juris, ut putabant, Naturalis erat, j udicem inſtituere, (*o*) ita formulæ, & tempora agendi, & id genus alia, ad indolem cujusque populi poterant attemperari.

Judicia non poterant eſſe ſine facultate puniendi. Et delicta quidem punienda eſſe, rurſus Juris Naturalis eſt. (*p*) Nihiloſecius tamen pœnas aut graviores, aut leviores, pro per-

Seld. L. VII. c. IV. & V.

e) vid. Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 20. §. 8. n. 4. add. Pufendorf. lib. VIII. cap. 3. § 7. Ziegler. de J. Majeſt. lib. I. c. 8. §. 11.

p) Grotius lib. II.

perſonarum, temporis, loci, & id genus aliorum, quæ obſervari ſolent, ratione, infligi poſſe, non abnuebant. (q) Saltem quædam delicta, quæ ab Ebræis, ut deinceps dicetur, gladio regulariter erant punienda, excipiunt. Diſpiciendum hic imprimis de judiciis, quatenus in Proſelytorum domicilii regimine locum habebant. Verſabantur autem judicia hæc vel circa jura ſimpliciter naturalia vel circa gentium ſeu interventientia.

Quod ad priora attinet, Ebræis quidem, & eis, qui in eorum ritum tranſierant, tribunalia fuere ordinaria Triumvirorum, & XXIII. Virorum, per urbes, oppida, pagos, ut & Magnum illud Synedrium LXXI. Virorum, (r) in quibus ſecundum Leges Moſaicas, & decreta Majorum, tum Ebræis, tum Proſelytis juſtitiæ, & libertinis jus dicebatur, non ſine præmonitione, & binis minimum teſtibus: pœnarum item genera, præter verbera, quatuor, (s) Combuſtio, Lapidatio, Strangulatio, & gladii.

Proſelytis domicilii autem erant peculiaria jura forenſia, & tribunalia ſingularia. Judices autem, tum ex Ebræis tum Proſelytis domicilii, illiſque, qui fœdere recepti erant, præficiebantur ab iis, qui tribunalibus

c. 20. §. 1. Anton. Mattb. Tit. quibus modis crimen extingu. c. V. n. 3. Ziegler. de J. Majeſt. lib. 2. c. 8. n. 10. 11. Seld. L. VII. c. VI.

q) Grotius & Pufendorf. ll. citt. ubi ex inſtituto hac de re agunt.

r) vid. Seldeni liber peculiaris de Synedriis; add. Vorſtius de Synedriis, Caninius ad L. N. T. p. 62. Schickardus de J. R. p. 9. cum notis doctiſſimis Carpzovii, aliisque. *s) Crucis ſupplicium addit. Galatinus de A. C. V. lib. VI. c. 8. Baronius ad A. C. 34. Gretſerus lib. I de Cruce c. 19. Lipſius lib. 1. de Cruce c. 11. ſed perperam, ſecundum Scalig. animadv. in Euſeb. p. 109. Mornaus de V. C. R. c. 30. Caſaub. Exerc. XVI. Calixtus Conc. Eu. lib. VI. cap. 11. Kippingius Ant. Rom. lib. II. c. 8.*

bus Iſraëliticis cum imperio præerant. Sed fœdere receptis integrum quandoque erat, judices ſibi ipſis præficere.

Peccabant contra hoc præceptum & illi, qui flagitia perpetrata reticebant aut celabant. Non poterat rite in judicem præfici fœmina. Cauſas pecuniarias ex Jure Ebræorum Civili tres, capitales ad minimum XXIII. Judices cognoſcebant, hic vero ex ſententia Præficientium aliquando ſufficiebat unicus. Quod & de Teſtibus dicendum: inter quos tamen fœminæ non erat locus. (t)

t) Vide Teſtibus vid. & Ligtfoot in Hor. E. T. in Evang. p. 484. Hottinger. in Jur. Ebræor. p. 106.

Ratione pœnarum hoc intercedebat diſcrimen: omnia Noachidarum crimina, quibus Jus Noachidicum violabatur, gladio puniebantur: ſed Ebræis & alia ſupplicia, ut dictum, capitalia erant. Præterea non omnia Ebræorum delicta, quibus Jus Naturæ violabatur, erant capitalia, ſed quædam reſtitutione damni, dupli, quadrupli, puniebantur.

Seld. L. VII. c. VII.

Quod ſi aliquod juris intervenientis caput violaſſet Proſelytus domicilii, pro lubitu eorum, qui rebus præerant, ſive in tribunal Proſelytorum domicilii regimini ſeorſim poſitum, ſive in Iſraeliticum aliquod ordinarium evocandus, ibique vel abſolvendus, vel damnandus erat, pœna Iſraëlitica ſeu civili inflicta, ſic tamen ut judex unicus, unicus teſtis, ſufficeret, nec præmonitio accederet.

Inter alia exempla, illuſtre illud eſt de adulterio. Nimirum cum fœmina deſponſata quidem, antequam cum ea maritus coiverat, non ex Jure Naturali, ſed Civili Ebræorum

rum

rum committebatur adulterium. Si itaque Proſelytus domicilii adulterium ejusmodi in ſponſa commiſiſſet, ex jure ſimpliciter ſuo, in jus vocari nequibat, interim juxta tenorem Legum Civilium, puniebatur non gladio, (qua pœna ceteroquin omnia delicta, quibus Jus Naturæ violatur, puniuntur) ſed ſi reus, ante tamen deductionem, quam coitum mariti, lapidatione, ſi poſt deductionem, & ante coitum, ſtrangulatione. Hæc enim pœna ex jure Iſraëlitarum Civili, ipſis quoque Iſraëlitis erat infligenda.

De Proſelytis autem domicilii reis cujusdam criminis, & poſtmodum in ritus Judaicos tranſeuntibus, ita ſtatuunt, ut ob cædem Iſraelitæ, & adulterium cum Iſraëlitide, non autem ob blaſphemiam vel idololatriam, morte fuerit afficiendus.

Memoranda hic etiam ſunt judicia quædam extraordinaria: quorum alia erant, ubi ex Gentilium litigantium compromiſſo Ebræus arbiter ſeu judex fieret: alia de aliarum cum Ebræis gentium litibus, ſub judice cui in utrosque poteſtas, agitatis. *Seld. L. VII. c. VIII.*

Ubi ex compromiſſo Ebræus arbiter (*u*) fiebat, tam actore, quam reo Gentilibus, ex jure Noachidarum controverſia erat dirimenda. Et ſi pars altera eſſet Ebræus, ita ab arbitrio ferenda ſententia, ut ſecundum illud jus ſive Iſraëliticum, ſive Noachidicum, quod in cauſa Ebræi utilius eſſet, pronuntiaret.

u) conf. quæ de officio arbitri tradunt Grotius lib. II. c. 20. §. 46. ſeqq. & Pufendorf. lib. V. de J. N. & G. c. 13. §. 3. ſeqq. Seld. l. VII. c. IV. & IX.

Lites vero aliarum gentium cum Ebræis, à judice, cui in utrosque poteſtas, aliquando

ita diremptas, ut ſecundum leges & Hiſtoriam ſacram, pronuntiaret, hiſtoriola ſive fabula de Judæis cum Cananæis, Iſmaëlitis, & Ægyptiis coram Alexandro M. litigantibus comprobat.

Licet Lex illa Noachidarum, de judicio divino non ſit capienda, non abs re tamen erit, de eo aliquid addere, cum ad illud agnoſcendum, & Noachidas certa ratione obligatos eſſe exiſtiment.

Ex ſententia itaque tribunalis ſuperioris, h. e. divini, in univerſum ajunt eſſe Bonum juſtis repoſitum, vitam futuri ſeculi. Juſtum autem eum nuncupant, cujus iniquitati præponderant juſtitiæ merita. Malus autem eſt, cujus peccata juſtitiæ meritis præponderant. Qui utrorumque æqualiter eſt particeps, medium tenet locum. Ut juſtos itaque æterna vita, ita malos & intermedios aut excisionis pœna, aut Gehenna manet. (*x*)

Ceterum peccata, quæ tamen delentur confeſſione & pœnitentia, vel graviora illis ſunt, vel leviora: graviora, quæ ex inſtituto divino tam excisione, quam morte ex ſententia forenſi punienda erant: quæ ſecus ſe habebant, pro levioribus reputabantur. Atque graviorum quidem XXXVI. enumerant ex lege ſacra, quibus ſingulis excisioninis pœna imminet: leviorum tamen inſignis & juſtitiæ præponderans multitudo, eandem poteſt promereri pœnam.

Excisionis autem non una eademque eſt ratio: (*y*) alia ſolum corpus, alia ſola anima, alia corpus & anima ſimul, exſcinduntur.

x) *Sunt qui & purgatorium addunt, Vid. Joſephus Voiſin de Jubilæo ſecundum Hebræorum & Chriſtianorum doctrinam, lib. I. c. 13. pag. 163.*

y) *add. R. Iſaaci*

tur. Atque XXXVI. iſtorum criminum hoc diſcrimen etiam faciunt, ut aliis primi, quibusdam ſecundi, nonnullis tertii generis exciſio immineat. Nec mirum, quod animae docent: quorundam enim hominum animæ ex illorum mente ſunt mortales. In expiationum autem feſto cuncta hæc crimina tum graviora tum leviora, expiari docent.

Ad Noachidas itaque exciſionis pœnam etiam in certis caſibus ſpectare volebant. Nimirum ob cultum extraneum & blaſphemiam, animam æque ac corpus exſcindi, credebant: adeoque cum hæc crimina naturali jure quoque illicita eſſent, non aliam hic Gentiles manere pœnam.

Abarbanelis Diſſertatio de Excidii Pœna ad Num. XV. addita Buxtorfii Diſſertat. de Sponſalibus & Divortiis, it. Pocockius ad portam Moſis, n. 158. add. Joſephus Voiſin l. c. Seld. VII. c. X.

Concubitibus inceſtis omnibus animæ imminebat exciſio: ab eaque nec immunes Noachidæ erant, in commixtionibus, Jure Naturali illis prohibitis, atque ita in ceteris. Nimirum quoſdam Gentiles Juris Nat. ſcil. violatores æternis cruciatibus addictum iri, alios vero Juris Noach. obſervatores, ad beatorum ſedes perventuros, lices legis Moſaicæ ignaros, diſerte affirmabant.

F I N I S.

JURISPRUDENTIAE HISTORICAE SPECIMEN

SEU

CONTROVERSIARUM ILLUSTRIUM JURIS NATURAE ET GENTIUM

EX

HISTORIA ROMANA CONSPECTUS.

Digitized by Google

Σύνοψις.

Cur ex hiſtoria Romana controverſiae illuſtriores juris naturae & gentium ſelectae ſint? §. I. *Romanae reipublicae exprobratum, quod ex latronum coetu originem duxerit*, §. II. *Latronum coetus à juſta civitate quo pacto differat?* §. III. *An & quousque Romani mores mutaverint, ut juſtam conſtituere civitatem cenſeri queant?* §. IV. *Poſteris delicta majorum imputari nequeunt, adeoque nulla ex his ad eos redundat infamia*, §. V. *Raptus Sabinarum*, §. VI. *A multis vituperatur, a quibusdam excuſatur*, §. VII. *Rationes illorum, qui vituperant*, §. VIII. *Generatim de matrimoniorum libertate, an & quousque aliis concedenda*, §. IX. *Quo jure Romanis gentes vicinae matrimoniorum libertatem denegaverint?* §. X. *Ad ea, quae Romanis objiciuntur, quid reſponderi queat; & an ex jure belli & neceſſitatis defendi poſſint.* §. XI. *Tarpejae virginis fata; quae eam ad hocce facinus induxerit cauſa? ex quo capite Romani argui aut excuſari queant, ſi ejus rei fuerint auctores*, §. XII. *Erga hoſtem an dolis & ſtratagematibus uti liceat? Romanos ex alio capite culpandos*, §. XIII. *Peccaſſe & Sabinas, praeſertim ſi bona fide egit Tarpeia virgo.* §. XIV. *Aſylum à Romulo conſtitutum*, §. XV. *Aliarum quoque gentium moribus eadem fuere comprobata*, §. XVI. *Exteris an recte aſyla pateant*, §. XVII. *& ejusdem reipublicae civibus?* §. XVIII. *Romuli aſylum excuſari non poſſe*, §. XIX. *Certamen Horatiorum, Curatiorumque*, §. XX. *Bellorum repraeſentatitiorum apud alias gentes exempla.* §. XXI. *Hugonis Grotii contra haec certamina rationes*, §. XXII. *revocantur ſub examen*, §. XXIII. *Injuſtitia ejusmodi certaminum demonſtratur*, §. XXIV. *De duellis, quae pro exploranda cauſae juſtitia olim apud Germanos ſuſcipiebantur*, §. XXV. *Quando bella repraeſentatitia licita eſſe, Gro-*

 tius

tius cenſeat? §. XXVI. *Quod accuratius diſcutitur*, §. XXVII. *Alius caſus proponitur, quo ejusmodi certamina licita videri queant*, §. XXVIII. *De certamine Davidis & Goliathi*, §. XXIX. *Fecialia jura quando inſtituta?* §. XXX. *Jus feciale quid ſignificet?* §. XXXI. *Ritus Romanorum in bello indicendo*, §. XXXII. *Eos ad ſpeciem juſtitiae bellis, quantumvis injuſtis, conciliandam, fuiſſe comparatos*, §. XXXIII. *Indictio bellica, an, & quousque juris naturalis ſit? Speciatim de indictione ſecundum mores Romanorum, & ſecundum mores noſtros*, §. XXXIV. *Tarquinius Superbus, ob mala facinora, à Romanis ejectus*, §. XXXV. *Tyranno liberaſſe patriam, olim maximam attulit gloriam*, §. XXXVI. *Quis tyrannus dici debeat, non aeque ſemper patet*, §. XXXVII. *De Tarquinio Superbo ſententia Joannis Marianae*, §. XXXVIII. *accuratius diſcutitur*, §. XXXIX. *Principes in eundem cum Tarquinio Superbo cenſum referendos, recte ejici, probatur*, §. XL. *Exemplo tamen Tarquinii caute utendum eſſe, oſtenditur*, §. XLI. *De Bruto quid judicandum?* §. XLII. *Dictatoris in republica Romana conſtitutio*, §. XLIII. *An dictator babuerit majeſtatem? affirmatur ab aliis, ab aliis negatur*, §. XLIV. *Non fuiſſe dictatores unius generis*, §. XLV. *Dictatores, etiam optima lege conſtitutos, non tamen babuiſſe majeſtatem, probatur*, §. XLVI. *An ſumma poteſtas perpetua quoque eſſe debeat?* §. XLVII. *An ex eo, quod aliquando à dictatoribus provocare ad populum non licuerit, probari poſſit, eos babuiſſe ſmmum imperium*. §. XLVIII. *Mutius Scaevola per inſidias Porſenam adgreditur*, §. XLIX. *Ideo à multis laudatur*. §. L. *Ex multis, quae bic concurrunt, cauſis, eam maxime in cenſum venire, an recte percuſſoris in ſe ſuſceperit partes?* §. LI. *Civem, ſi ejusmodi quid contra principem ſuſcipiet, defendi aut excuſari non poſſe*, §. LII. *Nec peregrinum, ſi bellum ſit injuſtum; & binc de Mutio Scaevola pronunciatur*, §. LIII. *Cloelia virgo, an recte fuga ſe ſubduxerit?* §. LIV. *Obſides an recte fugam arripiant?* §. LV. *Sententia illorum, qui obſidem, qui ſe ipſum non obſtrinxit, fugere poſſe, autumant, refellitur*, §. LVI. *Cloeliam perperam egiſſe, concluditur*, §. LVII. *Fata M. Manlii*, §. LVIII. *An criminis, cujus poſtulatus, reus fuerit?* §. LIX. *An, ſi reus fuit, poena ob maxima ejus merita*,

rita, illi non fuerit remittenda? §. LX. *Sententia illorum, qui jus gratiae quandoque dandum putant.* §. LXI. *Illorum, qui hoc abnuunt, adeoque recte punitum Manlium contendunt*, § LXII. *Noſtra ſententia proponitur & explicatur.* §. LXIII. *Fata M. Attilii Reguli*, §. XLIV. *In fidem Carthaginenſibus datam recte ſervavit*, § LXV. *An recte liberationem ex captivitate reſpuerit?* §. LXVI. *De ſupplicio ejus quid cenſendum? Jure hic reprehendi Carthaginenſes*, §. LXVII. *De jurejurando, quo ſe Hannibal ad hoſtilem erga Romanos animum obſtrinxit*, §. LXVIII. *Aliquando turpius eſſe, ſervare jusjurandum, quam violare: quid tum factu opus?* §. LXIX. *Jusjurandum novam obligationem non producere, multo minus duplicem, ut contra Grotium evincitur*, §. LXX. *Jusjurandum Annibalis illicitum fuiſſe atque irritum*, § LXXI. *Quo jure Romani poſtulaverint, ut Annibalem ſibi traderet Pruſias Bithyniae rex*, §. LXXII. *Civem recte repeti a civitate; nec tamen inſolens poſtulari ad deditionem peregrinum, qui hoſtis ſit*, §. LXXIII. *Concluditur, recte a Romanis poſtulatum Annibalem: Pruſiamque ad eum dedendum fuiſſe obligatum*, §. LXXIV. *Sponſio Caudina*. §. LXXV. *Poſthumii, ſponſionem iſtam irritam facientis, facinus à multis perperam laudatum; foederum & ſponſionum diſcrimen*, §. LXXVI. *Pactionem iſtam conſulibus potuiſſe recte imputari*, § LXXVII. *Quod conſules in iſta ſponſione polliciti ſunt, & promittere potuerunt, id eos non praeſtitiſſe, adeoque contra datam egiſſe fidem*, §. LXXVIII. *Perfidiae crimen fruſtra in Samnites eos transferre voluiſſe.* § LXXIX. *An & quousque ipſe populus Romanus per ſponſionem fuerit obſtrictus, & quo jure ab ea diſceſſerit?* §. LXXX. *De ſponſione Numantina*. §. LXXXI. *De juſtitia bellorum, a Romanis geſtorum generatim.* §. LXXXII *De bellis ſub regibus geſtis; injuſtitia belli Albani*, §. LXXXIII. *De bello Etruſco cum Porſenna, ut & Latino*. §. LXXXIV. *Bellum cum Aequis, Volſcis, Veientibus. Faliſcis, Fidenatibus, geſtum*, §. LXXXV. *Gallicum, perfidia Camilli, fruſtra ab Alberico Gentili excuſata*, §. LXXXVI. *De bellis, quae iterum cum vicinis geſſere Romani*, §. LXXXVII. *Belli Samnitici primi cauſa, tum impulſiva, tum juſtifica*, §. LXXXVIII. *An Campanos*,

ob deditionem, *Samnitibus*, *utpote ſociis antiquioribus*, *præferre fas fuerit*, §. LXXXIX. *Antiquiorem ſocium praeferendum recentiori*, *niſi arctius vinculum*, *aut belli juſtitia obſtet*, §. XC. *Si durante bello ſocius poſterior ſe nobis dedat*. *ex cauſae juſtitia rem definiendam eſſe*, *& hinc Samnitici iſtius belli juſtitia dijudicatur*, §. XCI. *Probatur tamen & illorum ſententia*, *qui poſteriori ſocio contra antiquiorem ſuppetias ferre*, *fas eſſe negant*, §. XCII. *De bello Samnitico ſecundo*, §. XCIII. *Bellum Tarentinum*, §. XCIV. *In ejus cauſam inquiritur*, §. XCV. *Bellum punicum primum*, §. XCVI. *Ejus cauſam tum impulſivam*, *tum juſtificam*, *injuſtam fuiſſe*, §. XCVII. *Ad argumenta Alberici Gentilis pro juſtitia hujus belli*, *reſpondetur*, §. XCVIII. *Bellum Punicum ſecundum*, §. XCIX. *Ex parte Romanorum non fuit prorſus injuſtum*, §. C *Injuſtitia belli Macedonici primi*, *Syriaci*, *Aetolici*, *Hiſtrici &c.* §. CI. *Bellum Punicum tertium: ejus injuſtitia contra Albericum Gentilem evicta*, §. CII. *Achaici belli injuſtitia contra eundem demonſtrata*, §. CIII. *Itemque Numantini*, §. CIV. *De bello Aſiatico*, *Jugurthino*, *Allobrogico*, *Cimbrico*, *Mithridatico*, *Cretico*, *Cyprico*, *Parthico*, *& reliquis*, §. CV. *In modo gerendi bellum ſaepius quoque contra juſtitiae leges a Romanis fuit peccatum*, §. CVI. *De legibus Syllae*, *quibus proſcribebantur*, *qui cum Mario faciebant*, §. CVII. *Hae leges an ſervandae fuerint? ſententia Ciceronis atque Flori*, §. CVIII. *An vim obligandi habeant leges*, *ab injuſto invaſore*, *aut uſurpatore reipublicae latae*, *praeſertim ſi ipſae iniquae ſint? eaedemque an a legitimo principe abrogari queant?* §. CIX *Julius Caeſar per ſummam iniquitatem rempublicam Romanam oppreſſit: idem quo jure inſcio ſenatu populoque Romano Arioviſto bellum intulerit?* §. CX. *In bello defenſivo licere duci bellico*, *inſcio ſummo imperante*, *arma capere*. §. CXI. *Minime autem in bello offenſivo*, §. CXII. *Triumviratus Octavii*, *Antonii*, *& Lepidi*, §. CXIII. *Quae eo tempore fuerit reipublicae Romanae forma*, *dubitatur*, § CXIV. *Fuiſſe monarchicam*, *ſed legitimo imperante deſtitutam: Triumviros autem fuiſſe tres invaſores*, *concluditur*, §. CXV. *De ſucceſſione adoptivorum in imperio Romano*, *quid cenſendum?* §. CXVI. *Adoptivorum cum filiis naturalibus comparatio*, §. CXVII. *An*, *& quousque filii adoptivi ſuccedere queant*, § CXVIII.

Quae

Quae generatim dicta ſunt, ad imperium Romanum accommodantur, §. CXIX. *Quo pacto facultatem conſtituendi imperatorem milites tandem ad ſe rapuerint*, §. CXX. *Hugonis Grotii ſententia, jus eligendi imperatorem pertinuiſſe ad populum, & aliquoties etiam electionem a populo aut ſenatu Romano factam, refellitur*, §. CXXI. *Ad exempla a Grotio allata reſpondetur*, §. CXXII. *De jure ipſo disquiritur, & electiones a legionibus factas vitio non caruiſſe, probatur*, §. CXXIII. *Finis commentationi huic imponitur*. §. CXXIV.

§. I.

CUm & gentis celebritate, & exemplorum copia ac ubertate, & ſcriptorum, quos nacta eſt, praeſtantia & dignitate, hiſtoria Romana multum praeſtet reliquis monumentis omnibus, quae de aliorum populorum inſtitutis, rebusque geſtis, ad nos transmiſſa ſunt, aut hodie transmittuntur: hanc etiam cumprimis, ſingularia quaedam capita ſelecturus, quae juris naturae & gentium tractationem, factis ipſis illuſtratam, jucundiorem pariter ac utiliorem redderent, huic meo inſtituto perquam accommodatam deprehendi. Animus itaque eſt, ire per florentiſſimum iſtum hiſtoriae Romanae campum, & hinc inde, quae uſui noſtro inſerviant, & disceptandi, de graviſſimis aequi & juſti argumentis, occaſionem praebeant, decerpere.

§. II. Prima ergo quaeſtio haec eſto, ad quam ipſa reipublicae Romanae origo nos ducit: an in civitatem evaleſcere latronum coetus, mutatis moribus, queat? Romanae etenim urbis conditor Romulus, tum alias ob cauſas, tum & ideo male apud nonnullos

los audit, quod latronum coacta manu alienum occupaverit agrum, & fundamenta ita ejus urbis, quae caput orbis futura eſſet, jecerit. Hinc Aetoli apud Juſtinum (*a*) Romanos paſtores eſſe dicunt, qui latrocinio juſtis dominis ademtum ſolum teneant. Cyprianus populum Romanum de ſceleratis & nocentibus congregatum dicit. (*b*) Idem Romulus vero, cum urbi ſuae incolas deeſſe videret, aſylum in proximo luco fecit, unde mira hominum multitudo, maxime vero facinoroſorum ad eum confluxit. Hinc Juvenalis: (*c*)

Et tamen ut longe repetas longeque revolvas,
Nomen ab infami gentem deducis aſylo,
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Ultimis verbis latronem innuit. Sed & alii ſimilia Romae exprobant. Id vero quo jure fiat, & an ſimilis origo aliis rebuspublicis fraudi eſſe queat? quaeritur.

§. III. Recte Hugo Grotius (*d*) docet, coetum latronum aut piratatum ideo non eſſe civitatem, quia criminis cauſa ſocientur, etiamſi forte inter ſe aequalitatem quandam obſervent. Non itaque differt latronum coetus a juſta civitate, ratione potentiae aut virium, aut multitudinis, ſed ratione finis. Non enim latronibus hic finis con-

(*a*) *lib XXVIII cap III.* (*b*) *de idolor. vanit p. m.* 155 (*c*) *Satyr. VIII.* (*d*) *lib. III. de J. B. & P. cap. III. §. III.*

conſtitutus eſt, quem reliquae civitates ſibi propoſitum habent, ſecuritas ſcilicet, ſed opes ex ſpoliis congerunt, oppreſſis quibusvis innocentibus, bellumque gerunt perenne cum hominum genere univerſo. Quod quamdiu non intermittunt, tamdiu juſtae civitatis menſuram non implent. Et id quidem poſitum eſt extra litem, Sed & ſi vitae genus mutent, infamia ſemel contracta non facile, ut videtur, eluitur: unde, an eodem cum reliquis ejusmodi civitas recte habeatur loco, dubitari poſſet.

§. IV. Hugonis tamen Grotii ſententiae plane ſubſcribo, ſi vitae genus moresque mutent latrones, eosdem civitatem conſtituere. Romanis itaque latrocinii, quo illorum ſe obſtrinxerunt majores, crimen objici non potuit. Fas enim fuerit, ponere tantisper, mores eos mutaſſe, aliisque vixiſſe legibus. Enimvero moribus gentium obtinuit, ut bella quantumvis & atrociſſima & injuſtiſſima pro latrociniis non habeantur, non aliam ob cauſam, quam quod a gentibus contra gentes gerantur. Aſt ſapientum alia hac de re fuerint ſcita. Horum ſi ſtandum judicio, uti ſtandum omnino eſt, tantum abeſt, ut, mutaſſe mores cenſendi ſint Romani, ut, quae poſtea geſſerunt bella longe injuſtiſſima, latrociniis quibusvis multum fuerint execrabiliora. Sed eſto, per bella nullum genti inuri dedecus, quae hodie & recepta gentium eſt ſententia, tum quidem mutaſſe mores Romanos, largiemur haud difficulter. Et haec tum

ben-

ratio quoque erit, cur pro civitate juſta habenda ſit Romana. Nam quod alii aſſerunt, latrocinari moribus gentium licitum olim fuiſſe, ut praeter alios Juſtinus (*e*) quoque docet, id hic merito in cenſum non venit.

§. V. Nimirum imputari delicta nemini poſſunt, niſi qui illa perpetravit. Poſteros itaque ob majorum punire crimina nefas, ſi iisdem ſe non obſtrinxerunt. Hinc & civitati, quod a latronibus condita, citra iniquitatem manifeſtam objici non poteſt. Videtur equidem univerſitatis alia ratio eſſe, quam ſingulorum, eo quod, quamdiu univerſitas durat, illa eadem maneat, mutatis licet & ſuccedentibus ſibi ſingulis: quem in modum Plutarchus hac de re diſſerit in libro, *de ſera Numinis vindicta*. Id vero non ſemper ita ſe habet, praeſertim in delictis poenam aut infamiam promerentibus; cum haec non committantur, niſi ſingulorum conſenſus accedat. Atque hoc recte demonſtrat Samuel Pufendorfius. (*f*) Accedit, quod & ſinguli homines infamiam, quae ex inhoneſto vitae genere illis adhaeſerat, genere vitae mutato, exuerint, & exuere poſſint. Id quod Jephtes, Arſaces, & Viriatus exemplis ſuis comprobarunt, quos ex praedonum ducibus, juſtos duces factos, pro-

(*e*) *Hiſtor. lib. XLIII. cap. III. add. Hugo Grotius de J. B. & P. lib. II. cap. XV. §. V. Cumprimis autem elegantiſſimae Jacobi Thomaſii diſſertationes, quarum altera ſub titulo, hiſtoria latrocinii gentis in gentem, altera ſub titulo, moralitas latrocinii gentis in gentem, extat Obſervat. ſelectar. T. VII. obſerv. VI. VII.* (*f*) *de J. N. & G. lib. VIII. cap. III. §. XXIX.*

pronunciat Hugo Gtotius. (*g*)

§. VI. Ceterum Romulus cum intelligeret, quam condiderat civitatem, non admodum diuturnam fore, eo, quod feminis carerent, quos ſub imperio ſuo tenebat, viri, ex quibus liberos procreare poſſent, initio quidem a finitimis matrimonia petiit, ſed, quia non impetravit, ad vim fraudesque animum convertit. Simulatis quippe ludis, virgines, quae ad ſpectaculum venerant, praeda fuere. (*h*)

§. VII. Hocce facinore an legis naturalis migraverint praeſcripta Romani? de eo non idem omnes ſentire video. Perperam eos egiſſe, plerique ex doctoribus Eccleſiae contendunt, Cyprianus, Tertullianus, Minucius & alii. Et Minucius quidem deſponſatas, deſtinatas maritis, raptas ſcribit, (*i*) contra quem perſuadere alii de virginibus ſolis voluerunt. Sunt tamen contra, qui facinus excuſant. Ipſe Auguſtinus connubia Romanis inquit negata, & jus propterea belli contra Sabinos fatetur, hoc ſaltem reprehendens, quod ſpectaculi fraude uſi Romani ſint, bellumque idcirco injuſtum pronunciat. Alii plane ex neceſſitatis jure defendunt, qua in ſententia ornanda prolixus eſt Albericus Gentilis. (*k*)

§. VIII. Qui damnant iſtud Romanorum faci-

(*g*) *lib. III. cap. III. §. III.* (*h*) *Florus lib. I. cap. I. Livius lib. I. cap. IX. & reliqui.* (*i*) *Minucius Felix in Octavio cap. XXV. §. III.* (*k*) *de armis Romanis lib. I. cap. II. ubi & Tertulliani, Cypriani & Auguſtini loca profert.*

facinus, fractam fidem violata ſanctiſſima hoſpitii jura, conqueruntur. Nec, ut videtur, immerito. Sed ſi vel maxime haec abeſſent, ipſa tamen vis non careret crimine. Namque matrimoniorum copiam exteris facere, ad humanitatis quidem officia ſpectat, aſt ad haec ut jure ſaltem imperfecto obſtricti ſunt homines, ita cogi ad eadem nemo poteſt.

§. IX. Generatim, quid de matrimoniorum libertate ſentiendum ſit, patet expoſitumque eſt ab aliis. Cuncta vero huc redeunt. Matrimonia aut ſingulis hominibus, aut integris gentibus, ſi neceſſitate ad ea expetenda compellantur, denegare nefas: niſi praegnans, quae obſtet, nos abſolvat cauſa. Etenim ſi gens barbara ſit, quae matrimonii libertatem expetit, aut aliis, quam noſtris, imbuta ſacris, aut alia quaedam ratio accedat, quo minus citra noſtrum incommodum hoc ei concedere queamus, ceſſat iſtud obligationis vinculum, nihil illa juris habet, dari ſine injuſtitiae labe repulſa poteſt. Aliis ut inſerviamus, par eſt: naturae hoc leges jubent: aſt, ſi ita res ſe habeat, ne nobismet ipſis noceamus. Inhumanum eſt, exigere ab alio, quod illi aut grave ſit, aut noxium. Idem vero vi extorquere velle, plane iniquum.

§. X. Romanorum haec fuit conditio, ut invidia potius, & creſcentis potentiae metu, quam ulla juſta ratione ad matrimonia illis deneganda inductae gentes vicinae videri queant. Hoc qui abnuerit, pec-

peccaſſe eos multiplici ratione, fateatur neceſſe eſt. Et ſane potuerunt quaedam cauſae accedere, quae gentium reliquarum animos, ab arctiori iſta cum Romanis, per mutua matrimonia, conjunctione averterent. Eſto vero, aut nullas, aut non juſtas, reliquis gentibus, averſandi iſtam cum Romanis conjunctionem, fuiſſe cauſas, tum quidem in Auguſtini iverim ſententiam, inique denegaſſe reliquas gentes, quod concedere naturae aequitas poſtulabat: nec vitio Romanis, quod vi matrimonia quaeſiverint, prorſus verti poſſe.

§. XI. Aſt fraudes, doli, violata hoſpitii jura, Romanos involvunt crimine. Auguſtinus quidem ita ſentit; niſi belli pariter, ac neceſſitatis leges, pro Romanis forte militarent. In hoſtem enim, quo nomine & is venit, qui denegavit, quae concedere jure perfecto, & neceſſitate etiam urgente debebat, licere quidvis, etiam dolos, etiam ſtratagemata, juris naturae conſultorum, ipſiusque Hugonis Grotii, ſcitum eſt. Et hac quidem ratione excuſari haud dubio, ſi non defendi, Romani poſſent, ſi receptis præſtantiſſimorum juris naturae doctorum decretis ſtandum. Unicus tamen me moratur ſcrupulus, an, quod de neceſſitate dicitur, ſemper & ubique locum habeat. Adſtricti ſumus ad humanitatis officia: ſed obligatione imperfecta. Si noſtrum incommodum accedat, ceſſat prorſus obligatio. Accedat in altero neceſſitas. Quid tum? Si plane nullo jure gaudet, nec neceſſitas jus

perfectum dabit. Inhumanum videtur, denegare alteri, quod petit: aſt inhumanum, quod & ſupra dixi, petere, quod ſine noſtro concedi nequit incommodo. Iniquum denegare, quibus indiget: iniquum vi extorquere velle, quae concedere moleſtum eſt, & ad quae, hoc ipſo, nullum illi jus competit. Nulla ergo neceſſitatis vis, belli nulla, quae ſufficiat cauſa. Ergo eo magis vituperanda, quae aut belli neceſſitatis προφάσει excuſantur.

§. XII. Aegre hoc Romanorum facinus tulerunt tum ceterae gentes vicinae, tum cumprimis Sabini. Hisce Tarpeia virgo, capitolii praefecti filia, portas prodit, pretium rei, quam gerebant Sabini in ſiniſtris, ſibi pacta: dubium clypeos an armillas. Illi ut & fidem ſolverent, & ulciſcerentur, clypeis eam obruere. Ita admiſſis intra moenia hoſtibus, atrox in ipſo foro pugna. Quam quomodo pax, & utriusque gentis conjunctio ſecuta ſit, hiſtoriae Romanae ſcriptores prolixius exponunt. (*l*) An conſentientibus Romanis ad fallendos hoſtes Tarpeja virgo Sabinis hoc reſponſum dederit, nondum inter omnes conſtat. Sunt, qui adamato, ut ille ait, auro prodidiſſe urbem Tarpejam, & pactis reſeraſſe clauſtra Sabinis, ajunt. Non aurum adamatum, ſed Tatium regem, alii latius canunt. (*m*) Eſto,

(*l*) *Florus lib I. cap. I. Plutarchus in Romulo. Valerius Maximus lib. IX cap. VI. Livius, Dionyſius Halicarnaſſenſis, ceterique.* (*m*) *Propertius lib. IV. eleg. IV. add. Albericus Gentilis lib. II. cap. II.*

Eſto, à Romanis hanc ſcenam fuiſſe inſtructam. Hoſtes fuere Sabini. Hos, ſi pleroſque juris naturalis magiſtros audias, fallere, circumvenire dolis, perdere ſtratagematibus licet. Perperam contra qui egiſſe Romanos cenſent, dolos, omneque mendacii genus, damnant, nec uti iisdem unquam fas eſſe, contendunt.

§. XIII. Videtur tamen illorum potior eſſe ſententia, qui & dolis & ſtratagematibus, fictisque ad veri ſpeciem verbis laedere hoſtem non eſſe nefas, autumant. Quos inter ipſe eſt Hugo Grotius. (*n*) Nec enim alia ratio, cur non liceat fictionibus, dolis, ſtratagematibus uti, reddi poteſt, quam quod laedere alium naturae leges vetent. Pone, non laedi iis aliquem, non erunt quoque prohibita: pone ulterius, fas eſſe, laedere alium; uti quidem hoſtem laedere omnino licet: iterum iisdem uti non erit nefas. Laeditur vi, factis, armis; laeditur caede, rapina, incendio: cur non & verbis, fictionibus, ſtratagematibus? Ad minimum ergo, ſi vitium aliud animi non ſubſit, aut accedat, contra officia hominis erga alios hac ratione non peccabitur. De Romanis vero ita habendum, reprehendendum hoc in illis eſſe, ſed ex alio capite. Cauſam belli ipſi dederant. Bellum, quod gerebant, ſi locum habeant, quae ſupra diſputavimus, injuſtum erat. Injuſti itaque omnes actus bellici, injuſta vis, injuſtus dolus.

§. XIV. Nec tamen & Sabinorum faci-

(*n*) *lib. III. de J. B & P. cap. I.*

nus forte laudaveris. Subdola interpretatione dum fidem datam eludunt, eam frangunt, violant. Eſt ea erga quosvis, etiam hoſtes, etiam perfidos, etiam proditores, ſervanda. Cum his dum paciſcimur, dignos judicamus, quibus fidem ſervemus. De aequivoca interpretatione idem ſentiendum, quod de aequivoco ſermone, ſi quis eodem data opera utatur. Nec hunc, nec illam quisquam probaverit, ſi in alterius damnum cedat. (*o*) Et haec quidem ita ſe habent, ſi bona fide egiſſe Tarpejam ponamus. Sin fallere Sabinos, inſtinctu Romanorum, voluit, jure ſuo Sabini uſi ſunt. Qui fas putat fallere hoſtem, non putet nefas, ſe ab iisdem falli, quacunque demum id ratione fiat.

§. XV. Prius autem quam à Romulo discedamus, aſylorum quoque injicienda mentio. Namque hic ipſe Romanae urbis conditor, ut eo plures ad eam incolendam alliceret, proximum lucum aſylum eſſe juſſit, ad quod quivis, cui alibi tuto degere non licebat, ſe reciperet. Statim mira vis hominum, Latini, Tuſcique paſtores, quidam etiam tranſmarini, Phryges, qui ſub Aenea, Arcades, qui ſub Euandro duce influxerant. Ita ex variis elementis congregavit quaſi corpus unum, populumque Romanum ipſe fecit. (*p*) De aſylorum itaque

(*o*) *conf. Pufend. de J. N. & G. lib. IV. cap. I. Rivetus in explicat. decal. p. 397. Ludov. Montaltius Litter. Provinc. epiſt. IX.* (*o*) *Florus lib. I. c. I. Livius lib. I. Plutarchus in Romulo.* (*p*) *Florus lib. I. c. I. Livius lib. I. Plutarchus in Romulo.*

que jure quid ſentiendum ſit? quaeritur.

§. XVI. Si annales gentium conſulimus, apud pleraſque aſyla, & perfugia quaedam, delinquentibus patuiſſe deprehendimus. Templorum, praeſertim ararum, ea erat ſanctitas, ut omnes, qui ad illa ſe reciperent, aut has occuparent, adverſus quamvis vim tuti eſſent. De Graecis & Romanis res nota eſt. (q) Apud Ebraeos Deus ipſe certas urbes refugii conſtituerat. (r) Horum exemplum deinceps ſecuti chriſtiani, (s) ſuorum templorum aliarumque aedium cultui divino conſecratarum, idem jus eſſe voluerunt. Quin & aliis quandoque locis ac aedibus idem conceſſum fuit, ut aſyli vicem delinquentibus praeſtarent. Viditque noſtra aetas, Romae legatos quorundam orbis chriſtiani principum eandem ſuis aedibus aſſerere ſanctitatem.

§. XVII. Eſt vero omnino conſiderandum, an aſyla etiam exteris pateant? an tantum civibus? & ſi hoc ſit, an quibusvis praeſidio ſint? an tantum innocentibus? Etenim ad exteros, hoc eſt, alterius reipublicae cives quod attinet, puniendos eos eſſe, ſi deliquerunt, aut dedendos, ſapientum ſcitum eſt, juſta ratione ſuffultum; tantum abeſt, ut aſylum iis aut erigi, aut concedi debeat. (t) In ipſam enim rempublicam

 val-

(q) *Vid. Ludov. Coelius Rhodiginus lect. antiquar. lib. VI. cap. X.* (r) *Deut. IV. 17. add. Seldenus de J. N. & G. lib. IV. cap. II. Moebius in Aſylologia ſacra, Coccejus ad Sanhedrin p. 110. ſeqq.* (s) *Hoc Lynkius de jure templorum, aliique pluribus ediſſerunt.* (t) *vid. Grotius lib. II. cap. XXI. §. IV.*

valde injurius eſt, qui civem ejus recipit atque tutatur, quem puniri ejus maximopere intererat. Immo e re omnium hominum eſt, ne impune delicta committantur. Innocentes autem ſi fuerint, qui ad aliam rempublicam confugiunt, recipi atque defendi etiam ſine aſylis poterunt.

§. XVIII. De ejusdem vero reipublicae civibus palam eſt, principem poſſe illis aſyla conſtituere, ad quae ſe recipiant, qui non ex proaereſi, ſed ex errore & ignorantia peccarunt. Etiam pro conditione populi aut reipublicae hoc aliquando neceſſarium eſſe videtur, ut Ebraeae gentis exemplo patet. Ejusmodi contra ſi deſint rationes, tutius eſt, nulla conſtituere aſyla. Equidem cum delictum ex errore commiſſum, aut nullam, aut leviorem promereatur poenam, ſecuritati horum quam rectiſſime quovis modo conſulitur. Id vero cum utplurimum absque aſylis commode fieri queat, his contra homines improbi haud raro, ut maximorum ſcelerum conſequantur impunitatem, abutantur; non temere ea conſtituenda, aut aperienda, quivis facile intelligit. Qui vero ſacris aedibus neſcio quam ſanctitatem adhaerere putant, aut ſacri ordinis hanc demum ἐξοχὴν eſſe credunt, ut imperantium poteſtati obnoxii non ſint, qui in templa aut monaſteria confugiunt, & quid dicant aſſerantve neſciunt, & civilis poteſtatis limites, quod jus faſque non eſt, arctius, quam par erat, conſtringunt. (*u*) §.

(*u*) *Addendi, qui de aſylis, & jure aſylorum, ex inſti-*

§. XIX. Colligas itaque ex dictis, quod Romulus erexit aſylum, excuſari nulla ratione aut defendi poſſe. Omnes enim recipiebat in aſylum Romulus. Nec ſervum domino, nec creditoribus nexum, nec magiſtratibus criminoſum reddebat; ut auctor eſt Plutarchus. (x) Et Lucianus: (y)

Romulus infami complevit moenia luco.

Cyprianus, (z) cujus & ſupra uſi ſumus teſtimonio, cum dixiſſet: populus de ſceleratis & nocentibus congregatur, addit: *& aſylo conſtituto facit numerum impunitas criminum.* Quibus & alii magno numero ſuffragantur. Nihil igitur in Romanae urbis ortu, quam injuſtitiae exempla videas, haud obſcuro argumento, talem fore rempublicam, quae ut imperii ita & criminum magnitudine, ceteras totius orbis ſuperaret, ſedemque aliquando hanc urbem praebituram ei, in quo omnis omnium ſeculorum malitia ad ſummum perducta fuit faſtigium.

§. XX. Cum Tullus Hoſtilius rei Romanae ſummam teneret, inter Romanos Albanosque bellum exarſit. Sed cum pari robore frequentibus praeliis utrique comminuerentur, miſſo in compendium bello, Horatiis atque Curiatiis tergeminis hinc atque inde fratribus, utriusque populi fata commiſſa ſunt. Tribus igitur ex Curiatiis vulneratis, & Horatiis duobus occiſis, qui ſupererat Horatius, addito ad virtutem do-

 lo,

ſtituto commentantur, ut Conradus Rittershuſius, Jo. Adamus Oſiander, ceteri. (x) *l. c.* (y) *pharſ. VII.* (z) *l. c.*

lo, ut diſtraheret hoſtem, ſimulat fugam, ſingulosque, prout ſequi poterant, ſuperat. (*a*)

§. XXI. Equidem & apud alias gentes ejusmodi bella, quae *repraeſentatitia* a nonnullis vocantur, non infrequentia fuiſſe, deprehendimus. Davidis & Goliathi ipſae divinae commemorant litterae, (*b*) de cujus tamen juſtitia ſunt, qui adhuc inter ſe diſceptant. (*c*) Sic & Argivi & Lacedaemonii, cum de agro quodam controverſia eſſet, bellum hac ratione coarctarunt, ut auctor eſt Herodotus. (*d*) Edmundus atque Canutus, ille Anglorum, hic Danorum, identidem hoc pacto finire bellum adgreſſi ſunt, (*e*) ne quid nunc de reliquis, quorum paſſim celebrantur exempla, dicam.

§. XXII. Rationibus ſtandum eſt, non exemplis. Hugonis Grotii hac de re haec eſt ſententia: (*f*) Gentium jure fas eſſe, ejusmodi ſubire certamina, quae interna tamen, ut loquitur, juſtitia deſtituantur. Nemini enim jus eſſe in vitam ſuam, ſecus ac plurimi ex Graecis, Romanis, aliisque gentibus exiſtimaverint. Peccare itaque eum, qui in ejusmodi certamen deſcendat, in Deum, dum vitam, quam a Deo accepit, tam vili aeſtimat, ut pro re exigui momenti eam perdere velit; peccare in ſeipſum, cui vitae cuſtodia merito ſancta eſſe debeat;

(*a*) *Florus lib. I. cap. III. Livius lib. I. &c.* (*b*) 1 *Sam. XVII.* (*c*) *conf. praeter alios, Alphonſus Teſtatus Abulenſis in* 1 *Sam. XVII. qu.* 45. (*d*) *lib. I. cap. VI.* (*e*) *vid. Cambdenus in Brittannia. p.* 151. (*f*) *lib. III. cap. XXIII. §. XLIII.*

beat; injurium denique eſſe in alium, quem itidem ex levi perimere cauſa, ſibi religioni non ducat.

§. XXIII. De gentium jure, quod hic Grotius monet, ad rem parum facit. Sua ſponte patet, mores gentium, hi enim hoc nomine veniunt, maximam partem improbos, hic non venire in cenſum. Rationes, quas idem affert, ad id, quod cupit, evincendum, parum valent. Aut enim me omnia fallunt, aut iisdem, ſi ulla earum vis eſſet, probari poſſet, militiam nunquam ſubeundam, nec in ullo unquam dimicandum eſſe praelio. Nemo vitam pro lubitu conjicere in diſcrimen debet. Peccabitque adeo, qui in praelio contra hoſtem pugnat, & in Deum, & in ſe ipſum, & eos, quibus vitam eripere illi animus eſt. Nihil hic regeres, quod non eodem pacto rationibus Grotii opponi queat. Sive enim dicas: publica auctoritate munitos id milites facere, ſive reipublicae defendendae cauſa iſtud eos ſubire periculum, & hac quidem ratione non eſſe nefas, ſe mortis diſcrimini exponere, utrumque ejusmodi eſt, ut non minus in certaminibus ſingularibus, principis populique auctoritate ſuſceptis, quam in juſtis praeliis locum inveniat.

§. XXIV. Aliam itaque ego hic ingrediendam viam cenſeo. Enimvero aut res, quae belli cauſam praebet, ejusmodi eſt, ut confici plane ſine ullo praelio ac certamine poſſit, aut omnino praelio ejusque eventui committenda. Illud ſi ſit, tum praelia multo-

torum, tum ſingulorum certamina, injuſta, eſſe pronuncio. Namque & unius hominis, ſine ſumma neceſſitate, mortis periculo objicere vitam, nefas eſt. Sin expediri ſine certamine nequeat, rurſus nefas, unius aut paucorum hominum fortunae, totius populi ac civitatis ſalutem concredere. *Si res bello digna agitur*, recte ait Grotius, (g) *ut multorum innocentium ſalus, pro ea totis viribus nitendum eſt.*

§. XXV. Sed & id recte ſubjicit idem Hugo Grotius: *condicto certamine uti, tanquam teſtimonio bonae cauſae, aut judicii divini inſtrumento, vanum eſt, & a vera pietate alienum.* Referunt ſe haud dubio haec verba ad iſtam veterum Germanorum conſuetudinem, qua lites duello finire ſolebant, ut nimirum dubiis in judiciis, cum utriusque argumenta eſſent obſcura, armis litigantium crederetur, victusque pro nocente haberetur. Hinc inter illa judicia Dei, ut vocabant, ſeu ordalia, probatio etiam erat per duellum. Leges Alemannicae ita ſanciunt: (h) *Si quis liber libero crimen aliquod mortale impoſuerit, & ad regem aut ad ducem eum accuſaverit, & inde probata res non eſt, niſi quod ipſe dicit, liceat illi alio, cui crimen impoſuit, cum tracta ſpatha* (ſtricto gladio) *ſe idoneare contra illum alium.* Suffragantur & Boioariorum, Anglorum & Werinenſium, Friſonum, Longobardorum, aliarumque Germanicarum gentium leges;

(g) *l. c.* (h) *tit. XLV.* § *I.*

leges; (*i*) quibus & recentior lex Ottonis accedit. Nec populo tantum fuit ea facultas, ut innocentiam ſuam gladio defenderet, ſed & principes proceresque ſingulari certamine lites in campo diſcernebant. Itaque Otto Bavariae dux, cum vitae Henrici III. imperatoris inſidiatus argueretur, juſſus ab imperatore eſt, *ut objectum crimen, congreſſus cum accuſatore ſuo, propria manu refelleret*; uti Lambertus Schaffnaburgenſis loquitur. (*k*) De Guntheramno Boſone duce, ſingulare quoque exemplum legitur apud Gregorium Turonenſem. (*l*) Manifeſta autem cum impietate iſta judicia Dei conjuncta fuiſſe, cum per ſe pateat, non neceſſe eſt, ut prolixius hoc demonſtremus.

§. XXVI. Videtur tamen, aliquando ea rerum facies eſſe poſſe, ut ſi non utrinque, ſaltem ab alterutra parte, ſingularia iſta certamina recte permittantur. Hugo Grotius ita cenſet. (*m*) Si duo, quos inter de regno controverſia eſt, parati ſunt, inter ſe armis cernere, pati id poſſe populum, ut major calamitas ceteroqui imminens evitetur, idque tum ad finiendum, tum ad praeveniendum bellum. Quomodo, inquit, Aſſyrium Regem Cyrus provocavit, & apud Dionyſium Halicarnaſſenſem Metius ait: non iniquum fuiſſe, ut ipſi principes populorum

(*i*) *quas affert Paulus Hacbenbergius Germania media diſſert. III. §. XVIII.* (*k*) *apud Hacbenberg. l. c.* (*l*) *Hiſtor. Franc. lib. VII. cap. VIII.* (*m*) *l. c. n. 5.*

lorum armis rem inter ſe diſceptarent, ſi de ipſorum, non de populorum potentia aut dignitate controverſia fuiſſet. Sic Heraclium imperatorem cum Choſroë, filio Perſarum regis, pugnaſſe ſingulari certamine legimus.

§. XXVII, Verum & illud nondum poſitum extra omnem controverſiam arbitror. Aut de juribus principum; aut de injuriis illatis vindicandis agitur. Si illud, non video, cur ad certamen ſingulare recurrendum ſit, cum res commode tandem per arbitros aut ſortem tranſigi queat, ſi modo res tam obſcura ſit, ut, quis potior jure ſit, poſt accuratam diſcuſſionem non pateat. De injuriis autem vindicandis cum agitur, diſpiciendum quidem, annon ſatius ſit, ex chriſtianorum diſciplina aequo eas ferre animo; aut ſi tanti res ſit, ad reſarciendum damnum, quod aut in opibus, aut in exiſtimatione paſſi ſumus, alter cogi debeat, non video, cur non & totius populi viribus ea res agenda ſit. Etenim cum & cujuslibet civis defenſionem recte ſuſcipiat reſpublica; multo magis principis aut imperantis. Praeſertim cum interdum ſatius ſit, multorum civium vitam exponere periculo, quam principis, ut alias rationes taceam. Quam ſtulte itaque Franciscus I. Galliae rex Carolum V. Imperatorem provocavit, tam ſapienter hic ſingulare illud certamen declinavit.

§. XXVIII. Fateor tamen, ſi forte populi ea ſit conditio, ut certiſſimam perniciem non

non aliter, quam per certamen ſingulare evadere queat, tum nullam me videre rationem, cur illud reprehendi debeat. Pone, jam ad incitas fere redactum populum, ultimaque illi inſtare fata: pone, non ſupereſſe vires, ut juſto praelio cum hoſte concertare aut poſſit, aut audeat; pone, hoſtem tunc certaminis ſingularis conditionem offerre: tum, ſi ceteroquin cauſa reſiſtendi juſta adſit, recte & populus permittet, & miles ſuſcipiet ejusmodi certamen: ille vero populus, qui talem conditionem offert, ab imprudentiae nota liberari vix poterit: in cauſa vero injuſta eum verſari cum ſupponamus, de injuſtitia quoque non erit dubitandum. Non licet declinare perniciem, juſti praelii non datur copia; in ſumma itaque iſta neceſſitate ſatius eſt, unius hominis aut paucorum in diſcrimen adduci vitam, quam totam perire rempublicam. Et idem quoque dicendum, quotiescunque unus aut pauci milites, non tam ex conventione, quam belli jure, aliquid adgrediuntur, quo hoſti noceant; de hiſce enim, quin recte agant, ſi cetera, quae ad actuum bellicorum juſtitiam requiruntur, recte ſe habeant, dubitari nequit.

§. XXIX. Jam, quid de Davidis & Goliathi certamine ſtatuendum ſit, facile intelligitur. Initio quidem id poſitum eſt extra controverſiam, non fuiſſe hoc certamen ex duellorum iſtorum numero, quae judicia Dei vocantur, uti nonnulli volunt, quos ideo operoſe refellit Don Iizchac Abarbanel.

(n)

(*n*) Oſtendit namque, ad ejusmodi certamen, quod ad cauſae juſtitiam explorandam ſuſcipitur, requiri primo quidem, ut cauſa dubia ſit, ſuper qua diſceptetur, veritasque in obſcuro lateat; tum, ut conventio atque pactum inter pugnaturos intercedat, teſtibus aliisque documentis confirmatum, ne poſt victoriam alteri parti ab eodem reſilire liceat; praeterea ut paribus armis, aequalique prorſus pugnent conditione, nec quis altero ulla in re ſit ſuperior; denique ut judices ac arbitri conſtituantur, qui diſpiciant, ne quis ulla in re ab altero circumveniatur. Aſt haec omnia cum in certamine Davidis & Goliathi ſecus ſe habeant, patet, judice Abarbanele, illud ad hanc certaminum ſingularium claſſem perperam referri. De conventione equidem ſeu pacto dubitari poſſet, ob haec verba Goliathi: *eligite vobis virum, & deſcendat ad me, ſi poſſit pugnare mecum, meque percuſſerit, erimus ſervi veſtri, ſin a me victus caeſusque fuerit, eritis ſervi noſtri, nobisque ſervietis.* Sed reſpondet ad haec Abarbanel, dum primum requiſitum abeſſe hic aſſerit, docetque, non per modum conditionis qua certamen hoc ineundum, haec verba eſſe prolata, ſed ad jactantiam potius & oſtentationem:

בדו איש נירד אלי וגו̈ היו דברי גוזמא ומה
שאמר והתפארות ולא תנאי עצמי ולזה כוון
במה לכם שאמר אני חרפתי את מערכות
ישראל היום

(*n*) *Comment. in* 1 *Sam. XVII.*

ישראלהיום וגו׳: *Et quod dicit, eligite vobis virum, qui deſcendat ad me, &c. verba erant ſarcaſmi & oſtentationis, non autem conditio ipſa* (certaminis) *& id indicat ipſe, quando dicit: ego hodie opprobrio affeci caſtra Iſraëlis.* Deinde vero accedit. quod nec Iſraëlitae conſenſerint in illam conditionem, ut idem Abarbanel recte iterum obſervat: כי אותם הוברים אשר דבר גלית לא הוסכמו בין ישראל ובין הפלשתים: *& in illa verba, quae locutus eſt Goliathus, non conſenſerunt Iſraëlitae & Philiſtaei.* Ex quo colligas, non modo non ſpectare hoc certamen ad judicia Dei, ſed nec ulla ratione ad bella repraeſentatitia eſſe referendum, in quibus utriusque partis conſenſus adeſſe debet. Nimirum non alia erat ratio praeſentiſſimo periculo populum Iſraeliticum eripiendi, quam ut Goliathus ille proſterneretur. Omnibus copiis adgredi Philiſtaeos Iſraelitae non audebant: Goliathus unius viri poſcebat certamen. Facile intelligebatur, Goliatho proſtrato, animum rediturum Iſraëlitis. Hoc ergo agebat David, non ut ipſe de fortuna utriusque populi ex conventione pugnaret, ſed ut, Goliatho devicto, ad fortitudinem accenderet Iſraelitarum animos, vel potius ſuo exemplo eos condoceret, fiducia in Deum non minus, quam armis ad profligandos hoſtes opus eſſe. Et ita quin recte egerit David, per ea, quae ſupra diximus, dubitari nequit.

§. XXX.

§. XXX. Sed revertimur ad hiſtoriam Romanam. Tullum Hoſtilium excepit Ancus Martius, nepos Pompilii. Hic cum videret, populum Romanum bellorum amore ardere bellicos ritus & ceremonias, quas *fecialia jura* adpellitant, ab Aequicolis acceptas inſtituit. Hoc praeter alios Servius docet. (*o*) Non tamen deſunt, qui jam a Numa Pompilio jura fecialia introducta opinantur, ut Herodotus, (*p*) quem tum alii, tum etiam Plutarchus (*q*) ſequitur.

§. XXXI. Jus autem *feciale* a *fecialibus* dicitur, quorum Romae integrum erat collegium, in quo de belli jure, itemque de eo, quod circa fœdera, pacta, conventiones populorum & regum, circa legatos, inducias, & id genus alia, fas nefasque eſſet, diſceptabatur. Qui autem huic collegio praeerat, *pater patratus* adpellitabatur. Unde patet, qui fecialis juris nomine totam illam, quae de belli jure praecipit, diſciplinam deſignant, non inepte hac voce uti; id quod Richardus Zouchaeus facit, in libro de jure & judicio feciali. Cum vero circa belli indictionem praecipua fecialium cura occuparetur, hinc poſtea invaluit, ut id, quod circa belli indictionem obſervandum eſt, *jus feciale* ſpeciali quadam ratione adpellitaretur.

§. XXXII. Praeterquam vero quod bellica indictio jure naturae quodammodo nitatur,

(*o*) *ad lib. X. Aeneid. p.* 1470. *add. Alex. ab Alexandro, dier. genial. T. II. lib. V. cad. III.* (*p*) *lib. II.*
(*q*) *in Numa & Camillo.*

tur, moribusque gentium ſit comprobata, Romani non tantum hunc morem frequentarunt, ſed varios inſuper ritus ac ceremonias, quibus bellum indicerent, excogitarunt. Nimirum, ut paucis rem complectar, poſtquam quatuor feciales, in terram hoſtilem profecti, fruſtra injuriae illatae reparationem poſtulaverant, iterumque ſancte teſtati erant, populum iſtum nullam habere juris rationem, pater patratus ſolenni formula bellum indicebat. Tum haſtam ſanguineam in terram hoſtilem conjiciebat, principium cladis ab exercitu imminentis. (*r*) Aliarum gentium alii fuere ritus, quos enarrare omnes, hic noſtri inſtituti non eſt.

§. XXXIII. Lactantius (*s*) hoc Romanorum non adeo probare videtur inſtitutum. Per feciales enim illos bella indicere, ait, ut legitime injurias inferre viderentur. Id quod à moribus Romanorum non abhorret, quibus nihil ſolennius, quam virtutis & juſtitiae ſpeciem quibusvis auſibus, quantumvis iniquiſſimis, obtendere. Per iſtos autem ritus quod juſtitia conciliata fuerit Romanorum bellis, qui ſibi perſuaſerit, nae! eum ſtrenue ineptum eſſe oportet. Sola cauſa efficit, bellum ut juſtum ſit, vel injuſtum: ſolenne autem, aut minus ſolenne ut dici queat, id ritibus ejusmodi, gentiumque moribus tribuendum.

(*r*) *conf. Alexander ab Alexandro l. c. & Tiraquellus ad h. l. it. Barnabas Briſſonius de Formulis, lib. IV. p.* 341. (*s*) *lib. IV. Inſtitut. divinar. cap. IX.*

§. XXXIV. Miſſis ritibus, cum de ipſa indictione ſeu denunciatione, ſermo inſtituatur, eam hactenus juris naturalis eſſe arbitror, quando ut ultimum tentamen, amica compoſitione litem finiendi, bellumque adeo avertendi,, ſpectatur. Enim vero & prudentia jubet & naturalis aequitas poſtulat, ut priusquam per vim noſtra nobis aſſeramus, omnes rationes ineamus, componendi amice litem. Bellum enim, quod tantam malorum cohortem ſecum trahit, ut ultimum atque extremum remedium eſt, ita ad illud neutiquam provolandum, niſi alia ratio noſtra conſequendi nobis non ſuppetat. Admonendus ergo per indictionem hoſtis eſt, ut nobis faciat prius ſatis, quam extrema experiri cogatur. (*t*) Et Romani quidem, quin huc ſuam voluerint comparatam indictionem, dubio caret: cum per eam, ut diximus, juſtitiae ſpeciem ſuis conciliare voluerint bellis. Idque ut eo magis hominum ſermonibus celebraretur, varios iſtos adjunxerunt ritus. Sed cum haec omnia ad bellum juſtum nondum ſufficiant, niſi cauſa juſta ſubfuerit: hac autem plerumque deſtituti eſſent Romani, ut deinceps demonſtrabitur; recte quidem totus ille indictionis & juris fecialis adparatus inter commenta politica refertur. Quae hodie obtinet indicendi bellum ratio, ne eo quidem comparata videtur, ut pro ultimo conatu avertendi bellum haberi debeat, adeoque, ni fallor,

(*t*) *add. Hugo Grotius lib. III. cap. III. Richardus Zouchaeus de jure feciali part. III. ſect. X.*

fallor, non tam jure naturae nititur, quam conſuetudine inani, gentiumque moribus. In his autem non raro, poſtquam res ipſa jam dudum amiſſa eſt, quandam ejus umbram atque ſpeciem conſpicias.

§. XXXV. Regum Romanorum ultimus Tarquinius ſuperbus fuit, qui rapere regnum maluit, quam exſpectare, ſceleréque partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſiverat. Namque in ſenatum caedibus, in omnes ſuperbia graſſatus eſt. Tandem cum unus ex filiis Lucretiae uxori Collatini ſtuprum intuliſſet, Lucretia quidem dedecus ferro expiavit, ſed Tarquinius cum familia ejectus, imperiumque regibus abrogatum fuit. Si Floro credimus, & ſuperbi illius importuna dominatio plurimum rei Romanae profuit. *Sic enim effectum*, inquit, *ut agitatus injuriis populus cupiditate libertatis incenderetur.* (*u*)

§. XXXVI. Quo jure ejectus Tarquinius, regnoque depulſus, hic quaerere liceat. Tyranno liberaſſe patriam, magnificum olim & praeclarum facinus. Hoc gentium annales comprobant, ex quibus quae huc pertinent, ſummatim complexus eſt Jo. Mariana: (*x*) *Praeterea*, inquit, *ab omni memoria conſideramus, in magna laude fuiſſe, quicunque tyrannos perimeri adgreſſi ſunt. Quid enim Thraſybuli nomen gloria ad cœlum evexit,*

(*u*) *Florus lib. I. cap. VII. Livius lib. I. Feneſtella de Magiſtratibus Romanis, cap. VIII. reliqui.* (*x*) *de rege & regis inſtitutione lib. I. cap. VI. p.* 57.

nit, niſi gravi triginta tyrannorum dominatu patriam liberaſſet? Quid Harmodium & Ariſtogitonem dicam? quid utrumqve Brutum? quorum laus gratiſſima memoria poſteritatis incluſa & publica auctoritate teſtata eſt. Multi in Domitium Neronem conſpirarunt conatu infelici, ſine reprehenſione tamen, ac potius cum laude omnium ſeculorum. Sic Caius Chereae conjuratione periit, monſtrum horrendum & grave: Domitianus Stephani: Caracalla Martialis ferro occubuit: Praetoriani Heliogabalum peremerunt, prodigium & dedecus imperii, ipſiusmet ſanguine expiatum piaculum. Quorum audaciam quis unquam vituperavit, ac non potius ſummis laudibus dignum duxit?

§. XXXVII. Sed caute hic incedendum atque valde circumſpecte. Etenim cum recte idem Mariana pronunciet, *facti quaeſtionem in controverſia eſſe, quis merito tyrannus habeatur, juris in aperto (eſſe,) fas fore, tyrannum perimere*; conſtare accurate de omnibus prius debebat, in numerum tyrannorum eos referendos eſſe, quam laudentur, qui eos interfecerunt, aut ejecerunt. Iſta vero non tam facilis eſt diſquiſitio, uti quidem plerisque videri poterat. Vix enim ulla occurrit de ejusmodi principe narratio, cui affectus non ſe ingeſſerit. Tyranni nomen ſtatim in ore habent, quibus princeps diſplicet, aut qui praeſentem rerum aegre intuentur ſtatum. Tyrannos contra, quantumvis immanes, facile excuſant, qui ſua intereſſe putant, ut pro juſtis reputentur

prin-

principibus. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam ut characteres tyranni rite conſtituantur, & is demum tyrannus judicetur, in quem iſti palam & nemine diſſentiente quadraverint.

§. XXXVIII. Prolixus equidem in characteribus tyrannorum exponendis eſt idem Mariana: ſed dicta ab eo diſcutere accuratius, non eſt noſtri inſtituti. Ea tantum afferemus, quae de Tarquinio ſuperbo docet: *Tarquinius*, inquit, *ſuperbus Romae primus regum, ut traditur, morem de omnibus conſulendi ſenatum ſuſtulit: domeſticis conſiliis rempublicam adminiſtravit, bellum, pacem, fœdera, ſocietatesque per ſe ipſe cum quibus voluit, injuſſu populi ac ſenatus, fecit, diremitque. Latinorum ſibi gentem maxime conciliavit, ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives eſſet. Sic Livius ait libro primo. Quin & primores patrum interfeciſſe affirmat, in eorum locum nullos legiſſe, quo contemptior paucitate is ordo eſſet: cognitiones rerum capitalium ſine conſiliis per ſe ſaltem exercuiſſe, quae ſunt omnia tyranni praecipuae notae.*

§. XXXIX. Fateor, arguunt haec principem iniquum, & regiminis formam, quae in republica conſtituta eſt, evertentem. An tyrannum arguant, definiendum tum fuerit, cum, quid tyranni nomine deſignetur, conſtiterit. Multi forte hodie reperientur principes, qui eadem deſignare, religioni ſibi non ducent. Nec tamen hos ſtatim in tyrannorum claſſem referent recentiores politici. Qui tyrannum vocant, qui hoſtili erga patriam eſt animo, rem pau-

cis, ſed obſcurius efferunt. Niſi qui ſibi potius, ſuiſque rebus conſultum cupit, quam reipublicae, hoſtili in hanc eſſe animo cenſeatur, quod iterum durum nimis multis videbitur. Hoſtilem ceteroquin erga rempublicam evincere animum, perquam difficile erit: rariſſimusque tum inventu erit tyrannus. Mihi ita videtur, exemplis rectius, quam definitione, quis tyrannus ſit, declarari. Enimvero ſi quis revera talia perpetret, quae Tarquinium perpetraſſe hiſtorici perhibent, is ſi non tyrannus dicendus, jure tamen ſuo in rempublicam excidit, ut eum regno depellere, & arma contra vim intentantem expedire liceat. His ſi quis crudelitatem in omnes, ceteraque vitia addat, eo minus dubitandum, quin recte hoc nomine inſigniatur.

§. XL. Ejusmodi autem princeps, quocunque eum nomine deſignes, qui ea perpetrat, quae perpetraſſe Tarquinium perhibent, modo revera perpetret, quod recte ſua exuatur dignitate, probari haud difficili negotio poteſt. Nititur enim principum auctoritas ſanctitasque certo pacto, quo cives ſe ad obſequium obſtringunt, princeps autem ad conſervandam rempublicam, ejusque ſtatum tuendum. Hoc licet inaequale pactum ſit, indoles tamen atque natura pacti non aliter permittit, quam ut, ſi palam a principe abrumpatur, nec civibus nefas ſit ab eodem diſcedere. Et tum quidem, ſi ad vim princeps ſe convertat, quod vim ei opponant cives, vitio illis nulla ratione verti poteſt.

§. XLI.

§. XLI. Frequens in ſcriptis monarchomachicorum, ut vocantur, eſt exemplum ejecti Tarquinii. Aſt incaute haud raro, turpiterque eodem abutuntur. Prius conſtare debebat, recte ejectum Tarquinium. Hoc equidem concedo, ſi vera ſunt, quae vulgo de eo narrantur. Aſt ſi quis narrationes iſtas, ab ejusmodi hominibus profectas, qui per reipublicae, in qua vivebant, rationes non poterant non iniquo in Tarquinium eſſe animo, ſollicitaverit, defendendi forte Tarquinii rationem invenerit. Iſtud cumprimis cogitandum, ſtuprum a regis filio Lucretiae illatum, nondum juſtam mutandi reipublicae ſtatum praebuiſſe cauſam. Injuriae privatis illatae divinam promerentur pœnam, vinculum, quod inter imperantes & cives intercedit, non ſolvunt. Deinde deſpiciendum, an per omnia Tarquinio ſimilis ſit, quem iisdem ſubjicere animus eſt fatis. Ipſe Mariana, cum varia de tyrannis docuiſſet, quae, ſano ſenſu accepta, non ſunt rejicienda, in eo haud dubio aberravit turpiter, quod Henricum III. etiam Galliae regem in hunc cenſum retulit. Quo nomine, uti conſtat, ut & ob alia pernicioſa, quae in hoc libro continentur, dogmata, promeruit, ut haud ultimum inter monarchomachos locum occuparet.

§. XLII. Aſt de Bruto quid cenſendum? Potuit recte ejici Tarquinius, ut idem tamen non recte fieret à Bruto? Quod vero regnum auferre cognatis Tarquinii voluit,

an etiam ſtudio libertatis ? Certe oſculum terrae dedit, quo praeriperet regnum ſibi: & praerepti retinendi viam praeivit. Quem hic à Tarquinio rege magiſtratum tenebat, in Tarquinium exercuit perfidus. Perfidus & in collegam, bonum atque innocentem virum, levicula, aut nulla potius occaſione, quod Auguſtinus adnotavit. Ita contra Brutum differit Albericus Gentilis. (*y*) Nec omnia tamen ejusdem ſunt ponderis. Officii, quod quis a principe accepit, ratio non impedit, quo minus contra principem reipublicae cauſam agat, ſi quidem princeps ſuo jure excidat. Immo hoc ipſo non amplius princeps eſt: unde, ſi quae erga ipſum in officio obligatio fuit, haec jam ſua ſponte exſpiravit. Ut taceam, magiſtratus conſtituere principem ea autoritate, quam à republica accepit: magisque adeo magiſtratus toti reipublicae obſtringi, quam principi, ſi hujus commoda illius ſaluti adverſentur. In collegam quae deſignavit Brutus, ea ita defendit Cicero: (*z*) *Cum Collatino Tarquinio collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuſte: fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adjutor. Cum autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem ſuperbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni eſſe tollendam: quod erat utile patriae conſulere, id erat ita honeſtum, ut etiam ipſi Collatino placere debebat. Ita*-

que

(*y*) *lib. I. cap. IV. p.* 26. (*z*) *de officiis lib. III. p. m.* 451.

que utilitas valuit propter honeſtatem, ſine qua nec utilitas quidem eſſe potuiſſet. Hoc ſibi vult Cicero, facinus illud ob utilitatem, quam inde percepit patria, honeſtum fuiſſe. Etenim cum privatorum commoda patriae & reipublicae cedere debeant, haud dubio non peccat, qui incommodis quibusdam eos ſubjicit, ut patriae conſulat. Non qualiscunque autem utilitas, ſed magna, immo ipſa ſalus reipublicae, hic intelligitur, ut per ſe patet. Non recte itaque Ciceronis mentem aut percepit, aut retulit Albericus Gentilis, (*a*) dum eum ſcribere ait, *factum Bruti non admodum cum honeſtate conjunctum*, eo colore defendi poſſe, *quod patriae extiterit utiliſſimum.* Nimirum quia patriae utiliſſimum, ideo & omnino honeſtum dixit Cicero. Quod vero primo loco contra Brutum affert Albericus Gentilis, id fateor, majoris momenti eſt, nec tamen facile definiendum, cum arcaniora conſilia, & intimos mentium receſſus, in illis, qui talia perpetrant, nobis introſpicere datum non ſit: externa autem ambiguae ſunt interpretationis.

§. XLIII. Cum, expulſis regibus, reipublicae Romanae adminiſtratio ad conſules eſſet translata, dictatorem quandoque, ſi reipublicae id exigeret neceſſitas, conſtituere placuit, quem penes belli tempore ſumma rerum eſſet, ut ex arbitrio atque nutu ſuo cuncta gerere poſſet. Sed ne in tyrannidem, aut regium iterum imperium

(*a*) *loc. cit.*

haec poteſtas abiret, eam itidem temporariam eſſe voluerunt Romani. Namque bello confecto, aut negotio peracto, cujus gratia dictator conſtitutus erat, ad priſtinam vitae eum redire oportebat conditionem. Cincinnatus dictator creatus belli gerendi cauſa, cum intra dies quindecim hoſtium copias fregiſſet, ac bellum confeciſſet, dictatura ſtatim abdicavit. Servilius Priſcus intra diem octavum, Mamercus eodem ipſo die, quo dictator dictus eſt.

§. XLIV. Sapienter hoc ita fuiſſe conſtitutum, nemo dubitaverit, pluribusque comprobat Nicolaus Machiavellus, (*b*) Bella vix unquam feliciter geruntur, penes plures ſi ſumma rerum ſit poteſtas. Aſt hæc ne noxia Romanae libertati eſſet, aptiſſimum erat, ad tempus eam uni concedere. Sed hic illa exoritur quaeſtio, ſuper qua jampridem inter eruditos concertatum, an ſummo imperio, ſeu majeſtate, ut vocant, praediti fuerint Romani dictatores? Abnuit hoc, vir acerrimi ingenii, Joannes Bodinus, (*c*) quem praeter alios hic ſequitur Samuel Pufendorfius. (*d*) Affirmat contra, ut alios nunc taceam, Henninges, Arniſaeus, (*e*) qui magno conatu hoc agit, ut majeſtatem dictatoribus aſſerat, eumque ſequitur cum Lampadio Hermannus Conringius. (*f*) Et Conringius quidem ad veterum conſenſum pro-

(*b*) *diſcurſib. in Liv. lib. I. cap. XXXIV.* (*c*) *de repub. lib. I. cap. VIII.* (*d*) *de J. N. & G. lib. VII. cap. V. §. XV.* (*e*) *Releẞ. politic. lib. II. cap. II. ſect. XV.* (*f*) *annot. ad Lampadii part. II. §. VIII.*

provocat. *Non eſt*, inquit, *quod quem turbet Bodini & aliquot ſectatorum exiſtimatio, cum longe & numero plures, & doctrina praeſtantiores, non noſtri duntaxat aevi, ſed veteris, in facili ſit auctores adducere. Ita enim utique ſenſiſſe Livium, Ciceronem, Polybium, Dionyſium Halicarnaſſenſem, Plutarchum, Pomponium, Eutropium, Lucium Ampelium, aliosque certum eſt, nec ſolet negari ab iis, qui diſſentiunt.*

§. XLV. Conſtat vero, ipſique obſervatum eſt Conringio, non ſemper dictaturae eandem fuiſſe auctoritatem, & interdum eam nonnihil fuiſſe reſtrictam, ſive vim intimam poteſtatis attendas, ſive res ipſi commiſſas. Interdum enim ad certos tantum actus dictatores fuere conſtituti, ut clavi figendi cauſa, aut comitiorum, aut feriarum, ſive ludorum, aut ſenatus legendi, aut quaeſtionum exercendarum. Horum itaque munus multum diverſum fuit ab eorum dignitate, qui *rei gerendae cauſa* creati dicebantur. Prioris quidem generis dictatores non gaviſos fuiſſe ſummo imperio, poſitum extra litem eſt. Aſt de illis, qui rei gerendae gratia, aut, ut Feſtus (*g*) loquitur, optima lege fuere conſtituti, haud immerito dubitatur.

§. XLVI. Aſt horum quoque, niſi me omnia fallunt, iis limitibus circumſcriptam fuiſſe poteſtatem, ut pro ſummo imperio haberi nequeat, multa hiſtoriae Romanae monumenta produnt. Dictatoribus non fuiſſe

(*g*) *voc. optima lex.*

fuiſſe fas, vel creare, uel dejicere tribunos plebis, Plutarchus docet. (*h*) Cumque aliquando bini fuerint aequali dictatoria poteſtate, Q. Fabius Maximus, & Minutius, diviſis inter ſe negotiis, huic eos praefuisſe muneri facile conjicias, ſicut & legiones omnemque reliquum exercitum hi inter ſe diviſere. Ex quo colligas, non ad quaevis olim dictaturae vim pertinuiſſe. Sed vero & in iis, ad quae pertinuit, certis limitibus circumſcriptam fuiſſe hanc poteſtatem, vel illud argumento erit, quod a dictatore ad populum provocare fas fuerit, ut diſerte teſtatur Feſtus. (*i*) Sic contra Papirium dictatorem, ut auctor eſt Livius, ad populum provocavit M. Fabius: & contra M. Furium Camillum dictatorem plebiſcitum conditum: *ut ſi M. Furius pro dictatore quid egiſſet, quingentorum millium aeris ei mulcta eſſet*, (*k*) ut reliqua exempla, ex eodem Livio haurienda, nunc praetermittam.

§. XLVII. His rationibus Joannes Bodinus addit, quod dictatoris non perpetua fuerit poteſtas. Sed negat Conringius, *perpetuitatem eſſe ſummae cujuslibet poteſtatis neceſſarium requiſitum*, qui & auctoritate Hugonis Grotii, (*l*) idem aſſerentis, ſe tuetur. Ego tamen aliter ſentio. Etenim hoc ipſo, dum iſta poteſtas fuit temporaria, non potuit eſſe ἀνυπεύθυνος, id quod tamen ad ſummum imperium ſeu majeſtatem requiritur. Cur enim non fuit perpetua? Ideo, quia

(*h*) *quaeſt. Rom. LI.* (*i*) *l. c.* (*k*) *lib. VI. c. XXXVIII.* (*l*) *de J. B. & P. lib. I. c. III. §. XI.*

quia ad certum tempus tantum fuit conſtituta a republica: ergo fuit dependens ea poteſtas, ergo non ſumma. Praeterea ex eo, quod ad certum tempus collata fuit, ſequitur etiam, certos tantum eam reſpexiſſe actus. Confecto bello, depulſo periculo, ceſſabat iſta poteſtas. Ergo ſe non ad omnia, quae ſunt in republica, extendebat, ergo non fuit ſumma poteſtas. *Duratio* equidem, ut Hugo Grotius ait, *naturam rei non immutat:* ſed addendum, niſi natura rei cum ipſa duratione tam arcte conjuncta ſit, ut hac mutata, illa quoque non poſſit non immutari.

§. XLVIII. Validius adhuc, ut ipſe fatetur Conringius, dictaturae ſummam poteſtatem oppugnat provocatio ad populum. Regerit vero, illam ſero cœpiſſe, & cum *immutato jure*, neutiquam vero *optima lege*, idque ex Feſto conſtare, pariter ac Livio, aliisque. Atque iſtud quidem rerum Romanarum non imperitus haud abnuet. Nihil tamen obſtat, quo minus & illorum dictatorum, a quibus provocare non licuit, non alia quam magiſtratuum fuerit poteſtas. Etenim quantacunque iſta auctoritas fuerit, a populo tamen tantum ideo conceſſa fuit, quod reipublicae neceſſitas ad certum tempus eam requireret, ponendaque iterum fuit ad populi arbitrium. Potuerunt itaque dictatores quidam a provocatione ad populum eſſe exempti, ut tamen non ſtatim ſummo gauderent imperio. *Neque abſurdum eſt*, inquit Puſendorfius,

(*m*)

(m) dari magiſtratum, a quo, ſaltem in certo negotiorum genere, provocatio non concedatur. Eſto itaque, nullum in hiſtoria Romana reperiri exemplum, ratihabitae provocationis contra dictatorem, quod operoſe eundo per ſingula evincere annititur Conringius, nihil hoc nobis obſtat. Namque & gaudere hoc jure, & eſſe tamen ſimul tantum magiſtratus, extraordinaria tamen poteſtate gaudentes, potuerunt. Certe, qui cauſam, rationem, finem conſtitutae dictaturae ſecum reputaverit, qui reipublicae Romanae ſtatum, eo tempore, ſecum expenderit, & quam inviſa Romanis fuerit regia poteſtas, regium ac monarchicum imperium vix ſibi perſuadebit, voluiſſe eos conſtituere poteſtatem, quae ſupra populum eſſet, & cui ad regiam praeter durationem nihil deeſſet. A noſtra itaque nihil eſt, quod nos dimoveat ſententia.

§. XLIX. Expulſos Tarquinios ingentibus copiis reducere annitebatur Porſenna, rex Etruſcorum. Quocum bellum gerentibus Romanis, Mutius Scaevola regem per inſidias in caſtris ipſis adgreditur, ſed cum pro rege ſcribam obtruncaſſet, caperetur-que, ardentibus focis injicit manum, terroremque geminat dolo. *Ut ſcias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti juravimus.* Cum interim hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. (n)

§. L.

(m) l. c. (n) Florus lib. X. cap. X. Livius lib. II. cap. & reliqui.

§. L. Magnum animum, dolorisque & mortis contemptorem, quis non miretur? Nec tamen haec obſtant, quo minus ipſum vituperandum ſit facinus. Laudat Cicero, (*o*) laudat Valerius Maximus, (*p*) laudant alii, praeſertim ii, qui Romana nunquam non laudanda putant. Ipſe Porſenna, ſi quosdam audias, nihil niſi virtutem in eo agnovit. Sed faceſſant teſtimonia, cedant auctoritates. Laudare facinus, quod à Romanis laudatum ſit, ineptum. Illis ſaltem ita videbitur, qui ſub tanta virtutis ſpecie nequitiae & iniquitatis documenta uberrima deprehendunt.

§. LI. Multa hic concurrunt. Inſidiae, fraudes, mendacia, animusque ingratus. Sed iſta quidem nunc transeant. Daboque hoc Alberico Gentili, Scaevolam defendenti, & inſidias ſtruere, & fraudes adhibere, & mendaciis uti, non eſſe nefas, ſi cum hoſte res ſit, quem quovis laedere modo, abrupto ſocietatis vinculo, liceat. Animi ingrati labem abſtergat amor erga patriam. Debebat aliquid Etruſcis Scaevola, aut Porſennae, plus debebat patriae. Hoc ergo ſupereſt, rectene in ſe percuſſoris ſuſceperit munus. Hoc caput cauſae eſt. Regum ſanctitas, gentium mores, obſtare videntur, ne laudemus, qui in reges principesque ejusmodi quid audent.

§. LII. Sunt vero percuſſores non unius ejusdemque generis. Nonnulli caedi perfidiam addunt, ſi civis principi, ſi ſervus do-

(*o*) *pro Sextio.* (*p*) *lib. III. cap. III.*

domino inſidias ſtruat, vitamque eripere audeat. Hos aut laudare aut excuſare, id quidem eſſet, laudare aut defendere maniſeſtiſſima ſcelera. Nec immunes criminis ſunt, qui hos ad facinus perpretandum ſollicitant, impellunt, hortantur. Fidem datam non ſervare, ſemper nefas. Ad id verò, quod omnium judicio nefas eſt, qui alium impelleret, num innocens eſſet? Sententiam philoſophi ferant, quorum jampridem hoc extitit effatum, criminis non minus reum eſſe qui perpetravit, quam qui, ut perpetraret, auctor fuit, aut ſuaſor, aut hortator. Hoſtis eſt, inquiunt, quem ferit. Tuus quidem, non percuſſoris. Tibi ergo hoſtem laedere fas fuerit, non civi regem, non ſervo dominum. Hic ergo, ſi peccat, criminis profecto non erit purus, qui, ut peccaret, induxit.

§. LIII. De illis, qui peregrini ſunt, nec ullo vinculo principi obſtricti, aliter pronunciandum. Sed addendum, ſi is, cujus ſequuntur partes, bellum juſtum gerat. In injuſto nihil recte, nihil juſte peragitur. Hoc ergo de Scaevola cogitandum. Hoſtem adortus eſt. Hoc ſufficit. Sive hoc ſolus, ſive cum aliis in praelio faceret, quid intererat; Eo ergo res redit, an recte Porſenna arma intulerit Romanis? Recte, ſi hos ejeciſſe Tarquinios ſtatuamus, minus recte Porſennam eos reducere voluiſſe, concludamus par eſt. Nec mores gentium nos morentur. Hos laudarem, ſi bonorum tantum principum vitae, & incolumitari, praeſidio

ſidio eſſent. Jam vero, quicquid in moribus gentium humanitatis & venerationis erga principes ſpeciem prae ſe fert, eo comparatum eſt, ut improbis, & per hominum caedem, per regnorum ſtragem, per gentium ruinam, ad imperium graſſantibus, tuto & impune quidvis committere liceat.

§. LIV. In eodem bello, quod cum Porſenna Romani geſſerunt, Claeliae virginis quoque eluxit virtus. Virtutem ſaltem vulgus vocabit, immo Florus *virtutis monſtrum*. Haec quippe, cum aliis regi obſes data, impetrat, ut in flumine lavare liceat. Cuſtodibus ergo remotis Tiberim transnatat, fugaque ſibi conſulit. Immemor utique fuiſſe videtur, pro obſide ſe Porſennae datam, aut non ſatis, quae obſides partes ſint, intellexiſſe. Valerius itaque Publicola populusque Romanus hoc minime adprobarunt facinus, ſed ad Porſennam eam remiſerunt, ut auctor eſt Plutarchus. Porſenna ipſe virilem Claeliae laudavit quidem animum, foedus tamen pro rupto ſe habiturum profeſſus eſt, niſi obſes reddatur. (q)

§. LV. Nec tamen, an peccet ſemper, qui fugam arripit obſes, inter ſe conveniunt. Videndum ajunt, num fidem obſes ipſe dederit aut ſua ſponte, aut forte ut laxius haberetur: an contra, nullo intercedente ejusmodi pacto, à civitate fuerit traditus. Si fidem ipſe obſes dederit, eum fu-

 gere

(q) *Florus lib. I. cap. X. Livius lib. II. cap. X. Plutarchus in Valerio Publicola, &c.*

gere non poſſe, manifeſtum eſt. Datam migrare fidem, nefas eſt. Nullo autem ipſe ſe obſtrinxerit pacto, nihil obſtare autumant, quo minus auffugiat: cum non is animus fuiſſe videatur civitatis, alligandi civem, ne fuga ſibi conſuleret. Ita quidem iſti rationes ſubducunt.

§. LVI. Falluntur tamen, perperamque ſentiunt. Civitas enim, cum obſidem tradit, omnino eum obligat, ne auffugiat. Hoc ni faciat, fruſtra obſidem tradere, & agere quid, quod effectu careat, videtur. Hoc ſibi perſuadere, ineptum. Praeterea, ſi obſidem traderet, ut integrum tamen illi eſſet, fugere, tum hoc faceret, aut quod non vellet eum permanere, aut quod eum ad hoc obſtringere non poſſet. Illud non admittas, cum obſes ut fidei pignus certiſſimum tradatur. Alterum prorſus falſum eſt. Si enim civitati ex imperio, quod vocant, eminenti, licet vitam civium periculo exponere, quidni libertatem? quidni liceret eum obſidem dare? Immo ſi hodie mos ille maneret, ea lege obſides tradendi, ut, ni promiſſis ſuis ſtaret civitas, fas eſſet illos interficere, & id per naturae leges facere poſſet civitas.

§. LVII. Quae cum ita ſint, non poſſe excuſari Claeliam virginem, palam eſt. Sive enim conſenſerat in id, ut obſes traderetur, ſive non conſenſerat. Illud ſi fuit, eo minus excuſari poteſt. Sin hoc dicas, jure tamen obſtricta fuit civitati, & ideo manere debuit, quod, quae eam tradidit, id voluerit reſpublica. Incaute ergo nimis, & parum circum-

cumſpecte agunt, qui, quaecunque eis ſe offerunt in hiſtoria Romana, promiſcue laudant.

§. LVIII. Rapidiſſimum procurrentis imperii curſum, parumper Gallorum Senonum incurſio morata eſt. Quod tempus populo Romano utrum clade funeſtius, an virtutum experimentis ſpecioſius fuerit, dubitat Florus. Enituit in eo praecipue virtus M. Manlii, quippe quo duce juventus Romana capitolini martis arcem inſedit, tantaque fortitudine & conſtantia Gallorum inſultus repulit, ut, accepta certa auri ſumma, recedere cogerentur. Sed paulo poſt eundem Manlium, affectati regni reum, tribuni de Saxo Tarpejo dejecerunt. Qua quidem de re Livius, (r) Diodorus Siculus, (s) Aurelius Victor (t), aliique (u) pluribus exponunt.

§. LIX. Id evincendum primo loco erat, criminis, cujus poſtulatus, reum quoque fuiſſe Manlium. Ea de re non immerito dubito, cum dubitare videam ipſum Livium. (x) *Cum dies venit*, inquit, *quae praeter coetus multitudinis ſeditioſasque voces, & largitionem, & fallax indicium, pertinentia propriè ad regni crimen, ab accuſatoribus objecta ſint reo, apud neminem auctorem invenio.* Ingenua confeſſio. Sed nollem, quae ſubjicit, addidiſſet Livius: *nec dubito, haud parva fuiſſe, cum damnandi mora plebi non in cauſa, ſed in loco fuerit.* Perinde enim hoc eſt, ac ſi dixiſſet, quia magno impetu ad eum

(r) *lib. V. cap. XXXVI.* (s) *lib. XIV.* (t) *de viris illuſtribus cap. XXIV.* (u) *Florus lib. I. cap. XIII. Valerius Maximus lib. VI. cap. III.* (x) *l. c.*

damnandum concitata plebs fuit, ideo recte damnatum fuiſſe. Nec una ratione in hoc Manlii judicio peccatum, uti jam oſtenſum eſt ab aliis.

§. LX. Nobis vero id ſaltem revocare ſub examen conſtitutum eſt, an, ſi reus criminis ſit, hoc non, ob maxima ejus in rempublicam merita, illi fuerit remittendum? Ipſum populum Romanum, cum ſuae mox ſeveritatis poeniteret, in hanc fere credo deſcendiſſe ſententiam. Aliam mutatae voluntatis cauſam refert Livius, ſuperſtitionem, cui tamen haec ſubeſſe quodammodo potuit, niſi prorſus innocentem deinceps judicaverit, quod ille tamen non innuit. *Populum brevi poſtquam periculum ab eo nullum erat, per ſe ipſas recordantem virtutes, deſiderium ejus tenuit: peſtilentia etiam brevi conſecuta, nullis occurrentibus tantae cladis cauſis, ex Manliano ſupplicio magnae parti videri orta, violatum capitolium eſſe ſanguine ſervatoris: nec Diis cordi fuiſſe, poenam ejus oblatam prope oculis ſuis, a quo ſua templa erepta e manibus hoſtium eſſent.*

§. LXI. Hugo Grotius, (y) poſtquam contra Stoicos evicit, omnino poenam aliquando remitti aut mitigari poſſe, cauſas, propter quas aliquis a poena legis liberari ſoleat, vel *internas*, vel *externas* eſſe, aſſerit. Internam quidem vocat, eum, ſi non eſt injuſta, dura tamen eſt pœna, ad factum comparata. Ut cum, qui contra mandatum principis feram ceperunt, capitali afficiuntur ſupplicio. Externam autem, quando

(y) *lib. II. de J. B. & P. cap XX. §. 26.*

do reus ex merito, ſive alia re commendatur. Jus itaque aliquando gratiae dandum, & ob inſigne meritum, aut remittendam aut mitigandam poenam, ſtatuit. Eadem in ſententia, ut reliquos nunc taceam, verſatur Cicero (z) *Oportet eum, qui ſibi ignoſcatur poſtulat, commemorare ſi qua ſua poterit beneficia: & oſtendere, ea majora eſſe, quam haec, quae deliquerit, ut plus ab eo boni, quam mali profectum eſſe videatur. Deinde majorum ſuorum beneficia, ſi qua extabunt, proferre* &c. Exemplis praeterea conſtat, etiam apud Romanos quandoque jus gratiae datum, virtutisque & meritorum majorem habitam fuiſſe rationem, quam delicti.

§. LXII. Reclamant prudentiae civilis magiſtri (*a*) Aequum eſſe, ut magnorum virorum praemiis compenſentur praeclara facinora. Ut poenae remiſſione aut mitigatione compenſentur, tam iniquum eſſe, quam id noxium reipublicae. Non poſſe ſancte ſatis cuſtodiri leges. Vel unicum impune migratae legis exemplum ſatis eſſe, ut evileſcat, vimque omnem amittat ac auctoritatem. Rempublicam autem tamdiu ſalvam eſſe, quamdiu legibus ſua conſtet auctoritas. Idque eo magis, quando crimen ad ea pertinet, quibus jura reipublicae continentur, de quibus violandis vel cogitare nefas. Recte ergo punitum Manlium: nec enim tanti fuiſſe, non compenſare merita, quanti fuerit, non punire vel

Aa a 3 co-

(z) *de invent. lib. III.* (a) *Scipio Amiratus diſſert. politic. lib. II. diſcurſ. VII. Machiavelius diſcurſ in Liv. lib. I. cap. XXIV.*

cogitatum facinus, quod perniciem afferre reipublicae potuiſſet.

§. LXIII. Expediri itaque res ea ratione poteſt, ut à divinis humanas diſcernamus leges. In illis, quae a Deo ipſo conſtitutae ſunt poenae, modo conſtitutae ſunt, ab hominibus tolli aut mitigari nequeunt: In humanis ad cauſam rationemque legis, cumprimis ad ſalutem incolumitatemque reipublicae reſpiciendum eſt. Si ratio, quae ſanctiſſime obſervari legem jubet, ceſſet, nihil obſtat, quo minus remitti poena queat, idque tum eo magis, ſi praeclara ejus, qui deliquit, merita accedant. Hinc & Hugo Grotius, (*b*) cum dixiſſet, ob meritum remitti poenam poſſe, recte addit: *quod cauſae genus tum maxime ſufficiet, ſi ratio legis, ſaltem particulariter ceſſet, in facto, de quo agitur*. Idem vero de commodo & ſalute reipublicae cenſendum. Ob hanc enim tantum cum & leges & poenae conſtitutae ſint, oppido inhumanum eſſet, punire bene meritum, licet hoc reipublicae non magnopere proſit, aut ad ejus etiam conſervationem non ſit neceſſarium. Et haec quidem omnia ſedulo conſideranda ſunt, ſi de Manlio ferre ſententiam velimus. Ego quidem, ſi nocens fuit, recte punitum non dubito, cum nec merita ejus tum delicti gravitatem aequaſſent, & reipublicae ratio omnino ejusmodi poenam exegiſſet.

§. LXIV. Devicta & ſubjugata Italia, ad exteras gentes transferre arma placuit. Obſtabant

(*b*) *l. c.*

ſtabant cumprimis Carthaginienſes. Atrociſſima hinc inter hos & Romanos exarſere bella. Quid mirum? Eodem namque tempore pares utrique & votis, & viribus, imperium orbis agitabant. Et in primo quidem bello Punico immortale adeptus eſt nomen M. Attilius Regulus. Hoc duce proſpera initio omnia ac fauſta Romanis. Sed a Xanthippo tandem Lacedaemoniorum duce; quem Carthaginienſes accerſiverant, victi praelio Romani, duxque ipſe captus. Sed hic quidem par tantae calamitati fuit. Romam namque miſſus, diverſa, quam hoſtes mandaverunt, cenſuit, ne pax fieret, ne commutatio captivorum reciperetur. Rediit deinde, ut hoſti quoque datam ſervaret fidem, Carthaginem, ne quicquam aut carceris Punici moleſtiam, aut crucis ſupplicium metuens. Sunt, qui reſectis palpebris, & in machina illigatum, vigilando enecatum dicunt. (c)

§. LXV. Hunc M. Attilium Regulum itaque maximis in coelum evehunt laudibus Romani ſcriptores. Nec immerito, ſi quod ex laudis & gloriae cupiditate profectum, ſimulque ad certiſſimnm opprobrium declinandum comparatum fuit, laudem meretur. Licet enim nonnullis parum conſulto, pacem Romanis, & captivorum reſtitutionem diſſuadendo, & ſe ipſum vita, &

 rem-

(c) *Florus lib. II. cap. II. Valerius Maximus lib. I. cap. I. & lib. IX. cap. II. A. Gellius N. A. lib. VI. cap. II. & IV. Cicero officior. lib. I. cap. XIII. Auguſtinus de C. D. lib. I. cap. XV.*

rempublicam bono cive & duce privaſſe videatur: nihiloſecius tamen, poſtquam Romanis conſtitutum erat, utrumque denegare Carthaginienſibus, recte quidem fecit, dum ad vincula rediit. Idque non ideo, quod pulchrum ſit, *memorabilem & in opere virtutis mori*, quae quorundam eſt ſententia, ſed quia ſidem dederat, quam hoſti etiam ſervandam ratio jubet. Clariſſime hoc demonſtrat Hugo Grotius, qui & hoc ipſo Reguli exemplo utitur, & eum non glorioſe ſaltem, ſed illud, quod facere debebat, feciſſe, recte pronunciat. (*d*) Accedit, quod fidem datam jurejurando confirmavit, quod ſancte eſſe ſervandum, & ratio dictitat, & communia ſaniorum gentium ſuffragia teſtantur. Non deerant equidem, qui *poſtliminii* praetextum oſtenderent, perjurii nexum & religionem hoc ipſo demere cupientes: (*e*) ſed Regulus *ſolidioris ſapientiae placita tenuit*, ut Jo. Henricus Boeclerus loquitur; (*f*) (an ſatis accurate, videant alii) *& ad ſupplicia reverti, quum diſſolvere religionem maluit.*

§. LXVI. Praeterea ad commendandum Reguli facinus pertinet, quod captivorum redemptio non ſalutaris patriae ſit, & plurima ſecum incommoda vehat. Ea ſummatim, Reguli exemplum exhibens, complectitur Horatius: (*g*)

Hoc

(*d*) *lib. III. cap. XXIII. §. VI.* (*e*) *vid. Eutropius lib. II. & metaphraſis Paeanii.* (*f*) *in milite captiva pag.* 15. (*g*) *Horatius carm. lib. III. ode V.*

Hoc caverat mens provida Reguli,
Diſſentientis conditionibus
Foedis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum.
Si non periret immiſerabilis
Captiva pubes &c.

Et paucis interjectis:

Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum. Neque amiſſos colores
Lana refert, medicata fuco.
Nec vera virtus, cum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners timuitque mortem.

Sed quantacunque ea commoda ſint, majus tamen eſt incommodum, quod haud raro optimis fortiſſimisque civibus respublica privetur, ſi redemtio captivorum locum non inveniat. Accedit, quod & iniquum & inhumanum ſit, milites, haud raro praeter omnem culpam ſuam eo deductos, hoſtium arbitrio permittere. Quam ob rem in Reguli facinore haec ſedulo ſunt diſcernenda, quod fidem datam ſervaverit, & quod liberationem ex captivitate reſpuerit. Prius haud dubio laudandum. Poſterius tum demum, ſi plane e re civitatis Romanae fuerit, ejusque in eo conſtiterit ſalus, ut traderent potius Regulum Carthaginienſium furori, quam

quam aut pacem cum eis facerent, aut captivos permutarent.

§. LXVII. Licuitne ergo Carthaginienſibus tanta ſaevitia uti erga Regulum? Ego quidem, minime licuiſſe, arbitror. Aut enim ob delictum eum puniverunt, aut ex captivitatis jure. Commiſiſſe Regulum, quod poena aut animadverſione dignum, ego non invenio. Fortitudo & fides in patriam, ſuamque rempublicam, in hoſte quoque laudanda, non punienda erat. Nec quod captivus eſſet, puniri poterat. Licet utique belli jure, hoſtem, ſive miles is gregarius, ſive belli dux ſit, quamdiu nobis nocere poteſt, interficere. Hoc & finis & ratio belli requirit. Poſtquam captus eſt, & jam abductus, cum omnes nocendi vires ei jam tum ademptae ſint, egoque non intelligam, quo pacto ex militis aut ducis caede tunc ad bellum finiendum aliquod momentum accedere queat, ſummum nefas eſſe arbitror, aut vitam illis eripere, aut alia quacunque ratione in illos ſaevire. Mores itaque cultiorum gentium, captivos cuſtodientium, donec aut redimantur, aut cum aliis permutentur, plane ratione convenientes arbitror. Sed permutationem diſſuaſerat Regulus? Ergo poterat & debebat retineri in captivitate: puniri ideo non poterat. Nec enim ad ſummam belli quidquam hoc ipſo proficiebant Carthaginienſes. Accedebat modus ſupplicii, cum barbara crudelitate conjunctus, & adeo ab humanitate, quam ratio ſuadet & jubet, alienus.

§. LXVIII.

§. LXVIII. In ſecundo bello punico Romanos ad incitas fere redegit Annibal, Carthaginienſium dux fortiſſimus. Hunc adhuc puerum pater Hamilcar ad aram jurare juſſit, quod nunquam cum Romanis in amicitia eſſe vellet. Rem pluribus exponunt Polybius, (*h*) Livius, (*i*) Appianus, (*k*) Valerius Maximus, (*l*) alii. (*m*) Et Annibal quidem religioſiſſime illud obſervavit, dum inimicum erga Romanos animum non niſi cum vita poſuit. Id quod tum res ab eo geſtae docent, tum confeſſio ad Antiochum regem evincit, comprobatque. Rectene autem pater ad illud eum induxerit jusjurandum, & an eodem obſtrictus fuerit, jure dubites.

§. LXIX. Nullum vinculum ad adſtringendam fidem arctius jurejurando ipſi ethnici cenſuerunt, ut locuples teſtis eſt Tullius. (*n*) Nec id quidem immerito. Simul tamen conſtat, poſſe homines, imprudenter & incaute jurejurando ſe obſtringendo, in eam ſe conjicere conditionem, incertum ut dubiumque ſit, turpiusne ſit, jurisjurandi inſuper habere religionem, quam perficere ad quae nos obſtrinximus. Hic ergo, quid facto opus, quae ineunda ſit via, id quidem eſt, de quo diſquiſitio ſubinde inſtituitur.

§. LXX. Nos tantiſper ponimus, quod ab aliis evictum eſt, & demonſtratum, jusjurandum per ſe non producere novam obligatio-

(h) lib. III. cap. XIII. (i) lib XXI. cap. I. (k) in Annibalicis. (l) lib. IX. cap. III. (m) Silius Italicus. l. 77. Florus lib. II. cap. VI. (n) lib. I. de offic. p. m. 50.

gationem, ſed ei, quae jam antea aderat, adceſſorium velut vinculum ſupervenire, eamque confirmare. Dum enim juramus, ſupponimus aliquid, quo non praeſtito, divinam in nos provocamus poenam. Atque ineptum hoc eſſet, niſi illicitum foret, non praeſtare id quod ſupponitur, adeoque niſi jam antea obligaremur. Quod non ſatis ſecum perpendit Hugo Grotius (*o*) qui omnino duplicem obligationem ex jurejurando enaſci arbitratur. Nam & Deo & homini jus quoddam inde acquiri, contendit. Perperam quidem, Non Deo, quia, qui jurat, nihil Deo, ſed hominibus promittit: licet Deum ut teſtem & vindicem invocet. Nec enim obligatio, quam Deus ut ſupremus imperans omnibus ad obſequendum ſibi imponit, confundenda cum ea, qua alteri ad aliquid praeſtandum ex promiſſi lege tenemur. Non homini, quia promiſſum jam adeſſe debet, cujus tantum per jusjurandum confirmatur obligatio. Ex quo & ſua ſponte conſequitur, ſi quid promiſimus, quod in viribus noſtris poſitum non eſt, aut ſine crimine promitti & perpetrari nequit, tum quidem nec jurejurando, ſi acceſſerit, nos obſtringi.

§. LXXI. In eo, quo Annibal ſe obſtrinxit, jurejurando, hæc omnia ſollicite ſunt conſideranda. Non dicam, juraſſe puerum, rationis uſu forte non usquequaque valentem, immo patris auctoritate & inſigni cupiditate, patrem ad bellum proficiſcentem co-

(*o*) *lib. II. cap. XIII.*

comitandi, praepeditum: quanquam nec haec contemnenda ſint, & ut jurijurando ſua decedat efficacia, multum conferant. Hoc ſaltem aſſero, non potuiſſe ſine crimine aut exigere talia a filio Hamilcarem, aut promittere Annibalem. Bella non ſunt gerenda ex odio, ſed ex reipublicae commodo ac neceſſitate. Sine cauſa juſta ſe populi cujusdam hoſtem profiteri, ſaltem ut hoſtes ſimus, id quidem & barbarum eſt, & atrox, & cum clariſſima naturae lege, alterum non laedendum, niſi idem & nos laeſerit, è diametro pugnat. Quare ut graviſſime uterque peccavit, in re iniqua jusjurandum aut exigendo aut praeſtando, ita Annibal eodem obſtrictus non fuit. Immo gravius peccavit, & perficiendo, quae ſaltem promittere nefas erat, quam jurisjurandi ſi migraſſet religionem, cujus nulla efficacia erat, nullum vinculum.

§. LXXII. Sed aliud adhuc in hiſtoria Annibalis occurrit, quod nobis plane praetermittendum non eſt. Ex patria in exilium ejectum, cum per varia regna provinciasque erraſſet, excepit tandem Bythyniae rex Pruſias. Romani, poſtquam hoc intellexerunt, à rege petierunt, ne hominem ſibi inimiciſſimum ſecum haberet, ſed eum ut dederet. Pruſias jus hoſpitii non violaturus, ſe quidem dedere poſſe Annibalem negavit, permiſit tamen, ut Romani, ſi poſſent, eum caperent. (*p*)

§. LXXIII. Ut civitas aut princeps civem ſuum,

(*p*) *Cornelius Nepos in vita Annibalis cap. XII.*

ſuum, ſibique ſubjectum, ab alia civitate, ad quam forte ſe recepit, dedi ſibi poſtulet, ſi quidem is deliquit, infrequens non eſt. Ratio quoque jubet, ut, qui ad nos poenam declinaturus confugit, aut puniatur à nobis, aut dedatur. Id vero inſolens videri alicui poterat, hoſtem, qui civis noſter non eſt, ab alio, ad quem ſe recepit, poſtulare. Nec tamen exempla deſunt. Samſonem ſibi tradi ab Ebraeis poſtularunt Philiſtaei: (*q*) Fabiosque à Romanis ſibi dedi, poſtularunt Galli, (*r*) ut reliqua, Hugoni Grotio (*s*) commemorata, taceam.

§. LXXIV. Sane quidem ad poenam hoſtis expeti nequit. Punire aliquem, qui noſtro non ſubjectus eſt imperio, nefas eſt. Perſequi hoſtem, ubicunque degat, licet. Cumque illi, quibuscum nobis nulla intercedunt bella, ſuas regiones armis turbari, aegre ferant: nihil amplius ſupereſt, quam ut tradant ipſi, cui nocendi adimi vires, noſtra intereſt magnopere. Annibal ergo ut ſibi traderetur, recte petierunt Romani. Num Pruſias recte denegavit? Obſtabat, fateor, hoſpitii jus. Aſt magis hominum generis intereſt, ut coërceantur, qui iniqui in alios ſunt, & bella injuſta movent, quam ut hoſpitii non violentur jura. Et revera, hoc jam violaverat Pruſias, permittendo Romanis, ut, ſi poſſent, Annibalem caperent.

§. LXXV. Ad illuſtre nunc Romanae hiſtoriae

(*q*) *Judic. XV.* (*r*) *Livius lib. XXXVIII. cap. XIX.*
(*s*) *lib. II. cap. XXI. §. IV.*

ſtoriae caput devolvimur, quod ampliſſimum diſceptandi argumentum viris doctis praebuit, *ſponſionem Caudinam*. Occaſionem huic dedit bellum Samniticum. Clauſo enim per inſidias intra ſaltum, unde non poſſet evadere, exercitu, ſtupens occaſione tanta dux hoſtium Pontius, Herennium patrem conſuluit: & hic, mitteret omnes, vel occideret, ſapienter, ut ſenior, ſuaſerat. Ille armis exutos mittere ſub jugum maluit, & hoc cum ſubiiſſent, tum eos ſe dimiſſurum edixit, ſi in aequas victis & victoribus paces conſentirent. Si agro Samnitium decederetur, coloniae abducerentur, ſuis deinde legibus Romanum ac Samnitem, aequo foedere victurum. Conſentiunt, urgente neceſſitate, tandem Romani exercitus praefecti, ſpoſponderuntque conſules T. Veturius & Sp. Poſthumius legati, tribuni militum, obſides etiam ſexcenti equites fuere dati, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur. At cum Romam veniſſent, deque hac pace deliberatio in ſenatu inſtitueretur, auctor fuit ipſe Poſthumius, ut cum reliquis ſponſoribus ipſe Samnitibus dederetur, populum enim ex hac ſponſione neutiquam obligari: adprobante hoc conſilium populo, tribunis fruſtra retinentibus. Immo cum deditio à feciali Samnitibus fieret, Poſthumius femur fecialis genu, quanta maxime poterat, vi percutit, & clara voce ait: ſe Samnitem civem eſſe, illum legatum, fecialem à ſe contra jus gentium violatum, eo juſtius bellum geſturos. Hinc nova belli

cauſa, quod Papyrio duce geſtum eſt. (*t*)

§. LXXVI. Celebratur hoc Poſthumii facinus paſſim. Nec enim Romani ſcriptores ullam temere occaſionem, ſuorum facta, quantumvis turpia, aut praedicandi, aut excuſandi praetermittunt. Magnifice, ut Florus cenſet, conſules voluntaria deditione turpitudinem foederis dirimunt. Sed aliter forte pronunciabit, qui praejudicatis, quae mentem obſident, procul remotis opinionibus, rem omnem conſideraverit. Quod ut recte fiat, ponere tantisper, quae de ſponſionibus, harumque à foederibus diſcrimine, ſapientiae magiſtri docent, extra controverſiam liceat, cum nota ſatis ſint & dubio careant. A foederibus namque in eo ſponſiones, ut hic vocem capimus, differunt, quod illa ab ipſis ſummis imperantibus percutiantur, iisdemque adeo obſtringantur; hae autem ab imperantium ineantur miniſtris, qui & ad id, quod polliciti ſunt, praeſtandum ſoli ſunt obſtricti, niſi imperantis deinceps quacunque ratione accedat conſenſus, aut aliud forte obligationis, qua & is teneatur, ſubſit vinculum. (*u*)

§. LXXVII. Praeterea & illud dubio caret, potuiſſe conſulibus Romanis, qui duxerunt exercitum, iſtam pactionem, parum profecto populo Romano honorificam, imputari. Sua enim omnino imprudentia in iſtas difficultates conjecerant exercitum Ro-

(*t*) *Livius lib. IX. cap. I. ſeqq. Florus lib. I. cap XVI. Cicero de offic. lib. III. p. m. 248. Eutropius lib. II. &c.*
(*u*) *vid. Grotius lib. II. cap. XV. §. XVI.*

Romanum, ut illi aut pereundum prorſus, aut maxima cum ignominia jugum ſubeundum eſſet. Dum vero Poſthumius, in ſenatu verba faciens, ſe omiſſurum eſſe defenſionem ſuam profitetur, *quamvis ea non difficillima eſſet, apud non ignaros fortunarum humanarum neceſſitatumque*, (*x*) lepidos illos imitatus videtur diſputatores, qui, cum argumentum affertur, ad quod reſpondere nequeunt, hoc ne dignum quidem eſſe, ajunt, in quo ingenii periclitentur vires, facilique poſſe refelli negotio.

§. LXXVIII. Jam quid ſpoponderint, videndum. Id autem facile colligas ex conditionibus, à Pontio & Samnitibus propoſitis, licet diſerte non commemoretur à Livio. Pacem ſcilicet petierunt conſules à Samnitibus conditionibus aequis. Has recuſaverat Pontius, praeſcriptis aliis. In has cum injuſſu populi Romani conſentire conſules non poſſent, hoc tamen promittere poterant, ſe curaturos, ut pax iis conditionibus à Romanis iniretur. Et hoc etiam polliciti ſunt ea ſponſione; ad hoc ergo etiam obligabantur. Num vero praeſtiterunt? Omnium minime Sp. Poſthumius. Namque ceteri ſponſores, vel inviti ut ſententiae Poſthumii ſubſcriberent, coacti ſunt: nec eo tamen excuſandi prorſus, cum ex promiſſi ſui ratione, ad impediendam deditionem, pacem contra promovendam, plane fuerint obſtricti. Poſthumius vero diſerte, contra datam fidem, pacem diſſuaſit, auctorque prae-

(*x*) *Vid. Livius lib. IX. cap. VII.*

cipuus populo Romano fuit, iſtud ut abrumperetur foedus. Hocce autem erat, omnem adhibere operam, ut iſtud quod ſpoſponderat, ratum eſſet populo Romano? (y)

§. LXXIX. Quod vero etiam lepido ſtratagemate, ut illi quidem videbatur, perfidiae crimen transferre in Samnites Poſthumius voluit, id vero ejusmodi eſt, ut mirer maximopere, in populo gravitatis & ſapientiae laudem tanta contentione affectante extitiſſe, qui tam puerilibus ineptiis, & Numini & hominibus illudere, in animum inducere potuerunt. Deditus erat Samnitibus, ergo ſtatim civis; percuſſit legatum, ergo Samnitibus ob legati violatam ſanctitatem inferre arma fas erat? Scilicet. Commentus tamen aliquid eſt Albericus Gentilis (z) ad Poſthumii cauſam agendam: *Nec tamen, aut illa Poſthumii dediti ludibria ſunt, ut Picene, credis: ille enim aut ſe confecturum foedus promiſit, aut dedititium futurum Samnitum, quae conventio & ex parte iſtorum ſtat, qui habituros eum dedititium ſimul ſtipulati intelligentur. Et ergo illorum erat Poſthumius.* Sed cum ipſe Albericus, quam haec omni robore deſtituerentur, intelligeret, tandem ad ſtratagemata ſe recepit. Hoc vero eſt, ineptias ineptiis defendere.

§. LXXX. Ita ergo, cum conſtet, ſponſores, etiam in deditionem ſuam conſentiendo,

(y) *add. Chriſtiani Thomaſii diſp. de ſponſione Caudina, quae ſexta eſt inter Lipſienſes, §. LV. ſeqq.* (z) *lib. II. cap. VI. p. 167.*

endo, fidem tamen ſuam non liberaſſe: de populo Romano nunc quaeri poſſet, an facta deditione ad nihil aliud fuerit obſtrictus? Ita quidem praeter Albericum Gentilem, aliosque, exiſtimat Hugo Grotius, (*a*) hac ratione inductus, quod populus Romanus in iſtam pactionem non conſenſerit. Quae ipſa ratio eo magis probabit, milites ſaltem ſuam nondum liberaſſe hoc modo fidem, cum eos omnino conſenſiſſe conſtet. Sed quicquid hujus ſit, contra Romanos pronunciat Samuel Pufendorfius. (*b*) Sane quidem non conſenſerat populus Romanus: & hactenus vera erant, quae proferebat Poſthumius: (*c*) *Civem neminem pro nobis ſpondere juſſiſtis: nihil ergo vobis, nec nobiscum eſt, quibus nihil mandaſtis, nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis.* Non ergo ex conſenſu obligabatur: bene tamen ex alio capite. Eſt hoc inter prima atque praecipua juris naturalis ſcita, neminem debere locupletem fieri cum damno alterius: aequitati enim naturali hoc manifeſto repugnat. Lucrum ingens profecto, maximumque ad Romanos inde redundaverat commodum, quod exercitum integrum, ſalvum, incolumemque recepiſſent. Hoc ergo cum lubenti animo acciperent commodum, debebant etiam adprobare ſponſionem, ne hac irrita facta, maximum contra incommodum redundaret in Samnites. Et hoc Samnitium etiam dux Pontius urgebat: *Si populum Romanum ſpon-*

 ſio-

(*a*) *l. c.* (*b*) *de J. N & G lib. VIII. cap. IX. §. XII.*
(*c*) *apud Livium lib. IX. cap. IX.*

ſionis ad furculas Caudinas factae poenitet, reſtituat legiones intra ſaltum, quo ſeptae fuerunt, nemo quemquam deceperit, omnia pro infecto ſint, &c. (*d*) Accedebat, quod ipſa ſponſio nihil iniqui continebat, adeoque nulla erat cauſa, quo minus eam ratam eſſe vellet populus Romanus. Ceterum quae Albericus Gentilis (*e*) hic diſſerit, de reſtitutione in integrum, quam fieri à Romanis non potuiſſe contendit, huc plane non faciunt. Namque nec Pontius aut Samnites hoc poſtulabant, nec neceſſaria ea erat, cum à Romanis nihil amplius exigebatur, quam ut ſponſionem conſulum ratam eſſe juberent. Ignominiam autem exercitus pro damno & caſu bellico interpretari debebant: eamque, imprudentiam ducum puniendo potius, quam irritam reddendo ſponſionem, vindicare ſatius fuiſſet.

§. LXXXI. Non multum ab hoc exemplo abeſt ſponſio Numantina. Non temere, ut ipſe fatetur Florus, ullius belli cauſa injuſtior, quam quod contra Numantinos geſſerunt Romani. Segulenſes, ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos, exceperant. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Ad bellum res venit: tandemque Hoſtilium Mancinum aſſiduis caedibus ita ſubegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam ſuſtineret. Tamen cum hoc quoque foedus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad interne-

(*d*) *Livius lib. IX. cap. XI.* (*e*) *lib. II. cap. VI. pag. 165. ſeq.*

necionem ſaevire potuiſſent. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius foederis, flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem praeſentis flagitii *deditione Mancini* expiavit, ſi Floro credimus. (*f*) Hoc ſcilicet expiare erat, ſi ſponſores dederent. Aſt vero & hic ad pactum potius ſervandum adſtrictos fuiſſe Romanos, per ſe patet. Eadem enim hic plane ratio, ac in ſponſione Caudina. Aut ſi quód diſcrimen intercedit, id ad augendam Romanorum perfidiam comparatum eſt. Cajus equidem Hoſtilius Mancinus bona fide egit, eoque nomine longe praeferendus eſt Poſthumio, qui datam fidem multis modis violavit. Romani autem longe turpius hic ſe geſſerunt, quam in Caudina ſponſione. In hac namque graviſſima affecti erant ignominia, cum Numantini contra exercitum Romanum, quem perdere poterant, non incolumem modo, ſed & ſine ulla ignominia dimiſiſſent, immo Tiberium Gracchum magna humanitate, poſt initam ſponſionem, excepiſſent. Romani, cum re vera beneficium Numantinorum & humanitatem agnoſcere debuiſſent, & ex hoc quoque capite, ut ratam juberent ſponſionem, obſtricti eſſent, non modo eam non ſervarunt, ſed ſolius Mancini deditione ſe fidem ſuam liberaſſe putabant, cum tamen

 prae-

(*f*) *Florus lib. cap. XVIII. Epitome Livii lib. LVII. ſeqq. Eutropius lib. IV. cap. III. Vellejus Paterculus lib. II. cap. IV. Oroſius lib. V. &c.*

praeterea Gracchus, & honeſtiſſimus quisque Romani exercitus, inter ſponſores eſſent. (g) Perfidiae & injuſtitiae addiderunt crudelitatem. Duce enim Scipione, repuditatis quibusvis conditionibus, quantumvis aequis, Numantinam prorſus delevere gentem.

§. LXXXII. Sed ipſa tandem nunc Romanorum conſideranda ſunt bella, ſummatimque & velut per compendium, de illorum aut juſtitia, aut injuſtitia, dicendum. Nec aliorum judiciis recenſendis immorabor, cum nec deſint, qui & juſtitiam in illis laudaverint, & vituperaverint injuſtitiam. Saltem illud, quod Albericus Gentilis profeſſus eſt, non poſſum non meum facere: *Nos, in ultimo temporum poſiti, mala Romanorum ſcire non poſſumus, niſi per eos, qui laudavere Romanos. Sed intelligimus tamen, quam valde multa injuſta fuerint Romanorum facta, qui videmus, emanaſſe non pauca injuſtiſſima in tanto ſtudio laudandi.* (h) Eo minus autem iniquitatis erga Romanos aliquis nos arguet, qui pleraque illorum bella injuſtiſſime fuiſſe demonſtrabimus: cum geſta cuncta fuiſſe tantisper ſupponamus, prout illorum ſcriptores, in ſuae gentis laudem tam vehementer proni, illa exhibent; de juſtitia autem & injuſtitia, ex naturae, quas omnes admittunt, legibus decernamus. Ju-

(g) conf. Chriſtiani Thomaſii diſſertat. de ſponſione Romanorum Numantina, quae eſt inter Lipſienſes XIV. (h) lib. I. cap. VII. p. 41.

Juvabit autem primo de cauſis bellorum, tum vero & de modo, quo ea geſſerunt, diſpicere. Contingere namque poteſt, ut, qui cauſam juſtam habet arma alteri inferendi, in modo tamen multiplici ratione peccet. Id quod jam Hugoni Grotio, aliisque, obſervatum eſt.

§. LXXXIII. De bellis, quae ſub regibus geſta ſunt, exiſtimare forte aliquis poſſet; iis, ſi cauſam ſpectes, juſtitiam non defuiſſe. Non tantum quod Romani ſcriptores omnibus perſuaſum cupiant, ad defenſionem ſaltem ea fuiſſe geſta, ſed & quod ex ipſo ſtatu populi Romani, pariter ac ex aemulatione atque invidia gentium vicinarum, idem probabili quadam ratione colligi poſſe videatur. Sed accuratius tamen cuncta penſitantes aliter forte pronunciabunt. Id quod vel ejus belli, quod cum Albanis geſſerunt Romani, exemplo, comprobari poteſt. De Tullo Hoſtilio Livius: (i) *Hic non ſolum proximo regi diſſimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit: tum aetas, viresque, tum avita quoque gloria animum ſtimulabat. Seneſcere igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quaerebat.* En veram belli Albani cauſam! ambitionem regis, & ne civitas otio ſeneſceret. Nihil ineptius aut futilius cogitari poterat, quam quae ad haec diluenda congerit Albericus Gentilis. (k) Feciſſe eum, ait, ad quod natura omnes ducit: ideoque excuſandum. *Naturae paremus omnes: à natura non datas*

 vires

(i) *lib. I. cap. XXII.* (k) *lib. II. cap. III. p. 126.*

vires fruſtra, intelligimus omnes. Scilicet hoc probandum erat, recte facere, qui naturae ad prava ducenti pareat. Viribus à natura conceſſis utendum, non ut lubet, ſed ut licet. Sed accipe belli *πρόφασιν*. (*l*) Forte evenit, ut agreſtes Romani, ex Albano agro, Albani ex Romano, praedas invicem agerent. Utriusque legati fere ſub idem tempus ad res repetendas miſſi. Nihil aliud tum Tullus agebat, quam ut prius indicti Albanis belli gloriam referret. De reddendis, quae Albanorum erant, aut ferio, quae Romanorum erant, repetendis, ne cogitabat quidem. Bellum ſaltem cupiebat: de cauſa, juſtane, an injuſta, parum ſollicitus.

§. LXXXIV. Pulſis ex urbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Porſenna namque Etruſcorum rex reducere Tarquinios, regnumque illis reſtituere, in animum induxerat. Tarquinii ſane, quas poterant, gentes contra Romanos excitabant: poteratque vicinis haec perquam opportuna videri occaſio, creſcentum Romanorum imminuendi poteſtatem. De hoc autem bello ſtatuendum ex iis omnino eſt, quae ſupra de Tarquiniorum expulſione diſputavimus. Praeter fas enim, ſi eos à Romanis ejectos dicas, licuit profecto vicinis gentibus, ad eos reducendos arma jungere. Nihil enim laudabilius, quam innocenti ſuppetias ferre, & iniquos populi adverſus imperantes legitimos auſus coercere. Sin ſua culpa a-

mi-

(*l*) *vid. Livius l. c.*

miſerunt regnum Tarquinii, perperam quidem Etruſci ceterique illorum egerunt cauſam: Romaniſque, quod vim vi repulerint, vitio verti non poteſt. Latini belli initio eadem cauſa fuit. *Latini quoque*, inquit Florus, (m) *Tarquinios aſſerebant, aemulatione & invidia, ut populus, qui foris dominabatur, ſaltem domi ſerviret.* Pro Latinis dici poſſet, non aemulatione & invidia, ſed juſto metu, ne à Romanis opprimerentur, arma eos induiſſe. Quicquid hujus ſit. Eadem hic, quae in priori, cum Etruſcis, bello, recurrit ratio, idemque adeo & de hujus belli, pronunciandum eſt juſtitia. Mutata tamen & deinde belli cauſa eſt, Latinis contra injuſtiſſimas Romanorum invaſiones, ad ſui defenſionem, arma corripere coactis. Id quod non diſſimulat Florus (n) *Hactenus*, inquit, *pro libertate, mox de finibus cum iisdem Latinis aſſidue & ſine intermiſſione pugnatum eſt.* Inſtituta ac indolem reipublicae Romanae plane ignoret neceſſe eſt, qui ſibi perſuaſerit, pro finibus defendendis Romanos pugnaſſe contra Latinos, & non potius his ſuorum finium defendendorum à Romanis impoſitam fuiſſe neceſſitatem.

§. LXXXV. De Aequis, Volſcisque, qui Latinorum pervicaciſſimi Romanis ſcriptoribus audiunt, ſpeciatim dicere nihil attinet. Pugnatum deinceps cum Veientibus, Faliſcis, Fidenatibus fuit. Cauſam facile eandem cum ea, quae Latinos cum Romanis commiſit, ſuſpiceris. Etenim ſi vel maxime

(m) lib. I, cap. XI. (n) l. c.

hi populi laceſſiverunt Romanos, quod ex horum colligas hiſtoricis, modo laceſſiverunt, praeſentiſſimo ut ſe eriperent ſervitutis certiſſimae periculo, hoc eos feciſſe, ut credam, animum facile induco meum. Non equidem neſcio, metum ex vicina potentia ad defenſionem rite inſtituendam non ſufficere, idque recte docet Hugo Grotius, (o) ſed hoc de metu qualicunque & incerto intelligendum eſſe, cum aliis idem Grotius docet. (p) Cum contra, *ſi non tantum de potentia, ſed & de animo conſtet, & quidem ita conſtet, ut certum id ſit ea certitudine, quae in morali materia locum habet*, omnino fas ſit, ſuae defenſionis cauſa arma corripere. Atque ita quin res ſe plerumque habuerit in illis bellis, quae cum vicinis geſſerunt Romani, ego nullus dubito.

§. LXXXVI. Bellum Gallicum ſequitur, a Romanis pro ſociorum defenſione ſuſceptum. Cluſium obſidebant Galli. Pro ſociis ac foederatis intervenit populus Romanus, miſſis ex more legatis. *Sed quod jus apud Barbaros? ferocius agunt; inde certamen.* Ita Florus. (q) Ex quo colligas, quod non ſtatim Romanis obediverint Galli, id vero his ſcriptoribus erat *ferociter agere*, ab illis arma fuiſſe correpta. Quicquid hujus ſit, ſociorum cauſam armis tueri, honeſtum ac laudabile eſt. Satis hoc evicit Hugo Grotius. (r) Laudanda ergo hic Romanorum fuerint arma, ſi

(o) *lib. II. cap. I. §. V.* (p) *lib. II. cap. XXII §. V.*
(q) *lib. I. cap. XIII.* (r) *lib. II. cap. XXVI.*

ſi ſociorum cauſa ea corripuerunt. Nec vertendum iis vitio, quod, clade graviſſima accepta, deinceps pro ſalute dimicarunt contra Gallos. De Camilli autem facinore, qui, cum pace inita diſcederent Galli, ſubito à tergo eos adortus adeo caecidit, ut omnia incendiorum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deferet, aliter eſt pronunciandum. Perfidia enim facto inerat manifeſta, quae nullis, quantumvis conquiſitis coloribus, tegi aut excuſari poteſt. Quae vero pro eo defendendo in medium affert Albericus Gentilis, (s) tam jejuna, tam frigida ſunt, ut cordatioribus gravedinem moveant atque tuſſim. Florus (t) nimirum, ut ſpeciem juſtitiae conciliaret huic facinori, Gallos *addito ad iniqua pondera gladio, ſuperbe, victis increpaſſe*, ait. Ex quo Albericus Gentilis colligit, primos foedus rupiſſe Gallos. Mea vero opinione fœdus rumpit, qui non ſtat conditionibus foederis. At ſteterunt Galli. Militarem autem iſtam jactantiam & oſtentationem, quis ſtatim pro rupti foederis haberet argumento? Plane lepidum eſt, quod idem Gentilis porro addit, ut evincat, pacem à Romanis initam non pertinuiſſe ad Camillum: *Non hic decipiuntur Galli, non alii. Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus, aut ſibi imputet, inquit lex. Sibi Galli imputent, ſi obſidio ſua jam fatigati receſſum ſic venditarunt, nec de qualitate emptorum quaeſiere.*

(s) *lib. II. cap. VI. pag.* 163. (t) *lib. I. cap. XIII.*

fiere. Multa hic perperam congerit Albericus. Etenim cum ſumma rerum, adeoque & facultas paciſcendi penes populum Romanum fuerit, & Camillus ut civis Romanus hic conſiderari debeat, manifeſtum eſt, tum reliquos cives, tum ipſum etiam Camillum hoc foedere fuiſſe obſtrictum. Promiſſo enim civitatis, vel eorum, qui civitatem repraeſentant, omnes etiam ac ſingulos teneri cives, quis dubitaret? Et qui aliter ſuſpicari poterant Galli? Hinc & non tenebantur in *qualitatem emptorum* ulterius inquirere, quia cum illis paciſcebantur, qui & gaudebant paciſcendi poteſtate, & eam prae ſe ferebant. Sin Romani paciſcendi poteſtatem finxerunt, qua tamen gaviſi non ſunt, quod tantisper ponere licet, Romanorum iterum, non Gallorum hoc crimen erit, nec liberari illi ulla ratione à perfidiae nota poterunt.

§. LXXXVII. Recruduere, devictis & profligatis Gallis, bella cum vicinis. Horum quosdam calamitatibus Romanorum in ſpem depellendae à cervicibus ſuis imminentis ſervitutis erectos, arma cepiſſe, non negavero? nec tamen ideo injuſte prorſus egiſſe cenſendi fuerint. Conſiderandae autem, in juſtitia horum bellorum dijudicanda, omnes circumſtantiae fuerint, in primis Romanorum haud amplius obſcurum conſilium, per vicinarum gentium ruinam amplum condendi imperium, & harum rurſus gentium tot funeſtis documentis firmatus, juſtiſſimusque adeo metus. Haec ſi quis probe expenderit,

rit, dubito, an ſubſcripturus ſit Alberici Gentilis, poſt enumerata haecce bella, ita pronunciantis, ſententiae. (u) *Invenimus vero nihil, in quo non juſtitia, & virtus omnis Romanorum eluceat.* Sed hiſce nunc immorari animus non eſt, cum quae majus momentum trahant, ſe nobis offerant.

§. LXXXVIII. Cumprimis Samniticum bellum, & quidem primum accuratiorem promeretur conſiderationem. Cauſam ejus paucis complectitur Florus: (x) *Precibus deinde Campaniae motus* (populus Romanus) *non pro ſe, ſed quod eſt ſpecioſius, pro ſociis Samnites invadit. Erat foedus cum utrisque percuſſum. Sed hoc Campani ſanctius & prius omnium ſuorum deditione fecerant.* Duabus hic videtur probare voluiſſe rationibus juſtitiam armorum Romanorum contra Samnites, primo quidem, quod geſſerint bellum non pro ſe, ſed pro ſociis, deinde, cum & Samnites ſocii fuerint, propter deditionem Campanorum, his illos recte fuiſſe poſtpoſitos. Sed revera una ſaltem eſt ratio, &, quod initio paucis dixerat, pro ſociis Romanos arma cepiſſe, diſtinctius deinde explicat. Nec vocem *ſpecioſius* eo acceperim, ac ſi ea hoc ſibi voluerit Florus, ſociorum defenſionem, πρόφασιν ſaltem Romanis augendae potentiae praebuiſſe: cum potius id ſignificavit, hunc belli titulum majorem juſtitiae ac aequitatis opinionem conciliare armis Romanorum potuiſſe, quam quoties ea pro ſe

(u) *lib. II. cap. VII. p. 172.* (x) *lib. I, cap. XVI. add. Livius lib. I. cap. XXX.*

ſe capere neceſſe habuerunt. Res ipſa tamen poſita eſt extra litem, Romanos ſaepius ideo ſociis tuliſſe ſuppetias, ut ſuum ſaltem, primo ſociorum hoſtibus, deinde ſociis ipſis, devictis, amplificarent imperium. Veriſſimeque, ſi quid aliud, Cicero dixit: *Noſter populus ſociis defendendis terrarum jam omnium potitus eſt.* Nec abnuo, in bello hoc Samnitico ita rem ſe habuiſſe, licet forte hoc verbo id non doceat Florus. Videtur tamen clarius deinde mentem Romanorum prodere. Cum enim felicitatem ubertatemque Campaniae deſcripſiſſet: *omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga eſt. Nil mollius coelo: denique bis floribus vernat: Nil uberius ſolo &c.* addit: *pro hac urbe, iis regionibus, populus Romanus Samnites invaſit.* Quibus forte ſignificat, non tam Campanorum ſocietatem, quam agri Campani fertilitatem, Romanos, ut illis ſuppetias ferrent, impuliſſe.

§. LXXXIX. Erant Campani Romanorum ſocii, erant & Samnites, & quidem antiquiores. Cur ergo his praeferebant Campanos, cum contra prudentum ſcitum ſit, recentiorem ſocium cedere antiquiori? Cauſam affert Florus: (y) *foedus Campanorum propter deditionem fuiſſe ſanctius, & hinc eos Samnitibus recte praelatos.* Idem urget Livius: (z) *Tum jam fides agi viſa, deditos non prodi, nec facturum aequa Samnitium populum cenſebant, ſi agrum*

(y) *lib. I. cap. XVI.* (z) *lib. VII. cap. XXXI.*

agrum urbemque, per deditionem factam populi Romani oppugnarent. Id ergo in quaeſtionem venit, an ob deditionem factam praeferendi Campani fuerint Samnitibus, licet antiquioribus ſociis.

§. XC. Sane quidem, cum antiquior ſocius recte praeferatur recentiori, eo quod recens contracta obligatio tantum eousque valeat, quousque antea exiſtens hoc permittit; rurſus ſi in poſteriori ſocio aliud & quidem arctius vinculum, per deditionem, accedat, hunc praeferendum illi eſſe, manifeſtum eſt. Ad ſubditos enim, vel qui illorum loco ſunt, potius defendendos nos obſtrictos eſſe, quam ſocios, ſi utrosque non licet, nemo dubitaverit. Et ita omnino ſe res habet, ſi utrique ſociorum cum aliis bellum intercedat, nec utrique tamen ſuccurrere in noſtris poſitum ſit viribus. Immo & ſi ſocii inter ſe bellum gerant, modo cauſae juſtitia hoc permittat, eum qui ante bellum exortum ſe nobis dedidit, defendere contra ſocium, utut antiquiorem, licet. Eadem enim id ratio ſuadet.

§. XCI. Sed quid ſi durante bello ſocius poſterior ſe nobis dedat? Id enimvero eſt, de quo hic disquiritur, cum Campanos id feciſſe conſtet. Hugonis Grotii (*a*) ſi ſequi decreta placeat, ex cauſae bellicae juſtitia de toto hoc negotio pronunciandum fuerit. Quae ratio licet non probetur aliis, mihi tamen ſimpliciſſima, & in hisce quae-
ſtio-

(*a*) *lib. II. cap. XV. §. XIII.*

ſtionibus recta procedere, videtur. Quod vero addit Grotius, *id ita verum eſſe, niſi convenerit hoc quoque, ne adverſus eum auxilia mittere liceat*, id ſupervacaneum ego puto, immo rectius hoc omitti. Dubito enim, an quis ſe obſtringere aut velit aut poſſit, *quod adverſus ſocium, qui alterum injuſte oppugnat, auxilio mittere nolit:* ad haec enim cum jure naturae obſtricti ſimus, ſi noſtrarum rerum ſtatus hoc permittat, iniquum eſſet, pacto huic obligationi obviam ire. Eſto ergo, reſpiciendum hic unice ad cauſae juſtitiam fuiſſe, videtur quidem pro Romanis hic pronunciandum eſſe, ſaltem ſi horum hiſtoricis credimus. Campanos enim bello aggreſſi erant Samnites, quod Sidicinos antea adjuviſſent. Sidicinis vero injuſta arma intulerant Samnites, ut auctor eſt Livius: Injuſtum itaque etiam erat Samnitium adverſus Campanos, Sidicinorum defenſores, bellum, cumprimis quod avide hanc occaſionem opprimendi Campanos arriperent, ut Campani quidem aſſerebant. Sed quod Campani hic aſſerunt, & Livius refert, injuſta fuiſſe Samnitium in Sidicinos arma, id nondum evictum eſt, niſi hominum in propria cauſa teſtimonium perhibentium ſtare velimus auctoritate. Deinde eſto, injuſta fuiſſe haec arma, non tamen profecto juſtitia fuit, quae à Romanis auxilia impetravit. Ante deditionem haec diſerte negabant. Deditione vero facta, *fides agi viſa*. Immo utilitas, & opportuna occaſio imperii fines proferendi, cui cuncta

cunſta conſilia attemperabant Romani.

§. XCII. Haec licet ita ſe habeant, non tamen plane diſplicet mihi eorum ſententia, (*b*) qui poſteriori ſocio contra antiquiorem ſuppetias ferre, fas eſſe negant. Utique hoc ex natura & indole ſocietatis fluit. Non enim de pacis, ſed ſocietatis foedere, hic ſermo eſt. Unio nimirum ad certum finem, quam ſocietatis ratio juſſit, non poteſt non per bellum turbari prorſus atque diſſolvi: unde qui alterius ſe profitetur ſocium, ſimul in id conſentit, non velle ſe adverſus eum alteri auxilia mittere. Quae enim ceteroquin ſocietas? Multo magis itaque iniquum eſt, alium in ſocietatem recipere, ſaltem eum in finem, ut priori ſocio bellum indici queat. Atque hoc cum de quibusvis, tum etiam de illis, qui per deditionem recipiuntur, intelligendum eſt. Quamdiu enim antiquius illud foedus durat, tamdiu committendum mihi nihil eſt, quo illud infringi aut violari queat. Ceterum ad ea, quae Albericus Gentilis pro juſtitia belli Samnitici diſputat, (*c*) non neceſſe eſt, ut reſpondeamus; cum ex dictis dilui cuncta facilè queant.

§. XCIII. Cum Etruſcis deinceps arma ceperunt Samnites. Cauſa non ſatis aperta. Violati foederis à Romanis accuſati Samnites, quod cum Palaepolitanis multa hoſtilia

(b) conf. Chriſtiani Thomaſii diſſert. de ſponſione Romanorum Caudina, §. XXIV. (*c*) *lib. II. cap. VII. p. 468. ſeqq.*

lia adverſus Romanos, agrum Campanum Falernumque incolentes, fecerint, quodque populos Privernatem, Fundanum, & Formianum haud ambigue ſollicitaverint. Sed nec deerant Samnitibus, quae ad haec regererent, Romanos rurſus injuſtitiae accuſantes: (*d*) *haud ullo publico conſilio auxiliove juvari Graecos, nec Fundanum, Formianumve à ſe ſollicitatos. Ceterum non poſſe diſſimulare, aegre pati civitatem Samnitium, quod Fregellas ex Volſcis captas dirutasque ab ſe, reſtitueret Romanus populus, coloniamque in Samnitium agro impoſuerit, quam coloni eorum Fregellas appellant. Eam ſe contumeliam injuriamque, ni ſibi ab iis, qui fecerint, dematur, ipſos omnino depulſuros eſſe, &c.* Quae facile docebunt, nec in hoc bello Romanorum armorum juſtitiam demonſtratam ſatis, atque evictam eſſe.

§. XCIV. Tarentinum bellum, unum quidem titulo & nomine, ſed victoria, quam retulerunt Romani, multiplex. Campanos namque, Apulos, atque Lucanos, & quod caput belli, Tarentinos, id eſt, totam Italiam, & cum iſtis omnibus Pyrrhum, clariſſimum Graeciae regem, una velut ruina pariter involuit. Ita Florus, (*e*) qui cauſam porro hoc modo enarrat: Imminet portui, (urbis Tarentinae) ad proſpectum maris poſitum, majus theatrum? quod quidem cauſa

(*d*) *vid. Livius lib. VIII. cap. XXII. XXIII.* (*e*) *lib. I. cap. XVIII.*

ſa miſerae civitati fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrarunt, cum adremigantem littori Romanorum claſſem inde vident: atque hoſtem rati, emicant, ſine discrimen inſultant. Qui enim, aut unde Romani? Nec ſatis. Aderat ſine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque foede, per obſcenam turpemque dictu contumeliam, violant. Et hinc bellum, quod cum aliis Pyrrhum regem involvit, qui ſemigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus civitatem vindicaturus, advolabat. Floro & ceteri Romanarum rerum ſcriptores ſuffragantur. Contumeliae genus, quo affecti legati, expreſſius deſignat Dionyſius. (*f*) Pulſatos Livius (*g*) ſcribit; Polybius (*h*) generatim ἀσέλγειαν vocat.

§. XCV. Legatorum itaque jus violatum querebantur Romani, & hanc bello Tarentino obtendebant cauſam. De ſociorum enim armis, ex cauſa principe belli, pronunciandum. Hic equidem ſi probare vellem, ſanctos omni tempore ac inviolabiles gentium moribus fuiſſe legatos, rem ſuſciperem prorſus ſupervacaneam, cum id jam actum ſit abunde ab aliis. (*i*) Adeoque non videtur de juſtitia armorum Romanorum contra Tarentinos, horumque ſocios, dubitandum; cum violatos ab his illorum le-

(*f*) *excerpt. Leg. IV.* (*g*) *epitome XII.* (*h*) *lib. I. cap. VII. add. Val. Maximus lib. II. cap. II.* (*i*) *vid. Paſchalius cap. XXVI. Frider. de Marſelaer diſſert. XIII. add. Tacitus hiſt. lib. III. cap. LXXX.*

legatos, in confeſſo ſit apud omnes. Nec hoc ad Romanorum cauſam agendam praetermittit Albericus Gentilis. (*k*) Nihiloſecius duo hic expendi accuratius, atque conſiderari vellem. Alterum, cauſam irritati populi Tarentini callide à Floro, forte & à ceteris, diſſimulari. Adremigaſſe littori Tarentino claſſem Romanam, ait Florus. Cauſam non addit, cur ad littus acceſſerit claſſis, & annon ea id factum ratione, ut cauſam juſtam ſuſpicandi, hoſtili animo venire Romanos, habuerit populus Tarentinus, non indicat. Alterum, à plebe velut per tumultum, contumelioſe habitos legatos: ut dubium ſuperſit, an conſenſerit aut magiſtratus, aut principes civitatis? Et rurſus, an Romani rite contumeliae retractationem poſtulaverint à Tarentinis; & quo minus amica compoſitione lis finiretur, nihil in ſe deſiderari paſſi ſint? Quantumvis enim graviter laeſus, recte tamen arma non induit, ſi ulla ratione penes eum ſteterit, ne alia, quam armis, ratione, controverſia dirimatur.

§. XCVI. Miſſis vero reliquis, quae minoris momenti ſunt, ad punica nos convertimus bella: cum, maxime illuſtria hujus argumenti capita ſaltem confectari, animus ſit. Et primi quidem punici belli injuſtitia tam manifeſta eſt, ut nec ipſi Romanae hiſtoriae ſcriptores eam inficiari, aut diſſimulare, potuerint. Rem omnem planiſſime enarrat Polybius, (*l*) ex quo paucis, quae ad noſtrum inſtitutum faciunt, repetemus.

Cam-

(k) lib. II. cap. VII. p. 179. (l) lib. I. cap. X. ſeqq.

Campani videlicet ſub Agathocle merentes, Meſſanam urbem callide in ſuam redegerunt poteſtatem. Subdole namque ſpecie amicorum ingreſſi, urbis potiti, cives partim ejecerunt, partim jugulaverunt, & cuncta pro libidine, qua quisque ferebatur, deſignarunt. Hi Mamertini dicti, aliquandiu graves finitimis, à Syracuſanis vero repreſſi, tandem in factiones ſcindebantur: pars Carthaginienſes advocabant, quibus etiam arcem dederunt, pars petebant à Romanis auxilia. Ceterum ad exemplum Campanorum etiam Romani, quo tempore Pyrrhus in Italiam trajiciebat, à Rheginis in auxilium vocati, horum urbem ſibi ſubjecerant, improbante tamen ſenatu populoque Romano, & graviter deinceps in eos, qui Rhegium tenebant, animadvertente. Hinc cum Mamertini, quorum tamen non melior cauſa erat, quam illorum, qui Rhegium occupaverant, auxilium peterent, Romani, quid conſilii caperent, perdiu ancipitibus animis dubitaverunt: *quippe auxilii ratio manifeſtam prae ſe ferebat abſurditatem. Nam eos, qui paulo ante cives ſuos, ob violatam erga Rheginos fidem, graviſſimo ſupplicio affeciſſent, repente Mamertinis, qui ſimilia patraſſent, non ſolum erga Meſſaniorum urbem, ſed etiam Rheginorum ire auxiliatum, id vero cum eo delicto conjunctum erat, quod excuſari difficulter poſſet. Neque ſane haec neſciebant Romani &c.* Cauſae itaque aequitas, vel ipſis fatentibus Romanis, non erat, quae eos ad hoc bellum inducebat. Veram ita-

itaque cauſam ſubjungit Polybius: *ſed quod Poenos viderent non Africae regiones duntaxat, verum etiam in Hiſpania pleraque loca juris ſui feciſſe, inſulis praeterea Sardei Etruſcique maris omnibus potitos, anxii ſupra modum erant, ne, ſi hoc amplius Siciliae dominatum adipiſcerentur, valde ſibi graves, & formidabiles vicini forent, qui & circumdarent undique populum Romanum, & omnibus Italiae portibus imminerent.* Ergo metus creſcentis nimis potentiae Punicae vera cauſa belli hujus fuit, juxta Polybium. Sed accuratius, ni fallor, rem tangit Florus, (*m*) qui non diſſimulat, veram & principem hujus belli cauſam fuiſſe cupiditatem potiundae Siciliae. *Praedae hujus* cupiditate *adeo exarſiſſe* populum Romanum, ait, ut *quatenus haec inſula nec mole jungi, nec pontibus poſſet, armis belloque jungendam, & ad continentem ſuum revocandam bello* cenſuerint. Et iterum aperte, *ſpecie quidem ſocios juvandi, re autem ſollicitante praeda*, eos bellum hoc ſuſcepiſſe pronunciat.

§. XCVII. A προφάσει itaque ſecernenda vera cauſa, ſi rite belli hujus conſtare juſtitia debet. Vera cauſa haud dubio ea fuit, quam Florus deſignat, cupiditas obtinendae Siciliae. Hanc palam iniquam fuiſſe, nulla indiget demonſtratione. Eſto vero, eam fuiſſe veram cauſam, quam innuit Polybius, metum ob creſcentem nimis Carthaginienſium potentiam, tum quidem & Italiae populis non poterant vitio vertere, quod

(*m*) lib. II. cap. II.

quod & ipſi creſcentem nimis Romanorum potentiam quovis infringere modo allaborarint. Immo licet pro quorundam Italiae populorum, contra Romanos, armis defendendis, uſurpari hoc argumentum queat, non tamen aeque pro Romanis contra Carthaginienſes procedit. Namque profecto quicquid Polybius dicat, nondum erat ea rerum facies, ut creare ultimam perniciem Romanis Carthaginienſes potuiſſent, ſi vel maxime voluiſſent. De Mamertinorum autem cauſa ita cenſeo, non poſſe certi quid de ea ſtatui. Namque una pars advocabat Carthaginienſes, altera Romanos. Aſt quam penes cauſae juſtitia ſteterit, cum non conſtet, nec, cui prae altera ſuccurrere fas fuerit, definiri poteſt. Ex eo tamen, fateor, quod Mamertini fraude urbe potiti ſint, & multa inique perpetraverint, nihil confici poteſt, cum, & ſceleratiſſimis mortalium in cauſa juſta ſuccnrrere, non ſit nefas. Sed cum & Carthaginienſibus & Romanis longe aliud quid, quam ſalus civitatis conſtitutum fuerit, haec quidem in cenſum hic non veniunt: praeſertim cum ipſi Romani crediderint, ſibi fas non eſſe, ſuccurrere Mamertinis.

§. XCVIII. Quae Albericus Gentilis (*u*) pro juſtitia belli punici diſputat, tam jejuna ſunt, tam inepta, ut vel referre ea pigeat. Speciminis ſaltem cauſa quaedam commemorabimus, ut ex ungue, quod ajunt, leonem cognoſcere liceat. Ad id, quod Flo-

 rus

(*u*) *lib. II. cap. VIII. p. 150 ſeqq.*

rus ait, exarſiſſe Romanos cupiditate praedae opulentae, regerit: *exarſerunt cupiditate etiam praedae opulentae, ſed naturali alia adhuc cupiditate reſtituendi ſuo corpori avulſum membrum.* Egregie! Scilicet, quia Sicilia velut pars Italiae olim fuit, ideo Romanorum, quibus nec in Italiam, nec in Siciliam ullum jus fuit, cupiditas ea potiundi & imperio ſuo ſubjiciendi, *naturalis* fuit, ideo etiam juſta. Quis iſtam vel in turpiſſimo ſophiſta ſtultitiam ferret? Sed pergit: *Sit juſta adquirendi cauſa, voluntatem nemo vituperaverit.* Aſt an juſta adquirendi cauſa fuerit, id vero eſt, de quo adhuc diſceptatur. Nec Florus hoc adſerit, dum dixit: *Sed ecce nec occaſio defuit.* Ergone occaſio & cauſa juſta unum idemque eſt? Voluntatem adquirendi non vituperandam ethnici forſitan adprobaverint. Ab homine, chriſtianae diſciplinae alumnum ſe profitente, ejusmodi proficiſci vocem potuiſſe, merito miror. Id rurſus lepidum eſt, quod addit. Siciliam fuiſſe patriam Cyclopum, nutricem tyrannorum, captivam ſervorum, & quae reliqua ſunt: ergo recte eam potuiſſe occupari a Romanis. Ita cuncta conquirenda erant, ne color qualiscunque armis Romanis deeſſet. Sed ad caput cauſae accedamus. Quod Florus dixit, praedam ſollicitaſſe Romanos, auxilium ſociis ferendum ab illis obtentui ſumtum, ad hoc Albericus noſter: *de interiori animi ſenſu diſputandum tamen non eſt: aperta belli cauſa juſta eſt.* Aſt apertam belli cauſam juſtam fuiſſe, nondum

eſt

eſt evictum. Saltem ipſi Romani, ſi non injuſtam credebant, certè de ea dubitabant, ut diſerte docet Polybius. De interiori vero animi ſenſu, ſi is documentis certis prodatur, cur non eſſet diſputandum? Scio, nonnullos inter bellum juſtum, & quod juſte geritur, diſcrimen conſtituere, ita quidem, ut ad illud cauſa juſta ſufficiat, ad hoc inſuper recta animi intentio accedere debeat. Id tamen fatentur omnes, inique & perperam agere, qui ex cauſa juſta licet, non tamen ob cauſam juſtam arma corripit. Atque hoc cum vel Alberico fatente fecerint Romani, injuſtitiae criminiſque haud dubio rei ſunt. Et id vero eſt, quod demonſtrare voluimus. Mittimus cetera, quae more ſuo congerit atque miſcet, cum ex dictis facile dijudicari queant.

§. XCIX. Peracto primo bello punico, poſt brevem admodum quietem, cum Liguribus, Inſubribusque, Gallis & Illyriis, & cum his quidem ob legatos Romanos violatos, pugnatum eſt. Hi namque laceſſebant Romanos, ſi Floro credimus. (o) Ignobiliora haec nos non morabuntur bella, in tanta praeſertim circumſtantiarum obſcuritate, ut de illorum juſtitia, praeter conjecturas, vix quicquam adferre liceat. Ad bellum ergo punicum ſecundum accedimus. In cauſa belli hujus Saguntus deleta eſt, vetus Hiſpaniae civitas & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, ſed triſte monumentum: quam in libertatem

 com-

(o) *lib. II. cap. III. ſeqq.*

communi foedere exceptam, Annibal cauſas novorum motuum quaerens, & ſuis & ipſorum moribus evertit, ut Italiam ſibi rupto foedere aperiret. Ita Florus: (*p*) ſed paulo obſcurius. Res ita ſe habet. Cautum in foedere, facto inter populum Romanum & Carthaginienſem, poſt bellum de Sicilia, erat: *utriusque populi ſocii ab utroque populo tuti ſunto.* Poſt autem hocce foedus Saguntini ad ſocietatem populi Romani acceſſerant. Annibal itaque, Carthaginienſium dux, cum bellum in Hiſpaniam transtuliſſet, Saguntum quoque urbem oppugnavit, Romanorumque legatis non auditis, expugnavit tandem atque delevit. Hanc ob cauſam legati Carthaginem miſſi ſunt, qui, ſi Annibalis factum ibi probaretur, ac defenderetur, bellum indicerent. Carthaginienſes ad bellum quidem parati, de cauſae tamen juſtitia dicebant, non poſſe Romanos fracti foederis ſe inſimulare, cum in foedere inter utrumque populum percuſſo, de ſociis, qui tum fuerint, non de iis, qui futuri eſſent, ſermo fuiſſet. *Nobis*, inquiunt, (*q*) *vobiscum foedus eſt à Luctatio conſule ictum, in quo cavetur utrorumque ſociis: nihil de Saguntinis (nec dum erant ſocii veſtri) cautum eſt.* Et cum regerere poſſent Romani, in foedere, quod cum Asdrubale ictum, Saguntinorum mentionem fieri, in quo & cautum fuit, ne Iberum Carthaginienſes tranſirent, addunt, hoc foedere, ſine conſenſu quippe populi Cartha-

(*p*) *lib. II. cap. VI.* (*q*) *apud Livium lib. XXI. cap. XXI.*

thaginienſis facto, ſe non teneri, ſimulque ad exemplum Romanorum provocant: *Si vos non tenent veſtra foedera, niſi ex auctoritate & juſſu veſtro icta, ne nos quidem Asdrubalis foedus, quod nobis inſciis icit, obligare potuit.* Legati quidem bellum denunciare, quam diſceptare de jure, magis ex dignitate populi Romani eſſe cenſuerunt. T. Livius (*r*) tamen hanc diſputationem ingreditur, & ad rationes Carthaginienſium reſpondet: diſcrimenque omnino inter foedus Luctatii & Asdrubalis interceſſiſſe contendit, cum in illius diſerte additum eſſet: *ita id ratum fore, ſi populus cenſuiſſet:* in Asdrubalis autem foedere, nec tale quid exceptum fuiſſe, & multorum inſuper annorum ſilentio idem fuiſſe comprobatum. Saguntinis autem ſatis cautum fuiſſe putat, ſociis utrorumque exceptis: *nam*, inquit, *neque additum erat, iis, qui tunc eſſent, nec, qui poſtea aſſumerentur: & cum aſſumere novos liceret ſocios, quis aequum cenſeret, aut ob nulla quenquam merita in amicitiam recipi, aut receptos in fidem non defendi? tantum ne Carthaginienſium ſocii ſolicitarentur ad defectionem, aut ſua ſponte deſciſcentes, reciperentur.*

§. C. Cum ergo vox *ſocii* utramque recipere ſignificationem queat, ut & praeſentes tantum, & futuros quoque deſignet, Hugo quidem Grotius (*ſ*) ſtricte eam hic interpretandam cenſet, ut tantum praeſentes deſignet,

(*r*) *lib. XXI. cap. XXII.* (*ſ*) *lib. II. cap. XVI. §. XIII.*

gnet, *quia agitur de foedere rumpendo*, *quae odioſa eſt materia.* Licuiſſe tamen Romanis putat, defendere Saguntinos, non ex vi foederis, ſed ex jure naturali, quod foedere non erat abdicatum. Ita ut Saguntini apud utroſque eo eſſent loco, quaſi nihil de ſociis conveniſſet. Quo caſu, inquir, nec Carthaginienſes contra foedus erant facturi, ſi in Saguntinos arma moverent, quae juſta arbitrarentur, nec Romani, ſi eos defenderent. Verum notiſſimam illam Hugonis Grotii, aliorumque regulam, de odioſis ſtricte, & favorabilibus late interpretandis, omni deſtitui fundamento, jam alibi oſtenſum eſt. Et ſane, uti Carthaginienſibus *odioſum* videri poterat, abrumpere foedus, ita contra *favorabile* & Romanis & Saguntinis erat, Saguntum conſervari, aut, poſtquam jam exciſa erat, periculis Romanae reipublicae inde imminentibus occurrere. Planeque exiſtimo, à naturali vocis ſignificatione hic ſine praegnanti cauſa non diſcedendum fuiſſe, qua ſocios qualescunque, praeſentes & futuros denotat, id quod recte urget. Ergo juſta fuerunt Romanorum arma, quae pro Saguntinis ceperunt: idque eo magis, quod haud obſcure intelligatur, ad ulciſcendam cladem, in priori bello acceptam, bellum à Carthaginienſibus, vel ab Annibale, intempeſtivo & inconſulto impetu abrepto, conniventibus Carthaginienſibus, fuiſſe motum. Id quod bene exprimit Florus: (*t*) *Urebat nobilem populum ablatum ma-*

(*t*) *lib. II. cap. VI.*

mare, captae inſulae, dare tributa, quae jubere conſueverat. Hinc ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat, &c.

§. CI. Quis belli hujus eventus fuerit, conſtat. Annibal à ſuis domum revocatus, victus in Africa à Scipione eſt. Qua clade Poeni pacem, quanquam iterum duriorem à Romanis accipere coacti ſunt. Poſt Carthaginem vinci neminem puduit, ut Florus ait. (*u*) Secutae ſunt ſtatim Africam gentes, Macedonia, Graecia, Syria, ceteraque omnia. Macedonico bello obtendebatur, Philippi regis cum Annibale ſocietas, pax infida adverſus Aetolos, & injuriae Athenienſibus illatae. Primam & ultimam cauſam adfert Florus: (*x*) *Cauſa coepit à foedere Philippi, quo rex jam pridem dominantem in Italia Annibalem ſibi ſociaverat: poſtea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis injurias, quum ille ultra jus victoriae in templa, aras, & ſepulcra ipſa ſaeviret.* Mediam tangit Livius. (*y*) Sunt vero haec ejusmodi, de quibus multa adhuc diſputari in utramque partem poſſent. Foedus cum hoſte initum, niſi hoſtilem ſimul in nos animum arguat, nobisque defendendi nos, aut occupandi hoſtiles impetus, neceſſitatem imponat, nondum juſtam belli cauſam praebet. De Aetolis pariter ac Athenienſibus diſpiciendum fuerat, qua cauſa inductus arma intulerat illis Philippus. Sane non defuiſſe Philippo cauſam juſtam, vel ex Livio probari

(*u*) *lib. II. cap. VII.* (*x*) *l. c.* (*y*) *lib. XXXI. cap.* I.

ri poteſt. Nec juſta ſemper & quaevis arma ſunt, quae pro ſociis, iisque, qui noſtram implorant opem, expediuntur: neceſſe eſt, ut in cauſa juſta verſentur, quorum in nos defenſionem ſuſcipimus. Quae adduntur, ultra jus victoriae in templa, aras, & ſepulchra ipſa à rege ſaevitum, Graecanicam valde ſapiunt rhetoricam: ſi vera ſunt, inique regem egiſſe oſtendunt: belli cauſam juſtam Romanis nondum praebent. Sed quales Aetoli fuerint, in quorum gratiam arma Romani arripuerunt, eventus docuit. Minus enim ſpe ſua, praemium in hoc bello adepti, Antiochum magnum Syriae regem adverſus Romanos ſollicitant. Thoas enim, praetor Aetolorum in concilio Naupacti, conqueritur *injurias Romanorum ſtatumque Aetoliae, quod omnium Graeciae gentium civitatumque inhonoratiſſimi poſt eam victoriam eſſent, cujus cauſa ipſi fuiſſent.* (z) Hinc ergo bellum Syriacum. Lepide hac de re Florus (a) *Macedoniam ſtatim, & regem Philippum Antiochus excepit quodam caſu quaſi induſtria, ſic adgubernante fortuna, ut quemadmodum ab Africa in Europam, ſic ab Europa in Aſiam, ultro ſe ſuggerentibus cauſis, imperium procederet.* Scilicet, cum latrones unam praedam poſt aliam invadunt, ultro ſe ſuggerentibus cauſis, belle admodum illis res procedere videtur. Imprudentiae utique notam non effugiet Antiochus, & quod Romanis, quibus multis modis inferior erat, bellum

(z) *vid. Livius lib. XXXV. cap. XII.* (a) *lib. II. cap. VIII.*

bellum intulit, & cum inferre decreviſſet, quod Annibalis non uſus eſt conſilio. Inique ſi quis eum egiſſe contendat, eum, quod oppreſſos, deque ſalute ſua ſollicitos, defendere ſuſceperit, grande Antiochum admiſiſſe facinus adfirmare neceſſe eſt, cui expiando inſigni eum regni ſui decedere parte oportuit. Saltem cum eadem, aut ſimilia prorſus Romanis arma capiendi, haud raro fuerit cauſa, aut tum inique egiſſe Romanos, aut Antiochum excuſandum, fatendum fuerit. Syriacum bellum Aetolos, Hiſtros, Gallograecos, poſt ſe traxit. Hiſce omnibus nihil aliud fraudi fuit, quam quod Antiochum adjuverant. Facile enim intelligebant, & hoc devicto, ſibi quoque ſervitutis ſubeundum eſſe jugum. De bello Macedonico ſecundo, & tertio, nihil nunc dicam. Romani rebellionem interpretabantur, quam alii innatam omnibus recuperandae libertatis cupiditatem dixiſſent: Saltem conſtare Macedonibus de juſto Romanorum in illos imperio debebat, ſi rebellionis jure eos voluerunt arguere Romani. Cauſa Andriſci, qui ſe Philippi filium mentitus eſt, peculiaris fuit, ob quam promeritas ille poenas dedit, ſed cum cauſa Macedonum, ſeu populi Macedonici, tamen non commiſcenda. Illyriis non licuit impune adjuvare Macedones. Non enim juſtior Romanis ſervitutis cauſa viſa eſt, quam ſocios adjuvando, ſervitutem a ſe depellere.

§. CII. Quae Albericus Gentilis (*b*) de qui-

(*b*) *lib. II. cap. IX. p. 200. ſeqq.*

quibuſdam horum bellorum, praeſertim e-jus, quod cum Antiocho geſtum eſt, pro Romanis diſputat, ne digna quidem ſunt, quae à nobis commemorentur. Adeo more ſuo ſophiſtam agit. Quare ad bellum punicum tertium accedimus, tempore exiguum, & in comparatione priorum, minimum labore, ſed plane maximum eventu. Vitio illis datum, quod contra foedus naves haberent, & Maſaniſſam ſocium regem armis infeſtarent. *Cauſa belli*, inquit Florus, (*c*) *quod contra foederis legem adverſus Numidas quidem ſemel paraſſet claſſem & exercitum, frequens autem Maſaniſſae fines territabat.* Avide arreptam hanc qualemcunque πρόφασιν ex eo colligas, quod ſtatim de exſcindenda Carthagine in ſenatu deliberatum ſit, iis quidem rationibus, quae facile ſuadeant, de ſuis potius commodis, quam de belli juſtitia, Romanos fuiſſe ſollicitos. Id jam ab Oroſio (*d*) obſervatum, qui ita rationes ſubducit: alii volebant Carthaginem dirui ob ſecuritatem, alii ob virtutem acuendam ſervari, igitur cauſa non ex injuria Carthaginienſium erat. Quicquid hujus ſit, nihil minus quam cauſae juſtitiam Romanos ad bella, ſpeciatim Carthaginienſe hocce, moviſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Albericus Gentilis (*e*) cum fateatur, invidia ad exſcindendam Carthaginem eſſe inductos Romanos, dixiſſe tamen aliquid ſibi videtur, dum addit: *non invidia tantum, ſed &*

(*c*) *lib. II. cap. XIV.* (*d*) *lib. IV. cap. XXII. XXIII.*
(*e*) *lib. II. cap. VIII. p.* 194.

& noxia ejus temporis, quam oſtendi, & quae noxia juſtam nobis fecit exſcindendi poteſtatem: ſicut fecit invidia voluntatem. Fateor invidiam, fateor: & illo utor Caeſaris: Invideo gloriae tuae, Cato, quoniam & tu invidiſti meae. Invidimus gloriae Carthaginis, quoniam & Carthago invidit gloriae noſtrae. Impudentem valde, & bonae mentis inopem eſſe oportet, cui haec fucum faciant. Nocere quo pacto hoc tempore Carthago Romanis potuerit, tot jam cladibus debilitata, ut hi illius excidio ſuae conſulere ſecuritati neceſſe habuerint, ego quidem non intelligo. Eſto, migraverint Carthaginienſes foederis leges: facili poterant negotio in ordinem redigi, ut ſanctius eas impoſterum obſervarent. Caeſari, ethnico homini condonandum, quod dixerat: *invideo gloriae tuae, Cato, quoniam tu invidiſti meae:* quanquam & graviſſimos ethnicorum philoſophorum ſuffragantes ſibi habeant, qui prorſus negant, fas eſſe, pravo erga alium eſſe animo, quia is tali eſt erga nos. Quis autem in Alberico Gentili hoc ferat? Quorſum ruit coecus rerum Romanarum amor? Sed progredimur ad alia.

§. CIII. Carthaginis ruinam ſtatim Corinthus excepit, Achaiae caput, Graeciae decus. *Haec, facinus indignum! antea oppreſſa eſt, quam in numerum certorum hoſtium referretur.* Ita Florus. (*f*) Ergone de belli injuſtitia adhuc dubitas? Ediſſerit cauſam idem: *Critolaus cauſa belli: qui libertate, á Ro-*

(*f*) *lib. II. cap. XVI.*

Romanis data adverſus ipſos uſus eſt: legatosque Romanos, dubium, an & manu, certe oratione violavit. Sed uberius ex Juſtino (*g*) rem totam enarrare juvat. Poenis ac Macedonibus devictis, Aetolorumque viribus debilitatis, ſoli adhuc ex Graecia univerſa Achaei nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur, non propter ſingularum civitatum nimias opes, ſed propter conſpirationem univerſarum. Quaerentibus igitur Romanis cauſas belli, tempeſtive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur. Spartanis à ſenatu reſponſum eſt, legatos ſe ad inſpiciendas res ſociorum, & ad injuriam demendam, in Graeciam miſſuros: ſed legatis occulta mandata data ſunt, ut corpus Achaeorum diſſolverent, ſingulasque urbes proprii juris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur, & ſi quae urbes contumaces eſſent, frangerentur. Igitur legati omnium civitatum, principibus Corinthum evocatis, decretum ſenatus recitant, quid conſilii habeant, aperiunt. Quod ubi omnibus innotuit, velut in furorem verſi univerſum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipſos Romanorum violaſſent, niſi audito tumultu trepidi fugiſſent. Jam haec in ſummam colligamus. Belli cauſam quaerebant Romani, Achaeorum diſſolvere volebant ſocietatem, liberum populum ſuis cupiebant parere mandatis, & tamen juſta eo-

(*g*) *lib. XXXIV. cap. I. ſeqq.*

eorum in Achaeos arma fuiſſe credis? Aſt advocabantur à Spartanis. Non tamen Spartanorum cauſa veniebant. Hoc ergo nihil ad rem. Et ſi veniſſent, num Spartanorum cauſa juſta erat? *Propter mutuum odium Spartanorum agros populabantur Achaei*, inquit Juſtinus. Legati tamen violati ſunt. Non violati ſunt, ſi Juſtino credimus, parum tamen abſuit, quin violarentur. Sed à quo? A furente plebe, incitatore Critolao. Ergone ſtatim exſcindenda Corinthus? Num principes hoc facinus adprobabant? Num detrectabant ſatisfactionem? Hanc vero ne poſtularunt quidem Romani, urbemque prius oppreſſerunt, quam in certorum hoſtium numerum referretur. Egregie hic ſe traducit Albericus Gentilis. (b) *Quaerebant*, inquit, *Romani cauſam: ſcilicet remedium, quo tutior ſuus & firmior ſtatus evadere poſſit*. Scilicet, aliis injuſte oppreſſis, ſuum ſtatum tutiorem & firmiorem reddere licet. *Voluerunt corpus Achaeorum diſſolvere: quia Romanis libertas Graeciae curae cordique erat*. Nimirum ut lupo ſalus agni. Diſerte Juſtinus, voluiſſe eos ideo hanc ſocietatem diſſolvere, quia Achaei hac ratione nimis potentes Romanis videbantur. Sed transeant reliqua.

§. CIV. Hiſpaniae ſubjugandae bella punica dedere occaſionem. Initio non cum Hiſpanis, ſed cum poenis in Hiſpania pugnatum eſt, inde *contagio*, *& ſeries*, *cauſaque bellorum*. De juſtitia deliberare ſupervaca-

(b) lib. II, cap. I, pag. 101.

neum viſum. Vel Numantini belli exemplo hoc conſtat. Teſtem luculentum damus Florum: (*i*) *non temere, ſi fateri licet, ullius belli cauſa injuſtior.* Nihil clarius dici poterat. Sed loquatur res ipſa. (*k*) Segulenſes, ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos, exceperant Numantini. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. Quum ſe ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi foederis pretium juſſi arma deponere. Hoc vero erat illis abſcindere manus. Hinc ad arma ventum. Albericus Gentilis hic in omnem ſe vertit partem. (*l*) Mox Florum accuſat nimii erga patriam (Hiſpaniam) amoris: mox alias ex Appiano adfert cauſas: mox à Floro allatam defendit: *tu Hiſpane ſcriptor, quid popularibus tuis, quid blandiris?* Eſto, fuerit Hiſpanus Florus: non ſufficit dicere, eum aliquid patriae amori dediſſe, probandum erat. Praeſertim cum nimius potius erga imperium Romanum amor in toto hoc opere eluceat. Eſto, rhetorem quandoque potius agat, quam hiſtoricum, potuit rhetor & vera dicere. Sed alias audiamus cauſas. *Num rebellis non erat Numantia?* Jure debellatam prius probare oportebat, quam rebellis dicatur. *Num illic conſilium non eſt initum contra Romanos?* Vix credo de urbe, quae omni

(*i*) *lib. II. cap. XVIII.* (*k*) *conf. de cauſa & juſtitia belli Numantini Chriſtianus Thomaſius, in diſſert. de ſponſione Numantina, §. IV. ſeqq.* (*l*) *lib. II. cap. VIII. p. 192.*

mni ſtudio à bellorum contagione ſe removit. *Sed juſta fuit cauſa belli, quia Romanorum hoſtes receperunt.* Ita non tantum Gentilis, ſed & Freinshemius, (*m*) cui non adeo injuſta cauſa belli videtur, receptatores hoſtium invadere: additque ex Juſtino, (*n*) cum Thebis dirutis idem feciſſent Athenienſes, hoc admodum graviter tuliſſe Alexandrum. Sed ordine hic procedendum, ne diſcernenda miſceamus. Videndum, quinam recipiantur, ſocii & conſanguinei, an peregrini, noxii, an innocentes. Quae barbaries! non permittere recipi, à quibus nullum amplius nobis periculum? Videndum, quomodo recipiantur. Numantini non id hoſtili fecerunt animo: ſed quodam neceſſitudinis vinculo: hinc deprecatio, belli evitatio, foederis honeſtae oblatae conditiones. Nihil haec proficiunt, apud Romanos, faſtu turgidos & ambitionis oeſtro percitos. Iſtud vero Scipionis, qui dedere ſe honeſtis conditionibus volentes, ideo recipere nolebat, quia *veram*, & *ſine exceptione* cupiebat *victoriam*, quam iniquum, quam inhumanum, quanta cum crudelitate conjunctum! pereundum miſeris fuit, ne Scipionis gloriae quicquam deeſſet. Forte hoc non probavit Romanus populus? Certe improbaſſe non legimus.

§. CV. Cetera nunc unico complectemur fasce. Etenim creſcentibus cum imperio Romanorum vitiis, in bellis quoque,

 ut

(*m*) *ad Florum lib. II. cap. XVIII.* (*n*) *lib. XI. cap. IV.*

ut in reliquis negotiis omnibus, minus juſtitiae habita eſt ratio. Auctor hujus rei nobis ipſe Florus eſt: (o) *Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus, & magnificus: reliqua ſeculi ut grandia aeque, ita vel magis turbida ſunt & foeda: creſcentibus cum ipſa magnitudine imperii vitiis.* Non ergo, ut diu his immoremur, neceſſe eſt. Aſiaticum bellum ad vindicandam Attali regis hereditatem ſuſceptum. (p) Multa hic quaeri poſſent: an teſtamento transferre Attalus regnum in populum Romanum potuerit? an Ariſtonicus, regii ſanguinis juvenis, recte à ſucceſſione excluſus? quibus cauſis inductus teſtamentum hoc condiderit Attalus? Nondum puto haec ita prorſus expedita eſſe, ut de cauſae Romanaē juſtitia nullum ſuperſit dubium. Bello Jugurthino cauſa, non diffitendum, non defuit. Certe per ſummum nefas, ſi vera ſunt, quae Romani ſcriptores tradunt, Jugurtha, Micipſae Numidiae regis filius adoptivus, ejusdem naturalibus Hiempſali & Adherbali praeferri voluit. Adoptivos enim in ſucceſſionibus poſtponendos eſſe naturalibus, conſtat. Per ſummum etiam nefas alterum occidit, alterum regno expulit. (q) Haec aliaque ejusdem ſcelera recte ulciſcebantur Romani, in quorum tutela regnum erat. Cum Salyis, Allobrogibus, aliisque Germaniae Gal-

(o) *lib. II. cap. XIX.* (p) *vid. Juſtinus lib. XXXVI. cap. IV. Plutarchus in Tiberio Gracebo, Vellejus Paterculus lib. II. cap. IV. &c.* (q) *vid. Salluſtius in bello Jugurthino p. m. 53. ſeqq.*

Galliaeque populis pugnatum eſt, ut ſocios ſuos ab horum incurſionibus tutos praeſtarent. Nihil honeſtius; modo quae πρόφασις fuit, eadem ſemper & cauſa cenſeri debet. Sed ni fallor, libertatis amor & metus ſervitutis imminentis, quem Romanorum victoriae & mores haud parvum incutiebant, plerosque Galliae & Germaniae populos in Romanos armavit. Hoc vero illis vitio vertendum, Cimbrorum, ſedes à Romanis poſtulantium, haud aequa petitio: cum quae illis tribuerent Romanis non eſſent, nec tutum profecto ſatis, gentem bellicoſiſſimam in ſinum recipere. Thraces pro rebellibus habiti: recte, ſi jure antea victi. Mithridates querebatur, *Attrectari terminos ſuos à Nicomede Bithynico*, cujus cauſam agebant Romani. (r) Eſto, idem elatus animis ingentibus Aſiae totius, & ſi poſſet, Europae cupiditate flagraverit. Nihil inde melior cauſa Romanorum. Eadem, immo major & in illis cupiditas. Poteſt autem contingere, ut uterque pravo conſilio bellum gerat, adeoque & uterque peccet. De Cretico bello rurſus citra ambages Florus: (s) *Creticum bellum, ſi vera volumus noſcere, nos fecimus: ſola vincendi nobilem provinciam cupiditate.* Cyprus deinde ſine bello recepta, invitantibus, quibus abundabat, divi-

 tiis,

(r *Florus lib. III. cap. V. add. Appianus in Mithridaticis, Plutarchus in vitis Sullae, L. Luculli, Cn. Pompeji, &c.* (s) *lib. III. cap. VII.*

tiis, ut idem innuit.(*t*) Gallicum à Caeſare geſtum, ut hic ſuae litaret ambitioni immenſae, & immodicae. Eandem ob cauſam & in Britanniam transfretatum. De Parthico bello iterum nos dubitare non ſinit Florus: (*u*) *nec de fortuna queri poſſumus: caret ſolatio clades, adverſis & diis & hominibus, cupiditate conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro &c.* De piratico autem, ſervili, & civilibus bellis, nihil attinet dicere, cum, quid de iis cenſendum ſit, nemini obſcurum eſſe queat.

§. CVI. Et per haec quidem bella, maximam partem longe injuſtiſſima, ad tantam magnitudinem crevit Romanum imperium, ut mole ſua rueret. Saltem poſtquam ad Imperatores rerum ſumma pervenit, ſimul ad faſtigium, fatorum legibus illi deſtinatum, perveniſſe videbatur, unde, quae ſub iis geſta ſunt bella, conſervando magis & propulſandis periculis, quam augendo, ſi pauca admodum, ex dictis fere dijudicanda, exceperis, fuere comparata. De cauſis ergo bellorum à Romanis geſtorum cum ſatis dictum ſit, nunc, quod alterum tractationis noſtrae caput eſt, etiam de modo, ſed paucis, deſpiciemus. Ad hunc ergo quod attinet, primo quidem conſtat, bellum, etiam ex juſta cauſa ſuſceptum, tam diu ſaltem continuari poſſe, donec laeſus ſatisfactionem acceperit, ſimulque certus reddatur, ſe non amplius impoſterum lae-

(*t*) *lib. III. cap. IX.* (*u*) *lib. III. cap. XI.*

laeſum iri. Tunc vero credas, hoc obſervaſſe Romanos? Ad caſas illis redeundum fuiſſet. Tantum enim abeſt, ut reſtitutione impetrata, & ſecuritatis futurae pignore, ut non temere arma poſuerint, priusquam gentem ipſam, quacum dimicabant, imperio ſuo adjeciſſent. Eundo per ſingula bella hoc intelligere licet. Praeterea in bello non quosvis promiſcue interficere licet, ſed eos ſaltem, quorum caedes ad finem belli obtinendum eſt neceſſaria. Hinc nec in bello juſto feminas, pueros, ſenes, & qui hoſti reſiſtere nequeunt, interficere fas eſt. Hujus quidem legis haud raro obſervantes fuerunt Romani, ſed quandoque etiam immemores. Capta Ilorgi Hiſpaniae urbe, *ἔκτειναν ὁμαλῶς καὶ παιδία καὶ γυναῖκας, ſine diſcrimine interemerunt etiam mulieres & pueros*, ut auctor eſt Appianus. (x) Germanicum Caeſarem cum vicos Marſorum ferro flammisque vaſtaſſe, narraſſet Tacitus (y) addit: *non ſexus, non aetas miſerationem attulit*. Titus Judaeorum etiam pueros, & feminas, in ſpectaculo feris laniandos propoſuit: ut reliqua nunc taceam. Idem cenſendum eſt de rerum vaſtatione. Etenim ſi rerum vaſtatio hoſti ita noceat, ut ad victoriam & finem belli obtinendum aliquid conferat, in bello juſto reprehendi nequit, ſive res ſacrae ſint, ſive profanae. Romani quidem & hic magnam pietatis & juſtitiae prae ſe tulerunt ſpeciem:

Dd d 5 tem-

(x) *apud Grotium de J. B. & P. lib. III. cap. IV. §. IX.* (y) *lib. I. Annal. cap. LI.*

templa & ſacratas Numini aedes non devaſtarunt, niſi Numine prius evocato: quemadmodum & urbium genium prius evocabant, quam flammas eis injicerent. (z) Haec ad fucum incautis faciendum ſpectabant. Ceteroquin quam parum & hujus legis obſervantes fuerint, vel Corinthus teſtatur. De rebus in bello captis conſtat, quod tantum capere liceat, quantum debiti ratio poſtulat. Atque id de civium quorumlibet etiam rebus cenſendum, eo quod bellum cum tota civitate, adeoque & cum ipſis civibus geratur. Romanos vero enormiter hic peccaſſe, facile probari poteſt. Etenim exiſtimaverunt, tantum ſibi licere bello capere, quantum capere poterant, id quod pluribus documentis evincit ipſe Hugo Grotius. (a) Hominum eam hic conditionem eſſe, volunt naturalis juris conſulti, ut ſaltem illi non recte capiantur, quos capi ad finem belli parum intereſt. Unde tales nec interfici jure poſſunt, nec capi queunt. Praeterea in captos non pro lubitu ſaeviendum, ſed humanitatis omnino habenda eſt ratio. Parum hic rurſus cum rationis rectae ſcitis conſentiebant mores Romanorum. Capiebant, quos poterant, quos volebant: in hos ſtatuebant, quicquid lubitum erat. Id quod rurſus vel ex iis patet; quae ipſe hac de re affert Hugo Grotius. (b) Im-

(z) *conf. exercitatio noſtra de jure belli circa res ſacras*, §. *IX.* (a) *lib. III. cap. VI.* §. *II.* (b) *lib. III. cap. VII.* §. *I. ſeq.*

Imperium denique tum demum acquiritur, cum nulla alia ratio ſupereſt, aut reſtitutionem damni dati, aut ſecuritatem futuram conſequendi. Quis vero ſibi perſuadeat, omnium gentium, quas vicerunt Romani, hanc fuiſſe conditionem, ut horum juribus & ſecuritati non aliter, quam imperii ceſſione, ſubjectioneve, conſuli potuerit? Sed plura addere, hoc vero eſſet in re non dubia uti argumentis non neceſſariis.

§. CVII. Et de bellis quidem Romanorum cum ſatis dictum ſit, idque ea ratione, ut per illuſtria rerum eundo capita ad ea deducti ſimus tempora, quibus ob nimiam amplitudinem res Romana quodammodo ad inſignem mutationem vergebat: nunc reliqua proſequamur, quae adhuc hinc inde ſe offerunt. Ambitio civium perniciem atque ruinam reipublicae haud dubio accelleravit. Inter hos haud poſtremus fuit Lucius Sylla, qui, profligato Marii exercitu, non tantum urbe potius eſt, omnemque in eam furorem effudit, ſed legem etiam tulit, per quam multi, qui cum Mario fecerant, proſcribebantur, proſcriptorum bona vendebantur, eorumque liberis omnibus aditus ad honores in republica, intercludebatur. Rem pluribus enarrant Cicero, (*c*) Plutarchus, (*d*) Appianus, (*e*) Seneca, (*f*) Oroſius (*g*) alii. (*h*)

§. CVIII.

(*c*) *lib. II. de offic. p. m.* 136. (*d*) *in Sylla.* (*e*) *lib. I. Civil.* (*f*) *lib. V. de benefic, cap. XVI.* (*g*) *lib. V. cap. XXI.* (*h*) *Lucanus lib. I. Florus lib. III. cap. XXI. Auguſtinus lib. III. de C. D. cap. XXVIII.*

§. CVIII. Hae leges, à Sylla latae, an ſervandae fuerint? ipſi Romani ſcriptores diſputant. Cicero apud Quintilianum (*i*) eas ſervandas cenſuit, eo quod ſtatus civitatis iisdem contineretur. Nec abit hinc procul Florus. (*k*) Lepidus enim, inquit, acta Syllae reſcindere parabat, nec immerito, ſi tamen poſſet ſine magna clade reipublicae. Mox tamen addit: *expediviſſe ſauciae reipublicae requieſcere quomodocunque, ne vulnera curatione ipſa reſcinderentur.* Ut ergo, quid rationi conveniens ſit, pateat, duo hic in cenſum veniunt: alterum, leges hasce latas fuiſſe ab eo, qui non habuit poteſtatem leges ferendi: alterum, leges iſtas in ſe quoque fuiſſe injuſtas.

§. CIX. Quod ad primum attinet, in quaeſtionem deducitur, an leges, ab injuſto invaſore, aut uſurpatore reipublicae, latae, vim obligandi habeant? & rurſus, an à ſucceſſore, vel legitimo principe abrogari queant? De poſteriori namque nullum eſt dubium. Cum enim quilibet princeps, ſummo imperio gaudens, anteceſſoris ſui leges abrogare poſſit, multo magis injuſtas, aut ab invaſore latas, abrogare poterit. De priori autem aliter ſentiendum. Namque licet injuſtus invaſor non habeat facultatem leges ferendi, obligant tamen leges ab eo latae ideo, quod probabile ſit, eum, qui jus imperandi habet, malle interim rata eſſe, quae ab illo conſtituta ſunt, quam legibus ju-

(*i*) *lib. II. inſtit. orat. cap. I.* (*k*) *lib. III. cap. XXXIII.*

judiciisque ſublatis, ſummam induci confuſionem. Recte id exprimit Henningius: (*l*) invaſorem hic ſaltem miniſtrum eſſe ejus, quem penes de jure ſummum imperium eſſe debebat, adeoque ſuo jure nihil agere. De legibus autem injuſtis, quales Syllae fuiſſe conſtat, ita cenſendum, illas per ſe nulla obligandi vi pollere. Tolerari tamen, quae per eas conſtituta ſunt, utcunque poſſunt, ſi civitatis ſalus ejusmodi quid poſtulet, nec ſine graviori reipublicae periculo mutari queant. Et id quidem eſt, quod Cicero, quod Florus, ſibi voluerunt.

§. CX. Quod Sylla, aliique fruſtra tentarunt, perfecit tandem Julius Caeſar. Hujus res geſtae, civilium moraliumque rerum ſcriptoribus, non unum diſſerendi atque diſceptandi argumentum praebent. Id vero, quod in ejus hiſtoria praecipuum aſt, reipublicae Romanae invaſio & oppreſſio, civiliaque bella ab eo concitata, adeo palam cum omni juſtitia pugnant, ut nemini ulla dubitandi ratio ſupereſſe queat. His vero miſſis, de bello ſaltem, quod cum Arioviſto, Germanorum rege geſſit, aliquid monebimus. Huic namque, pariter ac Germanis, Caeſar, inſcio ſenatu populoque Romano, bellum intulit. Quod quo jure fecerit? quaeritur. Certe Cato Caeſarem perperam egiſſe contendebat, hinc & eum Ger-

(*l*) *ad Grotii lib. I. cap. IV. §. XV.*

Germanis dedi voluit. (*m*)

§. CXI. Factum id quidem haud ſemel eſt ab aliis belli ducibus. Id hiſtoriarum nos condocent monumenta. Ex ipſis Romanorum ducibus Cn. Manlius, injuſſu populi Romani, bellum Gallo-graecis intulit. Aſt non exemplis, ſed regulis, haec cauſa diſceptanda. Diſcernendum vero hic ſtatim à bello, quo noſtra defendimus, illud eſt, quo injuriam illatam reparamus. Illud cum interdum moram non patiatur, a magiſtratu inferiori recte geritur, etiam non conſulto ſummo imperante. Immo omnibus, quorum munus eſt, vigilare pro ſalute reipublicae, hac poteſtas à ſummo imperante, repellendi hoſtium inſultus, conceſſa intelligitur.

§. CXII. De eo vero, quod ad illatam injuriam reparandam ſuſcipitur, aliter rurſus eſt pronunciandum. Hoc à nemine recte, niſi à ſummo imperante, ſuſcipitur. Nec temere talis neceſſitas hic oriri poteſt, ex qua rite colligatur, inferioribus magiſtratibus eam facultatem conceſſam. Accedit, quod noxium admodum foret, ejusmodi poteſtatem inferioribus magiſtratibus concedere, qua bellis, quorum incertus ſemper dubiusque eventus eſt, involvere rempublicam, & hanc adeo in maxima conjicere pericula poſſent. Nec ſufficit con-

(*m*) *Livius Epitom CIV. Caeſar de bello Gallico, lib. I. cap. VII. & XII. Plutarchus in Caeſare cap. VI. Oroſius lib. VI. cap. VII.*

conjectura voluntatis, ſi videlicet occaſio detur, illatas injurias feliciter vindicandi. Cum enim longe majora incommoda ex iſta facultate conſequi poſſent, nunquam hoc voluiſſe imperantem, recte colligitur.

§. CXIII. Populus Romanus, Caeſare & Pompejo trucidatis, rediiſſe in ſtatum priſtinae libertatis videbatur: & redierat, judice Floro, (*n*) niſi aut Pompejus liberos, aut Caeſar haeredem reliquiſſet, vel, quod utroque perniciosius fuit, ſi non collega quondam, mox aemulus Caeſareae potentiae ſuperfuiſſet Antonius. His acceſſit Lepidus, quem divitiarum cupido, quarum ſpes ex turbatione reipublicae, ut Antonium ultiones de his, qui ſe hoſtem judicaſſent, Caeſarem inultus pater, & manibus ejus graves Caſſius & Brutus, agitabant. In hoc velut foedus, pax inter tres duces componitur; apud Confluentes inter Peruſiam & Bononiam jungunt manus: & hinc alter *ille triumviratus* exſurgit (*o*)

§. CXIV. Hoc tempore quaenam Romanae reipublicae fuerit forma, dubitare, immo diſceptare viros doctos videas. Monarchicam non fuiſſe patet, cum non unus, ſed tres ſumma rerum fuerint potiti, & quidem aequaliter diviſa poteſtate. Ex quo etiam colligas, non potuiſſe eam ariſtocraticam eſſe, cum optimates in hac forma junctim demum ſubjectum ſummae poteſtatis

(*n lib. IV. cap. III.* (*o*) *Florus lib. IV. cap. VI.*

ſtatis conſtituant, cum inter triumviros quiſque pro ſe imperare auſus ſit. Accedit, quod nec populus in triumviratum conſenſerit unquam: unde prorſus pro legitima poteſtate triumviratus iſte haberi nequit. Sunt, qui triumviros tres tyrannos dicunt, & eleganter Juvenalis eos tres Syllae diſcipulos vocat. Dio (*p*) ſtatum ejusmodi fuiſſe putat, qui nec monarchicus, nec popularis, vocari poſſit. *Populus*, inquit, *amiſſo jam ſtatus popularis imperio, nondum tamen ſub unius poteſtatem devenerat, ſed Antonius & Caeſar aequata potentia rerum potiebantur.*

§. CXV. Poteſt autem res omnis ita expediri. Pono, tempore Julii Caeſaris jam formam reipublicae Romanae ex democratica in monarchicam fuiſſe mutatam. Praeterea manifeſtum eſſe puto, penes triumviros nondum reipſa fuiſſe ſummum imperium. Facto ipſo, non ex conſenſu populi, imperitabant, adeoque pro invaſoribus potius, quam pro legitimis imperantibus habendi erant. Octavius vero poſt triumviratum demum, accedente populi conſenſu, imperium adeptus eſt. Quae cum ita ſe habeant, dici poteſt, ipſam quidem formam fuiſſe monarchicam, ſed legitimo imperante deſtitutam: triumviri autem iſti invaſores erant, imperium, ejusque adminiſtra-

(*p*) *lib. L. ſub init. add. Jacobus Lampadius de republ. Romano-German. part. II. §. IX. & Conringius ad h. l.*

ſtrationem ſibi vindicabant quidem, jure nondum gaudebant.

§. CXVI. Auguſto nihil magis curae fuit, quam de certo ſucceſſore ſibi proſpicere, & ita res ſuas firmare. Tiberium itaque in filium adoptavit, cum ipſe maſcula prole, quae ſuccedere in imperium poſſet, deſtitueretur. Adoptionis itaque jure ſucceſſio Tiberii nitebatur. (q) Nihil utique ſolennius fuit Romanis, quam aliorum adoptione orbitatis ſuae ſolatium quaerere, quem morem qui de Romanis antiquitatibus exponunt, (r) pluribus ediſſerunt. Auguſti vero exemplum alii deinceps ex imperatoribus imitati ſunt, ut per adoptionem promptiſſima ad imperium via pateret. Id quod quo jure factum, & an ſucceſſio in imperiis ad adoptivos etiam filios pertineat, diſceptari ſolet.

§. CXVII. Exemplis ſi ſtandum, jam res confecta eſt. Sed videamus rationes. Adoptio, aeque ac arrogatio, mutuo conſenſu nititur, quo adoptans ſe parentis inſtar futurum pollicetur, qui autem adoptatur, filii partes in ſe ſuſcipit. Si ergo officia pariter ac jura adoptantis erga adoptatum ſpectes, haec eodem plane modo comparata erant, quo ſe habent officia & jura patris erga filium. Hoc ſaltem diſcriminis intercedit, quod pater naturalis & filius, ex lege naturae, adoptans autem & adoptatus,

Eee ex

(q) *vid. Tacitus Annal. lib. I. cap. III.* (r) *Faber in Semeſtribus, Barnabas Briſſonius de formulis, aliique.*

ex conſenſu obligentur. Hinc ſua ſponte etiam ſequitur, quod quae jura filiis naturalibus competunt, eadem & adoptivis competant, cum inter hos & illos nullum intercedat diſcrimen, quam fundamentum officiorum, atque praeſtandorum, utrobique diverſum.

§. CXVIII. In iis itaque regnis, in quibus ſuccedendi ratio à voluntate & arbitrio ſummi imperantis pendet, adoptivorum ſucceſſio dubio caret. Adoptans enim cum filii loco adoptivum habeat, manifeſtum eſt, eum quoque voluiſſe, ut ſibi ſuccederet, quod eo magis patet, ſi eam ob cauſam, ut ſuccederet, eum adoptavit. Quod autem in regnis legitimis ſecus ſe res habet, id non tam diſcrimini, quod inter filios naturales & adoptivos intercedit, quam regnorum diverſitati, eſt tribuendum. In his quippe cum ſuccedendi ratio dependeat à voluntate populi atque conſenſu, aut expreſſo, aut tacito, quoad filios naturales quidem haec ſemper adeſt, non autem quoad adoptivos. Namque niſi populus diſerte circa horum ſucceſſionem mentem ſuam declaraverit, in eam conſenſiſſe credi nequit: cum adoptivi per naturam non ſint pars ejus familiae, in quam regiam dignitatem contulit populus. Equidem, ſi ex eo, quod ſalutare reipublicae eſt, colligendam quis populi voluntatem cenſeat, expedire quandoque adoptionem fateor: rectiusque per eam reipublicae rebus conſuli, quam per nativitatem. Adoptari

ptari enim optimus quiſque poteſt, & de quo magna ſpes eſt, bene eum rempublicam adminiſtraturum. Exempla quaedam id teſtantur, & judicium Plinii, in panegyrico Trajano imperatori dicato, comprobat, (s) Galbaeque imperatoris apud Tacitum. (t) Nihil ſecius & peſſimos quandoque adoptatos, conſtat, non dicam ſtudio, quanquam de ipſo Auguſto non deſunt, qui hoc aſſerant: ſaltem communi omnibus judicii imbecillitate, qua haud raro fallimur, optimosque fore credimus, qui omnium evadunt peſſimi.

§. CXIX. Haec cum ſatis clara ſint, non tamen aeque, quid de Romanorum imperatorum adoptionibus cenſendum, patet. Poſſet facile aliquis in eam ingredi ſententiam, vel ex his ipſis adoptionibus recte colligi, fuiſſe imperium Romanum velut in patrimonio imperatorum. Accedit namque, quod, vi oppreſſa Romani populi libertate, cum ipſo imperio, poteſtatem quoque de ſucceſſione ſtatuendi, ad ſe rapuerint. Sed non deſunt, quae huic ſententiae opponi queant. Saltem Tiberius non videri voluit, eo modo hoc imperium acquiſiviſſe, quo acquiri imperia patrimonialia ſolent. (u) Quicquid hujus ſit, ſi & pro legitimo habeatur imperium Romanum, locum tamen habere poterat in eo ſucceſſio adoptivorum: quia adoptiones in pu-

Eee 2

(s) *cap. V.* (t) *Hiſt. lib. I. cap. XV.* (u) *Tacitus Annal. lib. I. cap. VII.*

pulo Romano receptae erant, nec quiſquam abnuebat, quin omnibus liberorum naturalium juribus fruerentur adoptivi. Ergo ſi ponamus, populum adoptivis eadem jura, quibus naturales gaudent, tribuere, recte inde concludimus, velle quoque eum, ut in imperium non minus adoptivi, quam naturales ſuccedant. Tiberio quidem adoptionis titulus, ad cupiditates res novas molientium reſtraenandas, non ſatis firmus viſus eſt. Sed hoc, puto, inde factum eſt, quod probe ſciret, adoptionem ejus non tam judicio Auguſti factam, quam Liviae matris ambitu, & artibus, procuratam fuiſſe.

§. CXX. Ceterum non deſunt, qui ſuccedendi rationem, electione quadam temperatam, in Romano olim imperio obtinuiſſe, putant. Quod de primis tamen imperatoribus non aeque conceſſero; apud quos haud dubio per ſucceſſionem imperium ab uno ad alium tranſibat. Poſt Neronis tamen obitum invaluit licentia militum, Caeſares conſtituendi. (x) Quantum malorum hinc in rempublicam Romanam redundaverit, praeter Tacitum atque Suetonium, Spartianus, Lampridius, Vopiſcus, ceteri hiſtoriae auguſtae ſcriptores teſtantur. Nobis vero de jure electionis iſtius, à legionibus factae, paucis diſpicere animus eſt,

§. CXXI.

(x) *vid. Tacitus hiſtor. lib. I. cap. I.* (y) *lib. II. cap. IX. §. XI.*

§. CXXI. Hugo Grotius (y) jus eligendi imperatorem ad populum pertinuiſſe putat, & aliquoties etiam à populo, aut per ſe aut per ſenatum, electionem factam eſſe: quae autem à legionibus modo his, modo illis factae ſint, non fuiſſe ratas ex jure legionum, ſed approbatione populi. Aſt fallitur haud dubio magnus ille Grotius, dum à populo electos imperatores adſerit. Ejus enim rei nullum proferre potuit exemplum. Tacitum imperatorem à ſenatu electum, ſunt, qui perhibent, (z) quanquam nec illud dubio careat. Accedit, quod ad Neronem usque ſucceſſio in imperio Romano obtinuerit, poſt eum vero invaluiſſe militarem licentiam imperatorem conſtituendi, jam antea monuimus. (a) Ex hoc vero non colligendum, ſemper obtinuiſſe electionem, cum illud facti, non juris ſit, quod hanc poteſtatem ſibi vindicaverint legiones: & praeterea, ex ſucceſſivo electivum fieri regnum, non ſit inſolens.

§. CXXII. Miror equidem, Grotium, quod dixerat, exemplo Adriani, Pertinacis, Juliani, Severi, Macrini, Maximini, Balbini, Aureliani, aliorumque probare auſum eſſe. Satis utique incaute. Hosce enim omnes, quorum meminit, nec à populo Romano, nec à ſenatu electos fuiſſe, palam eſt. Vel unicum Adriani hoc probat exemplum. Hunc

(y) *lib. II. cap. IX. §. XI.* (z) *Flavius Vopiſcus in Floriano cap. I.* (a) *conf. Conringius ad Lampadium part. II. §. X.*

namque, Aelius Spartianus auctor eſt, cum ad ſenatum ſcriberet, *veniam petiiſſe, quod de imperio ſuo judicium ſenatui non dediſſet, ſalutatus ſcilicet praepropere à militibus imperator, quod eſſe reſpublica ſine imperatore non poſſet.* (b) Diſerte à militibus eum ſalutatum imperatorem dicit. Nec eſt, quod quem moveat excuſatio Adriani, & quod veniam petierit. Id namque fecere nonnulli imperatores, ut ſpeciem auctoritatis priſtinae ſenatui conſervarent, non quod eligendi poteſtas penes ſenatum eſſet. Simulate potius quam vere hoc eos feciſſe, luculenter probat Iſaacus Caſaubonus. (c)

§. CXXIII. Quicquid hujus ſit, an à legionibus ſalutatus, rite electus imperator cenſeri queat? id eſt, de quo quaeritur. Negare id videtur Grotius, affirmare Gronovius. (d) De legionibus enim hic ait: *Haec faciebant, ſuſtinebant, deſtituebant, deſtruebant, ubi libuiſſet, principem, ſi non jure, at quaſi jure: populum Romanum plorare jubebant, aut adulari.* Sed aliud eſt, an imperator à militibus conſtitutus ſummum habuerit imperium, ſive jure, ſive facto? aliud, an electioni vitium adhaeſerit? Prius evincunt rationes à Gronovio adlatae: non autem poſterius. Electionem enim iſtam à legionibus factam non caruiſſe vitio, prorſus arbitror. Conſtituebant, fateor, milites partem reipublicae: non tamen totam rem-

(b) *Spartianus in Adriano cap. VI.* (c) *ad Spartiani l. c.* (d) *ad Grotii l. c.*

rempublicam, Eſto, deſinat ſucceſſio: haud dubio facultas eligendi ad totum populum, qui tum rempublicam conſtituit, redit. Quae vero a parte populi, ut militibus, per vim peragitur electio, nec ab iis, à quibus fieri debebat, nec eo modo, quo eam fieri par erat, facta cenſeri debet. Equidem ſi militibus à republica haec facultas conceſſa fuiſſet, aliter eſſet pronunciandum, ſed id fruſtra adſeritur, cum idoneis documentis probari nequeat.

§. CXXIV. Huc usque itaque progredi animus fuit. Reſtat equidem ultima imperii Romani periodus, ſub imperatoribus, & ea maxime tempora, quibus primo diviſum & laceratum, mox deſtructum penitus, atque everſum fuit Romanum imperium. Sed haec ut vitiorum, quam virtutum, fuere feraciora; ita non adeo multa noſtrae diſceptationi ſuppeditant argumenta. Nonnulla tamen, quod non abnuo, & hic occurrunt, accuratiori diſquiſitione non indigna: ſed nobis ſpecimen ſaltem dare jurisprudentiae hiſtoricae conſtitutum fuit: quod jam abunde nos praeſtitiſſe, arbitramur. Ergo vela contrahimus, & reliqua aliis diſcutienda relinquimus.

S. D. G.

2511945 D

Digitized by Google

.17.6.38
B.N.C.F.